# VITA

# JESU CHRISTI

## DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI

ABBATISVILLA. — GUSTAVII RETAUX.

LUDOLPHUS DE SAXONIA

# VITA
# JESU CHRISTI

EX EVANGELIO ET APPROBATIS AB ECCLESIA CATHOLICA
DOCTORIBUS SEDULE COLLECTA

EDITIO NOVISSIMA

CURANTE

L. M. RIGOLLOT, SAC.

TOMUS QUARTUS

*PARS SECUNDA*

II



E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ
RECTOREM GENERALEM
25, via Grenella, 25

BRUXELLIS
APUD G. LEBROCQUY
SUCCURSALIS RECTOREM
5, foro Lovaniensi, 5

MDCCCLXXVIII



# VITÆ

DOMINI NOSTRI

# JESU CHRISTI

## PARS SECUNDA.

### CAPUT LVIII

DE PASSIONE DOMINI NOSTRI MEDITANDA, IN GENERALI.

1 Passionis Domini recordatio. — Occurrit nunc, ut Passionem Domini nostri Jesu Christi tractemus, de qua ad minus septies in die recordari deberet Christianus. Unde dicit *Bernardus*, quod quotidiana lectio Christiani debet esse recordatio Dominicæ Passionis, et quod nihil ita accendit cor humanum, quemadmodum sæpe et sedulo recogitata Passio et humanitas Salvatoris. Qui ergo in cruce et Passione Domini desiderat gloriari, sedula meditatione debet in ea persistere, quæ præcipue inter cetera debet cordi nostro esse infixa : ut sicut in suo corpore cicatrices et vulnera semper tenet, et de ejus corpore non delentur ; ita et in corde nostro per memoriam nostri teneri, et numquam de eo deleri debet. Cujus quidem Passionis mysteria et quæ circa eum facta sunt, si toto mentis intuitu perspicerentur, in novum utique statum meditantem adducerent. Nam ex profundo corde et totis viscerum medullis eam perscrutanti, multi passus insperati occurrerent, ex quibus novam compassionem, novum amorem, novas consolationes et per consequens novum quemdam statum dulcedinis susciperet, quæ sibi præsagia et participalia gloriæ viderentur. Unde, quædam monialis devota, in tantum circa Passionem Christi erat affecta, ut numquam Crucifixi imaginem inspicere posset, nisi cadens in terram quasi totaliter absorpta a se deficeret. Oportet ergo quod quis præsentem se exhibeat affectuose, diligenter et morose omnibus et singulis quæ circa Dominicam Passionem contigerunt, et quod illuc totam mentis aciem, vigilantibus oculis cordis, oblitisque aliis curis et sollicitudinibus exterioribus, dirigat perseveranter. Et scias quod si in hac scientia, quæ super omnes alias

scientias est, volueris proficere, cum magno studio oportebit te a cibo et potu delicato abstinere et ad necessitatem tantum parce de utroque sumere. Cœna quoque nocturna sive potus, multum impedit orationem et contemplationem quapropter esset ab eis pro posse abstinendum. A vestibus quoque ac lectis mollibus et delicatis abstineas, et in vestitu sicut et in victu humilieris, grossioribus utendo et vilioribus. Oportet etiam quod caveas a multiloquio, atque lætitia vana et inepta, quia non decet eum qui vult Christi dolorem sentire, in verbis, risibus, lusibus et gaudio vano, se inutiliter occupare. Necessarium enim erit, ut aliquando ita cogites te præsentem cogitatione tua, ac si tunc temporis, ibi præsens fuisses quando passus fuit; et ita te habeas in loquendo, in vivendo, in dolendo ac si Dominum tuum coram oculis tuis cerneres patientem. Ita enim et ipse Dominus in spiritu tibi præsens erit, sicut a te cogitabitur præsens esse; et accipiet tua vota, et acceptabit tua facta.

2 Huic recordationi consolatio carnalis non congruit. — Et, ut breviter dicam, oportebit te a delectatione et consolatione carnali, cum magna diligentia elongari, et ut amara et dura tibi dulcescant, et suavia fiant, si in Christi doloribus et Passione consolationem et dulces animæ tuæ dapes cupis invenire. Non enim bene conveniunt consolatio carnis, et contemplatio Dominicæ Passionis; sed contraria quasi nomina sortiuntur, nec possunt simul caro et spiritus delectari, imo, secundum Apostolum, sibi invicem adversantur. Unde *Bernardus* : « Crux Christi voluptati adversatur, et voluptas cruci; et quomodo possunt excusari voluptatum amatores, ut non sint Christi persecutores? Rei enim fiunt mortis Christi, et si non ut persecutores, tamen ut tantæ rei contemptores. » Et iterum : « *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Non solum, inquit Apostolus, mortuus mundo, sed et crucifixus, quod est ignominiosissimum genus mortis. Ego illi, et ipse mihi. Omnia quæ mundus amat crux mihi sunt : delectatio carnis, divitiæ, honores, vanæ hominum laudes; quæ vero mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. Quamvis in his Apostoli verbis illud quoque non incongrue possit intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipsum vero mundo crucifixum compassione; crucifixum enim videbat mundum obligationibus vitiorum, et ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum : » hæc *Bernardus*. Et quia, ut dicit *Gregorius*, sine delectatione anima numquam potest esse : nam aut infimis delectatur, aut summis; ideo, heu! multi consolationem divinam non invenientes, protinus inhiant ad aliam, et sic sibi juste subtrahunt divinam. Unde *Bernardus* : « Renuit consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cujus ad alias consolationes mens inhiat, et non penitus in caducis et transitoriis renuit consolari, ipse sibi profecto cœlestis subtrahit gratiam consolationis; quam si digna devotione, pleno affectu, desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satageret, sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. » Non ergo quæras consolationem aliam, si cupis habere divinam, quia, ut idem dicit *Bernardus*, delicata est divina consolatio, quæ non datur admittentibus alienam; nec duplici via, vel duplici affectu quæras divinam consolationem quia indignum te redderes ad eamdem. Unde iterum *Bernardus* : « Indignus benedictione cœlesti convincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione, aliud sibi refugium parans, si forte eam non obtinere contingat : » hæc *Bernardus*. Manna defecit filiis Israel postquam comederunt de frugibus terræ : per manna quod *habebat in se omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem*, significatur suavitas Jesu, quæ deficit filiis Israel, id est claustralibus, cum incipiunt comedere de frugibus terræ, id est dare se terrenis consolationibus. Unde *Augustinus* : « Si animus habet unde delectatur extrin-

secus, sine delectatione manet intrinsecus. » Ideo vir sanctus debet dicere cum Propheta : *Renuit consolari anima mea* scilicet exterius, et ideo ibi sequitur : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Unde *Richardus a Sancto Victore* : « Numquam intellectus ad cœlestium contemplationem perfecte attrahitur, nisi caro in necessariis fortiter retrahatur. » Unde et *Gregorius* : « Si a carne hoc quodlibet abscindimus, mox in spiritu quod delectet inveniemus. »

3 Christo Salvatori compatiendum. — Compatiaris igitur Salvatori nostro Jesu, memoriam Passionis et vulnerum ejus in corde tuo habendo, certissime confidens quod ejus consolationis socius in futuro efficieris, si ejus tribulationis in præsenti socius inveneris. Nec enim pro ipso pie lugentibus gloriam suam negabit, qui nec Magdalenæ dolenti et ipsum quærenti resurrectionem suam occultari voluit. Quod bene Propheta innuit, dicens : *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent.* Unde Apostolus : *Si tamen compatimur, ut et simul glorificemur.* Unde et *Bernardus* : « *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* hoc est si compatimini, et conregnabitis. » Sed non solum corde, verum etiam corpore compatiendum est Christo. Unde *Ambrosius* : « Qui autem compatitur, non perfunctorie compatiatur; sed ut tribulationes Christi in corpore suo impleat, sicut implebat ipse Paulus. » Unde et illud Cantici : *Pone me ut signaculum super cor tuum,* diligendo, scilicet me per affectum, et mihi te conformando per affectionem dilectionis ; *et ut signaculum super brachium tuum,* diligendo etiam me per effectum, et mihi te conformando per amorem operationis : signaculum enim formam suam imprimit rei quæ sigillatur. Et merito debes me diligere utroque modo, quia *Fortis est ut mors dilectio,* hoc est tam fortiter te dilexi, quod pro amore tuo mortuus sum ; *et dura sicut infernus æmulatio,* quia in nullis tentamentis hostium a nostræ salutis cura revocari potuit, sicut infernus nullis miserorum cruciatibus mitigatur. *Per multas ergo tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum* ; quod bene figuratur per hoc quod crux ponitur inter chorum et cancellos ecclesiæ, ut qui chorum intrare voluerint, vadant sub cruce, quia ab Ecclesia militante ad triumphantem, nemo nisi per crucem potest intrare. Multum quippe placet Deo, quod homo memoriam Passionis et vulnerum ejus portet in corde suo. Narratur enim quod cum quidam eremita sanctissimæ vitæ instanter Dominum exoraret, ut sibi ostenderet quod sibi inter cetera servitia magis acceptaret ; vidit hominem nudum trepidantem frigore, et crucem magnam super se bajulantem, et sibi quis esset interroganti dicentem : Jesus Christus ego sum. Rogasti enim me, ut tibi ostenderem quod inter cetera servitia mihi magis compl iceret, et nunc tibi dico quod hoc, scilicet quod quis homo juvet me portare crucem meam, et vulnera, et Passionem in corde suo. Et hæc dicens evanuit. Crucem Domini debemus bajulare, et juvare eum portare, et hoc : in corde, per recordationem et compassionem ; in ore, per crebram et devotam gratiarum actionem ; in corpore, per flagellationem et castigationem, ut Salvatori nostro corde, ore et opere gratias agamus.

4 Numerus vulnerum Christi in sensu litterali et mystico. — Cuidam etiam seni matronæ reclusæ multitudinem et numerum omnium vulnerum Christi scire cupienti, et pro hac re flebiliter Deum oranti, vox cœlica missa dixit : Quinque millia quadringenta nonaginta vulnera mei corporis exstiterunt ; quæ si venerari volueris, orationem Dominicam cum salutatione Angelica quindecies quotidie in memoriam Passionis meæ replicabis, sicque anno revoluto unumquodque vulnus venerabiliter salutabis. Hæc oratio valde placet Deo, prout postmodum revelatum fuit cuidam solitario. Et accipitur hic numerus secundum annum bissextilem, ut semper sufficere possit; quia minor numerus quem quidam ponunt, scilicet quinque millia quadringenta septuaginta quin-

que, aliis annis tantum, sed non hoc sufficit. De numero vulnerum Christi sunt versus isti :

*Mittitur, ut legitur, olim, vox cœli-*
*[ca lenis*
*Cor refovendo senis flebilis, ut*
*[sequitur :*
*D. duc undecies, X. dempta sim-*
*[plice, Christi*
*Unde revixisti, vulnera cuncta*
*[scies.*

Tot quippe fuerunt vulnera Christi, accipiendo videlicet quamlibet plagam flagellationis pro vulnere uno ; et puncturam cujuslibet spinæ pro uno. Cujus quidem numeri partes singulæ congruunt mysterio Passionis Dominicæ. Millenarius enim, qui est ultimus limes numerorum, ultimam et supremam perfectionem in hac vita homini possibilem insinuat, quam utique Christus in sua Passione et summe adimplevit. Quinarius autem ad quinque sensus refertur, in quibus omnibus Christus passus fuit, ut sensus nostros nostris peccatis corruptos reintegraret. Centenarius etiam perfectionem notat. Et ideo per quadringenta perfectio Novi Testamenti, quod in quatuor Evangeliis consistit, accipi potest ; quod quidem Testamentum in sanguine Passionis Christi dedicatum est. Nonagenarius vero, qui constat ex ductu denarii in novenarium, designat novem ordines Angelorum, inter quos ducimur per observantiam præceptorum Decalogi, et hoc fieri non potest nisi per meritum Passionis Christi.

5 Bona e meditatione Christi Passionis, si rite fiat, fluentia. — Multa quidem et magna bona proveniunt homini Passionem Christi frequentanti, et se circa eam sedulo occupanti. Si enim ad divinitatis cognitionem pervenire desideras, restat ut per assumptam humanitatem, et humanitatis Passionem tamquam per viam regiam gradatim ascendere ad altiora discas ; quia non datur pervenire ad divinitatis altitudinem, vel inusitatam dulcedinem, nisi tractis pio quodam fidei ac dilectionis affectu, per humanitatis Christi amaritudinem. Et quanto, hac neglecta, quis ascenderit altius, tanto cadit profundius. Hæc est enim via per quam itur ; hæc est porta per quam introitus ad desideratum finem conceditur. Per fructiferam namque ac venerabilem Christi Passionem, cunctorum nobis spiritualium bonorum materia copiosissime ministratur. Ubi enim est gloriatio nostra? Ubi spes et lætitia cordis nostri ? Revera in Christo uno summo et vero bono, et pretiosissimo ejus Passionis thesauro. Et ideo tam impretiabilem thesaurum delectat jugiter in corde retinere, et continue de ipso loqui, ac omni tempore, mente et corpore cum ipso occupari ; utinam quoque et in cordibus numquam marcescat, sed semper rediviva pullulatione novus existat! Felix proinde tu, o gloriosissimum lumen ecclesiarum, qui arcanum divinitatis attingens abyssum claritatis divinæ oculis purioribus intuendo introisti, ac verba quæ non licet homini loqui audisti, et tamen ad ima descendens affectu quodam mellito Passionis hujus ob præconium, de cordis thesauro in medium eructasti, dicens : *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum.* O verbum mellifluum, dulcius super mel et favum, devotis mentibus jugiter ruminandum, de quo liquor emanat, qui miseris largiter gaudia salutis propinat ! Ceterum quicumque æternam salutem, et præmiorum magnitudinem desiderat habere, arcem quoque cunctarum virtutum optat conscendere, scientiam etiam atque sapientiam obtinere, inter prospera et adversa æquanimiter stare, et securam viam ambulare, nec non amaritudinem Passionis Domini nostri Jesu Christi ejusque consolationis potum suavissimum desiderat prægustare ; debet Jesum Christum, inquam, et hunc crucifixum, jugiter in suo corde portare. Frequens Passionis hujus memoria indoctum quemquam reddit doctissimum, ac imperitos et idiotas facit proficere in magistros ; magistros, inquam, non scientiæ quæ inflat, sed caritatis quæ ædificat. Ipsa est velut quidam liber

vitæ, in quo omnia saluti necessaria inveniuntur. Hic liber de omnibus docens mellea quadam dulcedine perunctus sentitur. Felix, qui ejus studio seriose intendit, quia in contemptu mundi et in amore Dei proficiet, cunctarumque virtutum ac gratiarum incrementum sumet! Memoria Passionis Christi debet fieri non perfunctorie, nec cum festina acceleratione, maxime cum tempus aderit sufficiens et opportunum; sed cum matura et morosa ac præcordiali rememoratione, et flebili quadam compassione. Nisi enim hoc dulcissimum lignum dentibus affectuosæ discretionis masticatum fuerit, sapor ejus, licet immensus, nequaquam movebit Quod etsi quidem flere cum flente, aut dolere cum dolente non potes; saltem affectu devote de tantis beneficiis tibi per eam gratuito exhibitis gaudere et gratias agere debes. Quod si nec affectu compassionis nec gratulationis desiderio moveris, sed dura quadam affectione te in ejus recordatione deprimi sentis; nihilominus in duritia cordis tui ad laudem Dei, memoriam hujus salutiferæ Passionis qualitercumque percurre, et quod a te habere non potes, ipsius manibus piissimis committe. Percute bis silicem, videlicet: interiori recordatione, et corporali nihilominus labore, te exercens ad pietatem, per extensionem manuum, seu oculorum ad Crucifixum sublevationem; vel pectoris tunsionem aut genuflexiones devotas, seu disciplinas et flagellationes, vel cetera similia pietatis officia continuando, donec egrediantur aquæ lacrymarum largissimæ; ut et ratio bibat devotionis aquas, et corpus animale ejus experientia accensum ad gratiam habilitetur.

6 Quatuor solatia e Christi Passione. — Porro Passionis Christi frequentem meditationem inter alia innumerabilia, ad quatuor præcipue tibi noveris prodesse solatia, videlicet: ad tria principalia vitia, quæ in mundo sunt, repellenda; ad tribulationem et pœnitentiam mitigandam; ad tristitiam inordinatam repellendam; et ad pœnam purgatorii diminuendam. — De primo patet in Threnis, ubi dicitur: *Recordare paupertatis meæ et transgressionis*, vilitatis, et fellis. Concupiscentia ergo carnis debet crucifigi, per Crucifixi amaritudinem; concupiscentia oculorum, per ejus paupertatem; superbia vitæ, per ejus vilificationem. Sed voluptuosi contrariantur cruci Christi, quia Christus in ea sustinuit amaritudinem; item, vane gloriosi, quia Christus in ea sustinuit ignominiam; item, avari, quia Christus in ea sustinuit paupertatem. — De secundo etiam ex hoc apparet, quia cibus aliquando de se insipidus, per salsam appositam, vel condimentum fit sapidus; sic tribulatio et pœnitentia de se sunt insipida, sed apposita salsa Passionis Christi, quæ fuit amara, efficiuntur dulcia et sapida. — Tertium autem, scilicet qualiter dolorem animi expellat, exemplo tibi potius quam verbo monstrabo. Erat namque quidam, quem circa conversionis suæ initia quædam tristitia inordinata letaliter oppressit; ita ut nec legere, nec orare, nec quidquam boni pro tunc facere posset. Qui dum die quadam in cella residens, ab hac passione graviter urgeretur, et incredibili dolore affligeretur, facta est ad eum desuper quasi vox intellectualis, dicens: Quid hic sedes otiosus, et in temetipso tabescens? Surge nunc, et meam devote pertracta Passionem, et in amaritudine tuum devinces dolorem. Quo audito ille frater surrexit, et se ad meditandum Passionem contulit, et ex tunc medicina hac salutari sanatus, per ejus continuam replicationem nequaquam plus de cetero talem umquam sensit animi passionem. — Quartum vero, scilicet qualiter hæc utilissima meditatio pœnam purgatorii relaxare habeat, tibi indicabo. Ea auctor naturæ nil inordinatum in sua natura relinquit, sed nec divina justitia quidquam impunitum dimittit: quod non aut hic, aut in futuro debitæ correctioni subjiciat. Quando igitur putas quod finem habitura esset pœna alicujus peccatoris, qui multis criminibus obnoxius condignam satisfactionem pro quolibet

mortali, pro millesima parte non implevisset, quam exsolvere in locis purgatorii decedens cogeretur usque ad minimum quadrantem? O nimis longa miseræ animæ exspectatio! O diutina et acerba nimium cruciatio, dolor perseverans et immensus, pœnitentia gravior omni terrestri cruciatu! Sed vide quod hanc pœnam levissima et brevissima satisfactione compensare posset, quicumque ipsam de thesauro Passionis Agni immaculati recipere sciret. Hic namque thesaurus pretiosissimus, propter caritatem maximam personamque dignissimam, ac dolorem immensissimum, sufficiens est et superabundans. Et ideo taliter posset se homo ad hunc applicare, et de ejus merito et satisfactione tam devote ad se trahere; ut si mille annis purgari deberet, in brevi de toto liberaretur. Si ergo vis pœnam purgatorii longam et acerbam in temporalem brevem ac levem commutare; studeas hæc facere. Primo omnium, debes corde compuncto et spiritu contribulato, cum gemitu cordis, enormitatem peccatorum tuorum gravissime ponderare, confitendo adversum te justitiam tuam Domino, amarissime recogitando quid feceris, quem offenderis, quidve merueris: Peccavi, inquiens Domine, super numerum arenæ maris. Deinde debes teipsum coram oculis æterni Judicis humiliter despicere, et vilem æstimare, ita ut cum publicano oculos immundos nec audeas ad cœlum levare, nec labiis pollutis nomen illud gloriosum nominare; sed neque temetipsum hominem, sed vermem immundum æstimare, et opera tua satisfactoria, quasi nullius momenti sint, annihilare, et sic miser et miserabilis ante fores gratiam Judicis, et cum profundo gemitu cordis tui petere, et dicere: *Pater mi, peccavi in cœlum et coram te, et non sum dignus vocari filius tuus; fac mihi sicut uni ex mercenariis tuis.* Postea meritum Passionis Christi debes cum summo affectu extollere et magnificare, cogitando quoniam apud eum copiosissima est redemptio; et quod minima gutta pretiosissimi ejus sanguinis, qui per omnes partes corporis sui vulneribus repleti largiter effluxit, pro redemptione et satisfactione totius mundi suffecisset; sed copiose ipsum effundere voluit, in argumentum maximi amoris, et supereffluentissimæ pietatis, in solamen omnium miserorum. Tandem debes humili quidem, sed fervido affectu manum auxiliatoris quærere, et misericordissimi Redemptoris meritum infinitum in subsidium postulare, nihil hæsitans; quia pronior est fons ille pietatis jugiter scaturiens ad miserendum, quam tu ad petendum. O Verbum gratiosum et præcipuum, miseris peccatoribus cum summa exsultatione suscipiendum, eo quod in Christi Passione sic in promptu invenimus, unde possumus peccata abluere, pœnas delere, gratiam invenire, et gloriam sempiternam promereri! Memoriam igitur Passionis Christi semper debes in corde tuo habere, et omnes tribulationes et adversitates quas pateris ad ipsam referre, ipsiusque similitudinem, quantum possibile est induere. Et cum ex occulta dispensatione tibi consolatio interna subtrahitur, et desolatus relinqueris, debes instar veri crucifixi non aliunde consolationem quærere, sed patienter exspectare, et sursum ad Patrem qui in cœlis est respectum habere, temetipsum deserendo, et omnem cogitatum tuum in ipsum jactando. Tunc, sine dubio, quanto fuerit major hominis interioris pressura, et desertio hominis interioris cum voluntate Deo unita; tanto similior Crucifixo, et amabilior Patri peramando eris, quia revera hoc est punctum adversitatis, per quod milites probatissimi in acie Christi constituti strictissime examinantur. Item, omnia infortunia et cuncta tristabilia clementiæ Dei debes committere, et sic te libere in omni facto tenere, quasi homo qui in procinctu migraturus est de hoc mundo. Refugium quoque continuum in vulnere lateris Jesu Christi debes quærere, tamquam columba in foraminibus petræ, quia in hoc loco semper invenies copiosissimam peccatorum remissionem, gratiarum pleni-

tudinem, et a cunctis malis imminentibus securam protectionem.

7 Narratio abbreviata historiæ Passionis. — Ad narrationem itaque propositi accedamus. Si igitur vigilanter attendisti præmissa, quæ de vita Christi sunt dicta hic multo vigilantius totum apponas animum, totam virtutem, quia hic maxime apparet illa ejus caritas, quæ corda nostra deberet totaliter concremare. Non solum autem illa pœnalis et mortalis crucifixio Domini, sed et ea quæ eamdem præcesserunt, sunt vehementissimæ compassionis, et amaritudinis, et stuporis. Quid enim est cogitare quod ipse Dominus noster, super omnia benedictus Deus, ab hora qua de nocte cum facibus et armis tamquam latro quæsitus fuit et captus, usque ad sextam crucifixionis suæ scilicet horam, fuit in bello continuo doloris, in magnis opprobriis, et tormentis? Non enim sibi datur vel modica requies; sed in quolibet bello et conflictu audi et vide : alius eum tradit, alius comprehendit, alius ligat, alius ducit alius impellit, alius exclamat, alius insurgit, alius vexat, alius circumvolvit, alius interrogat, alius contra eum falsos testes inquirit, alius inquirentem associat. alius falsum testimonium contra eum dicit, alius accusat, alius deludit, alius blasphemat, alius in eum exspuit, alius oculos velat, alius in faciem cædit, alius colaphizat, alius veste alba induit, alius spernit, alius illudit, alius ad columnam eum ducit, alius dum ducitur percutit, alius vociferatur, alius eum insultanter ad vexandum suscipit, alius in eum impetum facit, alius exspoliat, alius eum ad columnam ligat, alius flagellat, alius eum purpura in contumeliam vestit, alius spinis eum coronat, alius arundinem in manu ejus ponit, alius furibunde reaccipit ut spinosum caput feriat, alius nugatorie genua flectit, alius ut regem salutat. Hæc et multa similia non solum alius. sed et alii plurimi intulerunt. Ducitur et reducitur de judicio in judicium, de opprobrio in opprobrium, de supplicio in supplicium, spernitur et reprobatur, volvitur et circumflectitur, huc atque illuc tamquam stultus et imbecillis, sed et tamquam latro atque impiissimus malefactor : modo ad Annam, modo ad Caipham, modo ad Pilatum, modo ad Herodem, et iterum ad Pilatum, et ibidem modo intus, modo foris. Deus meus, quid est hoc? Nonne hoc tibi videtur durissimum, amarissimum, et continuum bellum? Sed exspecta parumper, et duriora videbis. Adstant contra eum, constant et vivacissime principes, Scribæ et Pharisæi et millia populi. Acclamatur ab omnibus unanimiter ut crucifigatur; crux humeris suis jam fractis et laceratis imponitur, in qua crucifigatur. Concurrunt undique cives et advenæ, tam majores quam etiam vilissimi ribaldi, vinique potatores, non ad compatiendum, sed ad deridendum; nemo est qui eum recognoscat, sed luto et immunditiis eum impetunt et affligunt. Et, dum suam portat ignominiam, factus est illis in parabolam. Adversum eum loquebantur qui sedebant in porta, et in eum psallebant qui bibebant vinum. Impellitur et anxiatur, trahitur et acceleratur; et sic fatigatus, flagellatus, cruciatus, totusque maceratus, et opprobriis saturatus usque ad summum, non sinitur requiescere, non esse in otio. Vix potest refocillare spiritum quousque perveniatur ad Calvariæ locum. Et hæc omnia cum impetu et furore fecerunt. In ipso autem loco finis et quies negotio, de quo tractamus imponitur Sed, quæ est illa quies? Crucifixio, et lectus doloris; ecce qualis, asperior bello est. Vides ergo quomodo usque ad horam sextam passus est longum et durum bellum. Vere intraverunt aquæ usque ad animam suam; et vere circumdederunt eum canes multi et feroces et terribiles, qui dire et ut gladium bis acutum exacuerunt in eum linguas et manus suas.

8 Tria principalia in Passione Domini ad partes pœnitentiæ spectantia : nuditas, irrisio, corporalis afflictio. — In Passione autem Christi tria fuerunt in summo, ad quæ rediguntur cetera omnia, et in quibus pœniten-

tiæ summa exprimitur, et veræ patientiæ perfectio experitur : primum, est rerum ablatio et nudatio ; secundum, contemptus et irrisio ; tertium, pœna et corporalis afflictio, quæ omnia in Christo Domino fuerunt in summo. Nudatus est a crucifixoribus, ita ut nec femoralia in eo remanerent, quod nulli umquam latronum factum fuisse legimus, et panniculis a pia Matre sua non incongrue creditur involutus. Nudam ergo crucem ita nudus ascendit, ut si per sepulchrum illius terram matrem omnium corporum velimus intelligere, recte possit ei et ad litteram, convenire quod sanctus Job ait : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* Unde *Ambrosius* : « Restat igitur considerare crucem Dominus qualis ascendat. Nudum video. Talis ergo ascendat, qui seculum vincere pensat, ut seculi adjumenta non quærat. Victus est Adam qui vestimenta quæsivit, vicit ille qui tegumenta deposuit. Et talis ascendit, quales nos, auctore Deo, natura formavit. Talis in paradiso homo primus habitaverat, talis ad paradisum homo secundus intravit : » hæc *Ambrosius.* — Sed quis narrare sufficiat qualia et quanta ludibria, qualis et quantus, a quibus et a qualibus passus sit? Hæc enim et a parte patientis, et a parte inferentis, et a parte illatorum pensanda sunt, nec aliter ; et utinam, vel sic digne pensari possint ! Vide qualia passus est. Etenim cum gladiis et fustibus tamquam ad latronem exierunt comprehendere eum ; traditus est, captus, ligatus, velatus, consputus, alapis et colaphis cæsus, accusatus, in veste alba illusus, flagellatus, purpura in opprobrium indutus, spinis coronatus, arundine pro sceptro insignitus, et capite percussus, derisorie adoratus et salutatus, ac multis aliis illusionibus et contumeliis affectus, et demum cruci est affixus. Ad consummandam quippe hominis humilitatem, universa in eum contumeliarum genera exercebantur. Sed quis novit quanta passus est? Credimus enim sanctos Evangelistas brevitatis causa irrisionum tantum species, non etiam numerum expressisse. Quis enim scire, quis narrare sufficeret, quot et quoties in tanta multitudine, quæ tunc ibi erat, eum irriserunt? In augmentum etiam irrisionis et verecundiæ, confusionis et ignominiæ accedit, ubi et quando passus est. Ubi ? Utique, inter cognatos, et notos, in Jerusalem, in civitate regia, famosa et populosa, extra portam, in loco punitionis sceleratorum, scilicet in loco Calvariæ fœtido et immundo, ubi occidebantur homicidæ et latrones. Ubi ? In medio latronum, in cruce quasi ad spectaculum elevabatur, flentibus amicis, et insultantibus inimicis. Quando? In præcipua solemnitate Judæorum, ad quam propter reverentiam templi et pulchritudinem, et propter festivitatem ipsam confluebat non solum ex Judæa, verum etiam ex diversis Gentium nationibus, maxima multitudo, et quæ maxime illa die ad tantum spectaculum concurrebat ; coram quibus Dominus noster ludibrio expositus, omnibus spectaculum factus est. — Sed de afflictione corporali, quid dicturi sumus? Caro enim Christi beatissima atque mundissima, quanto natura purior, quanto ab omni labe peccati sincerior fuit, tanto utique passibilior exstitit ad tormenta. Unde in persona ipsius Jeremias lamentabatur, dicens : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus!* Quasi diceret : Non. Quamvis enim multi Martyres multa et magna tormentorum passi sunt genera, nullus tamen in carne ex peccato corrupta, tam sensibilis esse potuit ad tormenta ; quin etiam, cum ipse Martyres suos in passionibus non solum roboraverit, verum etiam ipsum dolorem mitigaverit, aut certe in refrigerium et oblectamentum frequenter convertit. Et quamvis hæc Martyribus suis Christus ex potentia divinitatis contulerit beneficia, pie tamen credimus et fiducialiter confitemur, eum, non sibi, hoc est suæ humanitati beneficium hoc præstitisse ; sed in carne illa mundissima, quantum dolorem naturaliter sustinere potuit, tantum us-

que ad exitum animæ sustinuisse, et vim doloris virtute patientiæ tolerasse. Ecce qualia et quanta passus sit, Christus Dominus vidimus.

9 QUIS PASSUS EST, ET A QUIBUS ? — Sed jam qualis et quantus sit, qui hæc passus est, videamus. Nonne ipse est *innocens manibus et mundo corde ;.... qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ?* Nonne ipse *mitis* est, *et humilis corde ?* Nonne ipse est *qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt ?* Nonne ipse est, qui cuncta quæ fecit, tenet, regit, gubernat, et protegit ? Nonne ipse est *qui intuetur abyssos,... cujus oculis omnia nuda sunt et aperta*, qui novit omnia antequam fiant ? Nonne ipse est, qui novit cogitationes Angelorum et Sanctorum omnium, et quas ipse nec inspirat, nec informat, dæmonum et hominum perversorum ? Nonne ipse est, qui *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire ?* Ipse quippe est Dei Filius, Deus verus, summe potens, sapiens et bonus. — Videamus etiam a quibus, et a qualibus hæc omnia passus sit. In augmentum enim doloris et dedecoris non hæc ab extraneis, sed a domesticis passus est ; nec a quibuslibet vicinis et notis, sed a filiis et fratribus, de quibus ipse dixit : *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus*, Judæos utique filios vocans, et Gentiles canes ; et David in persona ipsius loquens ad Patrem : *Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*, id est Judæis, ex quibus erat secundum carnem. Qui etiam filii et fratres quales fuerint, ostendit in Isaia, ubi ait : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* ; et in Canticis : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Contra quos in Evangelio sæpe invehitur, et væ æternæ damnationis eis comminatur. Ecce qualia et quanta, qualis et quantus, a quibus et qualibus passus est Dominus ; ut ex omnibus advertamus quantum ipsi Domino qui pro nobis nequam mancipiis, omnia hæc voluntarie passus est, unus quisque debeat Christianus. Letali duritia laborat, qui taliter amantem non amat.

10 SAPORIS DOMINICÆ PASSIONIS EXCITATIVA. — Ad intrandum autem ad saporem Dominicæ Passionis, et ad compatiendum Domino nostro Jesu crucifixo, hæc attende. Primo studeas, quantum potes te unire illi per ferventem amorem ; nam quanto ferventius eum diliges, tanto magis suæ Passioni compatieris, et quanto plus ei compassus fueris, tanto plus erga eum tuus affectus accendetur ; unde sic se mutuo augebunt dilectio et compassio, donec venias ad perfectionem, nisi hoc remanserit propter aliquam tuam miseriam : et præcipue studeas abjicere omnem præsumptionem diffidentiam, et negligentiam. Debet enim homo tam nobile opus aggredi humiliter, confidenter et instanter, et cum quanta potest munditia cordis. Et quamvis homo sibi videatur indignus, tamen nequaquam desistat, quia ipse Christus pro peccatoribus crucifixus est. Primo igitur sic uniaris sibi amore, ut cor tuum intret in ipsum totaliter, et extra ipsum reputa nihil esse, ac de te extra ipsum tamquam de nihilo curabis. Tota cura tua vertatur ad præsens circa Dominum tuum passum, nec de te aliquid exhibeas alteri ; nam ejus es, quidquid es. Sic ergo totaliter transformatus in ipsum, non possum credere quin ejus vulneribus vulnereris, et perfundaris ejus contumeliis, illusionibus et opprobriis. Et ad hæc omnia addas orationem, ut quasi continue depreceris Dominum Jesum Christum, ut suis vulneribus vulneret mentem tuam, et ad ipsa vulnera quasi semper dirige cordis affectum, ut per tuam nimiam importunitatem, a sua misericordia impetres quod intendis impetrare.

11 SEX MODI, QUIBUS HOMO PASSIONEM MEDITANS, EAM CONSIDERARE POTEST. — De modis autem exercitii Passionis Jesu Christi scire debes, quod circa Passionem Domini potest homo se habere sex modis, considerans eam : primo, ad imitandum ; secundo, ad compatiendum ; tertio, ad mirandum ; quarto, ad exsultandum ; quinto, ad resolvendum ; sexto, ad quiescendum. — Primo, ad imitandum

consideret, nam imitatio Christi est summa et perfecta religio perfecti. Hæc est regula et exemplar perfectionis omnis vitæ et virtutis, scilicet Christum imitari in Passione, et in morte. Sit ergo nostra regula vivendi, Passio Salvatoris; nam tanto amplius desolamur, quanto ab hoc exemplari et regula amplius elongamur. Semper ergo, quantum in nobis est, velimus ab omnibus conculcari, dejici et vilipendi, illudi, persecutionem pati, flagellari, et in divinis obsequiis ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum nudo, et nihil penitus cupiamus habere, imo habere aliquid sit nobis gravissima pœna et dolor intensus. Abhorreamus delectabilia et dulcia degustare, et potius velimus vilibus et amaris cibari, quia ipse fuit felle et aceto potatus. Et ut breviter dicam, consideremus quæ pro nobis sustinuit, et qualiter se in passionibus habuit, et nos pro modulo nostro, quantum possumus, conformemur eidem. — Secundo, debemus considerare eam ad compatiendum. Debemus enim considerare ipsius flagella, illusiones et opprobria, et in corde nostro ruminare et imaginari, quanta sit dejectio et contemptus ergo Dominum nostrum, quantus dolor, quantave afflictio in corde et opere suo; et quod ratio Passionis et compassionis suæ peccata nostra sint. Magnam habemus materiam flendi, et causam lugendi, si intime cogitemus quod sumus occasio necis unigeniti Filii Dei, rei læsæ majestatis ejus. Consideremus quanta tunc amaritudine repletus erat Angelorum dulcedo; quantum etiam aggravabat eum non tantum pœnæ illatio et nostra ingratitudo, sed assistentis etiam Matris suæ afflictio, quam sic diligebat, et quasi deficere præ compassionis dolore videbat. Jam ergo transfigant cordis nostri intima ejus convitia, flagella et vulnera; nec in nobis sit quod non perfundatur ex compassione, et non affligatur dolore immenso. Tertio, consideremus ad mirandum, quis, quæ et pro quibus passus est; et est de quo multum mirari debemus. Quis? Dei scilicet ipse Filius, Deus verus, summe potens, sapiens et bonus. Sed quæ? Peregrinationem, fugam, famem, sitim, frigus, calorem, tempestates, horrores, persecutiones, observationes, vincula, flagella, illusiones et dolores. Conspuitur gloria, contemnitur justitia, Judex judicatur, inoffensus inculpatur, innocens infamatur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, vita occiditur, sol obscuratur, luna denigratur, sidera disperguntur. Sed pro quibus hæc patitur? Pro sceleratissimis inimicis, pro nequissimis mancipiis, pro contemptoribus divinæ majestatis, et pro ingratis divinæ pietati. Ergo talis et tantus, talia et tanta, pro tam vilissimis et abjectis passus est. Sed a quibus? A specialiter dilectis, quibus omnem benignitatem ostendit, et a vilissimis, a stultissimis, ab impiis, maximus, sapientissimus, et summe pius; et a sanie fœtidissima splendor æternus. Et in his omnibus in divinæ pietatis admiratione elevemur. — Quarto, consideremus eam ad exsultandum. Exsultare in ea debemus de redemptione humana, restauratione angelica et clementia divina. De redemptione humana sine dubio nimis gaudere debemus, facta per Christi Passionem et mortem. Quis, quæso, non exsultet et gaudeat, cum cernat se per hanc redemptum a damnatione æterna, a culpæ ignominia, a potestate diabolica? Exsultemus etiam quod per Christi Passionem restaurata est angelica ruina. Magna pretiositas debet esse nobis cum videmus per Christi mortem tam nobile collegium reparari de nobis, ut fiat unum ovile et unus pastor, et simus unum de uno. Præcipue autem exsultare debemus cernentes in prædictis omnibus summam Domini nostri clementiam. Ubi, quæso, magis apparet benignissima Domini clementia, quam in Passione sua? Ubi tam turpia et gravia sustinere voluit pro inimico suo liberando et glorificando, qui puniendus erat quadam morte æterna? — Quinto consideremus beatissimam Christi Passionem, ad cordium nostrorum resolutionem in Christum,

hoc est per perfectam transformationem in ipsum, quod fit quando non solum imitatur, compatitur, admiratur et exsultat ; sed etiam totus homo quodammodo convertitur in illum, scilicet Dominum Jesum Christum crucifixum : ut jam quasi ubique et semper sibi crucifixus occurrat, imo tunc vere in ipsum resolvitur, quando ex se exiens homo, et suprapositus universo, imo totus supra se totum abstractus ab omnibus, totus est conversus in Dominum suum passum, ut non videat sentiatque intra seipsum nisi Christum crucifixum illusum, exprobratum, et passum pro nobis — Sexto, consideremus illam beatissimam Passionem ad quietem dulcoris, quod fit cum jam resolutus, ut dixi, sitibundus eamdem Passionem ruminare non cessat, intrans secundum posse in illum Passionis thesaurum humiliter et devote, et liquefit amore devoto, et fervida devotione deficit a se, et quiescit in Christo crucifixo. Sed quanto plus deficit a se amore et devotione, tanto plus eidem dilecto pro se mortuo inhæret, et plus requiescit in ipso. Et sic mutuo se auget adhæsio et amoris devotio, donec totus deficiens absorbeatur ab illo camino amoris Passionis dilecti. Sicut in amplexibus sponsi sponsa quiescit, quæ clamat et dicit : *Adjuro vos, filiæ Sion, ne evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Sic circa Passionem Domini debet esse imitatio ad purgationem, et directionem, compassio ad unionem et amorem, admiratio ad mentis elevationem, gaudium et exsultatio ad cordis dilatationem resolutio ad perfectam conformationem, quies demum et pausatio ad devotionis consummationem.

12 Tria quæ nos Passio docet. — Docet autem Passio Christi tria, scilicet : quam odiosa sint Deo vitia, quam lacrymosa inferni supplicia, quam gratiosa cœli gaudia. Christus enim passus est pro culpis delendis, pro suppliciis nobis auferendis, et pro gaudiis cœli conferendis. Hæc in quadam generalitate sunt dicta ; sed videamus diligenter singula. Non enim nos decet tædere illa cogitare, quæ Christum Dominum non tæduit tolerare ; et prout dicitur, non solum semel pro omnibus hæc tolerare, sed etiam iterato pro peccatoribus singulis, si necesse esset, omnia sustinere deliberavit et paratus fuit. O Deus meus, misericordia mea ! Quid est hoc ? Quis ad tantam pietatem non obstupescit ? Unde sanctus vir Carpus dicebat se aliquando contristatum a quodam infidelium, qui quemdam bonum ab Ecclesia seduxerat. Cumque staret in divino colloquio, indignatus, non esse justum dicens, si viverent impii subvertentes rectas vias Domini, petiit a Deo igne cœlesti utrumque immisericorditer consumi. Et vidit subito in visione Jesum humaniformiter in dorso cœli, Angelis ipsi astantibus, dicentem sibi : Carpe, Carpe, paratus sum pro hominibus resalvandis iterum pati.

## ORATIO

Dulcissime Domine Jesu, infunde, obsecro, multitudinem caritatis tuæ mihi peccatori ; ut nihil terrenum vel carnale desiderem, sed te solum super omnia diligam, ut penitus renuat consolari anima mea, nisi in te Deo meo dulcissimo. Scribe digito tuo in tabulis cordis mei eorum quæ pro me pertulisti memoriam, ut ea semper præ oculis habeam, et dulcescat mihi non solum illa cogitare ; sed etiam, si necesse sit, pro meo modulo tolerare ; et non solum tibi ex omnibus viribus obsequi, sed etiam propter te contumeliis affici, aut certe morte turpissima condemnari. Amen.

# CAPUT LIX

## DE PRIMO COMPLETORIO, IN PASSIONE DOMINI.

Matthæi cap. XXVI, Marci cap. XIV, Lucæ cap. XXII et Joannis cap. XVIII.

1 CHRISTUS INTRAT VILLAM GETHSEMANI, AD ORANDUM. — Reassume igitur a principio Passionis meditationes istas, et prosequere eas per ordinem usque ad finem; et attende ad singula ac si præsens esses. Conspice itaque Dominum Jesum attente, cum a cœna exiens hora Completorii, in hortum cum discipulis suis vadit, ultimo nunc ab eis associandus itinere; quomodo affectuose, socialiter ac familiariter eis loquitur, et eos ad orationem hortatur *Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et* cum intrasset in hortum *dixit discipulis suis : Sedete hic,* id est exspectate, non moveamini, sicut nec loco, ita nec mente, *donec vadam illuc et orem*; et vos etiam *orate, ne intretis in tentationem,* per consensum, et sic succumbatis tentationi. Ubi ait *Hieronymus:* « Separantur in oratione, qui separantur in Passione. » Ubi et *Chrysostomus* : « Consuetudo enim ei erat sine eis orare, hoc autem faciebat, erudiens nos in orationibus quietem constituere nobisipsis, et solitudinem multam quærere. « Ubi etiam *Cyrillus* : « Semotim orat, ut discas quod animo attento et corde quieto colloquendum est cum Deo sublimi. » Hæc autem dixit octo Apostolis, quia Judas ibi non erat; et tres secum duxit, scilicet: Petrum, Jacobum et Joannem Per hoc quod Christus volens orare, assumpsit Petrum, Jacobum et Joannem, docet nos quod omnis volens devote orare, debet habere tres comites, scilicet : fidei firmitatem, designatam in Petro, qui interpretatur *agnoscens*; et temporalium abdicationem, ea sub pedibus per contemptum ponendo, et nihil de temporalibus dum orat cogitando, hoc designatur in Jacobo, qui dicitur *supplantator* ; ac ponere se in statu gratiæ, et habere gratiæ fervorem, quæ designatur in Joanne, qui interpretatur *in quo est gratia.*

2 PAVOR ET TRISTITIA DOMINI. — *Assumpto* igitur *Petro et duobus filiis Zebedæi*, specialiter tamquam de suis secretariis et magis familiaribus, ut quibus in transfiguratione ostenderat gloriam suæ majestatis, eisdem revelaret etiam tristitiam suæ Passionis, et qui viderant gloriosa, viderent et humilia, *cœpit,* ille cujus sunt omnia, et in quo adversarius nihil habebat, qui peccatum non fecerat, morte sibi imminente, *contristari et mœstus esse.* Quid ergo nos oportet facere? Unde *Hieronymus:* « In hoc pavere et tristari docemur ante judicium mortis, qui non possumus per nos dicere, nisi per illum : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* » Hæc autem tristitia Domini maxima fuit, quia *tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Usualiter dictum est, id est multum tristis est anima mea, quia tristitia tantum intensa erat, quantum esse poterat; vel, tristis est usque ad timorem mortis, et pro timore mortis, quia mortem naturaliter timebat; vel, *usque*, potest esse exclusivum, tristabatur enim donec se et suos morte liberaret : mors quippe corporis absolutio est doloris in Christo et suis; vel, potest esse inclusivum, scilicet donec post mortem suam redirent Apostoli ad ejus fidem. Unde *Anselmus :* « Dato autem caritatis et patientiæ salutari mandato, et disposito fratribus regno Patris tui, ad locum

proditori tuo notum cum illis divertisti, sciens omnia quæ ventura erant super te. Ibi animæ tuæ tristitiam, quam ex imminente Passione sponte assumpsisti, sicut et cetera quæ passus es in auribus fratrum profiteri non erubuisti, dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* » Et iterum : « Præcedit ipse ad montem Oliveti, tu eum sequere. *Et*, licet *assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi*, ad secreta secesserit, vel a longe intuere quomodo in se nostram transtulerit necessitatem. Vide quomodo ille cujus sunt omnia, pavere cœpit et mœstus esse : *Tristis est*, inquiens, *anima mea, usque ad mortem.* Unde hoc, Deus meus? Ita compateris mihi exhibens hominem, ut quodammodo videaris nescire quod Deus es ? » hæc *Anselmus.*

3 Tres causæ tristitiæ Domini. — Assumpsit autem Christus istum pavorem et tristitiam propter plurima. — Primo, secundum *Hieronymum* ut veritatem assumpti hominis probaret. Naturale enim est homini timere mortem. Ex hac naturali tristitia vere contristatus est Dominus. Sed sciendum, quod quædam est tristitia et quidam timor rationem submergens, et hominem, contempto Dei præcepto, in peccatum ducens, sicut Petrus timore negavit Christum : de hujusmodi loquuntur expositores, quando dicunt Christum non timuisse, quippe qui ad hoc venerat ut pateretur, et ipse Petrum temeritatis arguerat, cum eum vellet avertere a Passione, dicens : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Est et alius timor moderatus, qui naturaliter inest omni homini, et est sine peccato, sicut et fames, et sitis, et tales passiones fuerunt in Christo; unde ipse naturaliter horruit mortem, et pœnas acerbissimas, quas præscivit se passurum de proximo. Aliter tamen hujusmodi passiones fuerunt in Christo quam in nobis. In nobis enim plerumque hujusmodi passiones præveniunt judicium rationis, et imperium voluntatis; in Christo autem semper sequebantur rationem et voluntatem, unde volens esurivit et sitivit, volens timuit et contristatus est. Nihil enim coactum in Christo consideratur; sed omnia voluntaria creduntur. Ista ergo tristitia ita fuit naturalis, quod tamen fuit voluntaria et rationalis. Et ideo signanter dicunt hic Evangelistæ, quod *cœpit contristari*, et quod cœpit pavere ; non dicunt, fuit contristatus, vel pavefactus, quia ipse motus tristitiæ non ei dominatus est, sed ipse eum statim assumpsit, et voluntati divinæ subjecit. Aliud est enim contristari, et aliud incipere contristari ; unde contristat eum propassio, sed passio non dominatur ejus animo : propassio enim dicit inceptionem, sed passio continuationem. Quia ergo timor et tristitia inceperunt surgere in parte sensitiva, sed nondum pervenerunt ad ejus animum sive mentem, ideo dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ubi anima sumitur pro parte sensitiva, in qua sunt passiones; non autem in ratione, sicut etiam alibi dixerat : *Nunc anima mea turbata est.* Poterat quidem Christus natura non mori, sicut Adam potuit non mori ante peccatum; in eo enim nullum culpæ debitum, nullius peccati fuit vestigium. Sed sicut veram humanitatem, ita et humanas infirmitates nostras assumpsit, quæ a Deo non separant ; velut e contra ignorantia, impotentia, concupiscentia, et hujusmodi faciunt. Et nota, quod compassio turbans in anima potest tripliciter accidere : aut præter imperium et judicium rationis, ut motus subitus, qui appellatur propassio; aut contra imperium et judicium rationis, ut motus progressivus usque ad perturbationem rationis, vel a sua rectitudine, ut in malis, vel a sua tranquillitate, ut in bonis imperfectis ; aut secundum imperium et judicium rationis, ut motus a ratione imperatus et ordinatus, ut turbatio pœnitentis et compatientis. Primo modo, passiones sunt in omnibus puris hominibus etiam perfectis ; secundo modo, in imperfectis solum ; tertio modo, in Christo, quia in eo totaliter subdita erat sensualitas rationi, et ratio inferior superiori, et superior Deo ; nec tamen una potentia impediebat aliam in opere suo

naturali. Contristabatur etiam Christus secundum *Hieronymum*, non solum timore imminentis mortis, quam ipsa natura abhorret et recusat; sed et propter infelicitatem Judæ, et scandalum discipulorum, et dejectionem Judæorum, et eversionem Jerusalem, misertus his et compassus. Et possumus etiam addere quod ideo tristabatur, quia præscivit quod tam acerbæ Passionis suæ flagella et vulnera et mors amarissima, in multis adhuc hodie miseris et obstinatis peccatoribus frustrari deberent — Secundo, assumpsit pavorem et tristitiam pro nobis membris suis, ut ipse nostras tristitias in se vinceret, sicut et mortem nostram sua morte destruxit; et sicut suscepit tentationem et passionem, ut nos a tentatione et passione liberaret. — Tertio quoque hujuscemodi pavorem et tristitiam assumpsit, nobis in exemplum, et in doctrinam moralem, uti sequitur

4 SEX DOCUMENTA MORALIA EX TRISTITIA DOMINI, ACTUS CONFORMATIONIS ET ORATIO. — Ex hoc enim articulo, qui est pavoris et tristitiæ assumptio, plura habemus documenta. Primum est ut nos exemplo Christi discamus timores et tristitias ac passiones alias in nobis insurgentes freno rationis cohibere, ne usque ad animam pertingant; sed in inferiori parte animæ sub voluntatis imperio constringantur, ut dictum est de Christo. — Secundum est, ut ejus exemplo discamus nos desperare non debere, si aliquando surrepat tristitia, timor, vel pusillanimitas in obsequio et opere divino. Unde ait *Augustinus* : « Moriturus tristatus est Christus, ut doceret Martyres suos non debere desperare, si in hora passionis surrepat tristitia, quam tamen vincant. » — Tertium est, ut nos discamus contristari pro proximis et necessitatibus eorum, sicut Christus tristatus fuit, non pro se, sed pro aliis, ut dictum est secundum unum intellectum. — Quartum documentum est, ut exemplo Christi discamus tristitias et turbationes nostras ad Deum cum oratione referre, sicut fecit et ipse. Nam statim ut dixerat : *Tristis est anima mea*, ivit ad orandum. — Quintum documentum est, quod nos orare volentes devote, debemus secedere ab hominibus ad aliquem locum secretum, sicut fecit Christus, dans nobis exemplum. — Sextum est, quod omnes tristitias, tribulationes, pœnas, adversitates, et infirmitates nostras, etiamsi petamus ab eis liberari, sicut Christus fecit, semper post orationem committamus voluntati divinæ ; ac per hoc, eas quasi in cor Christi reponamus, orantes ut ipse eas in unione suæ Passionis perficiat, et offerrat eas Deo Patri ad laudem et gloriam suam. Et ex hoc nostræ tribulationes, atque passiones multum nobilitantur : nam sicut Passio Christi in cœlo et in terra infinitum attulit fructum ; sic pœnæ et quæcumque tribulationes nostræ hoc modo Christo commissæ, in unione Passionis suæ, tam fructiferæ erunt, ut Angelis in cœlo gloriam, justis in terris meritum, peccatoribus veniam, purgandis animabus conferant relevamen. — In recogitando istum articulum studeat homo semetipsum contristare cum gemitibus, compatiendo Christo de sua tristitia propter nos assumpta; et, si in aliqua turbatione vel adversitate sit, uniat illam cum tristitia et adversitatibus Christi, ut ex unione ipsarum dulcescant, et Deo in summa patientia redoleant. Dicat ergo hæc vel his similia : *Domine Jesu Christe, qui pro me misero tristari et mœstus esse voluisti, da mihi omnes tristitias meas ad te jugiter sufferre* ; *tuque eas unione tuæ tristitiæ mecum digneris sufferre.*

5 CHRISTUS, RELICTIS DISCIPULIS, SEORSIM ORAT. — Deinde Dominus Jesus volens se etiam sequestrare a tribus Apostolis secum assumptis, dixit illis : *Sustinete hic*, exspectando; *et vigilate mecum*, non cum diabolo vel cum mundo, tamquam amici speciales præ ceteris, qui debent in augustiis assistere amicis. Sustinete pondus tentationis, vigilantes a somno infidelitatis, et torpore mentis, ne, ingravante diabolo, obrepat vobis. Ceteris quidem jussi sedere ibi, quasi inferiores, ab agone isto servans eos securos ; vos autem quasi firmi-

ores usque huc adduxi, ut collaboretis mecum in vigiliis et orationibus; sed nolo vos progredi ulterius nondum enim potestis. Propter hoc manete hic vigilantes, sicut et ego vigilo, et unusquisque, in gradu suæ vocationis consistat; quia et omnis gratia, quamvis magna fuerit, superiorem habet. *Et progressus* est ab eis *pusillum*, scilicet, *quantum jactus est lapidis et, positis genibus,..... procidit in faciem suam*, super terram, ut humilitatem mentis ostenderet habitu corporis, et *orabat* corde, *dicens* ore : *Abba Pater*, quia *omnia tibi possibilia* sunt.... *si possibile est*, salva congruentia redemptionis humanæ, ac si moritur mors, me secundum carnem non moriente, et *si vis*, *transfer calicem* hunc, id est experimentum Passionis, *a me*. Quasi diceret : Si possibile est sine morte mea temporali salvari genus humanum, transfer calicem amaræ Passionis a me. Per orationem offerebat spiritum Deo Patri, quæ quidem oratio, ex pluribus ostenditur perfecta : primo, quia solitaria erat, est enim oratio elevatio mentis in Deum, quod melius fit quando homo est sequestratus ab aliis; secundo, quia humilis, cum in faciem suam procidit; tertio, quia devota, cum ad Deum Patrem recurrit; quarto, quia recta, cum voluntatem suam voluntati divinæ submittit; quinto, quia caritativa, cum interim dulciter discipulos visitavit. Et quia dicit : *Abba Pater*, utriusque populi Patrem et Salvatorem Deum esse innuit et ostendit. Idem enim significat *Abba*, quod pater; sed Abba est Hebræum, pater vero Græcum et Latinum. Ergo utroque primus ipse invocat, ut utrumque populum in eum crediturum, et ab utroque eum invocandum esse doceat, quia *non est distinctio Judæi et Græci*. Quod autem dicit : *Si possibile est*, ad potentiam Dei pariter et justitiam refert, quoniam quantum ad justitiam ejus qui non solum potens est. sed etiam justus, non sunt possibilia nisi ea quæ justa sunt. Unde et verus homo horrebat mortem, et voluntate sensualitatis vellet non mori, si de justitia posset fieri. Habebat autem justitia Patris, ut Christus pateretur, et a constitutione mundi hoc nostræ salutis sacramentum erat ab eo præostensum. Angustia ergo mortis, et tolerantia passionis non placebat Christo per se. et tamquam finis qui per se appetitur. ideo simpliciter loquendo pati nolebat; sed propter obedientiam Patris, et salutem humani generis passionem et mortem voluntarie sustinebat, sicut infirmus voluntarie recipit potionem amarissimam, non propter potionem, sed propter sanitatem consequendam. Hæc voluntas non moriendi gloriosos Martyres facit. Non enim vult sensus carnis nisi quod delectat; si autem delectaret eos mori, non inde viderentur mereri. Sed quia hanc voluntatem non moriendi Deo subjiciunt, et quod naturaliter fugiunt, propter Deum volunt, ideo merentur. Unde et Christus subdit, dicens : *Sed non quod ego volo*, humano affectu; *sed quod tu*. Quod enim ex humana infirmitate trepidanter renuerat, revertens in seipsum, per obedientiam et fortitudinem mentis confirmat. Non, inquit, hoc fiat quod humano affectu loquor; sed ad quod missus sum, et propter quod ad terras, tua voluntate descendi. Unde alibi dicit : *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam*, scilicet quam temporaliter sumpsi ex Virgine : *sed voluntatem ejus qui me misit Patris*, quam videlicet communem habui æternus cum Patre, et quam semper approbo animæ ratione. Non meam, non propriam; non meam, non Filii hominis, non meam, quæ resistat Deo. Et utique voluntas Christi non erat contraria voluntati Patris; sed qui venerat obedientiam docere, non inveniretur obediens, si propriam faceret voluntatem Quanto ergo magis nos non judicabimur obedientes, si facimus proprias voluntates! Unde *Augustinus* : « Filius unicus dicit : *Non quæro voluntatem meam*; et homines volunt facere voluntatem suam! Ille tantum se humiliat, qui est æqualis Patri; et tantum se extollit, qui in imo jacet, et nisi manus ei porrigatur non surgit! »

Et iterum : « Transfigurat in se suos, et qui nihil aliud vult quam Pater, docet eos privatam voluntatem corrigere, et dirigere juxta divinam. » Unde et *Hieronymus* : « Usque in finem non cessat docere nos patribus obedire, et voluntatem eorum voluntati nostræ præponere. » Unde etiam *Beda* : « Ostendit itaque Dominus Jesus, ut cum mors vel aliud quod fieri nolumus imminet, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas Conditoris nostri etiam contra nostram voluntatem fiat. Nam sicut multum confidere non debemus, ne nostram virtutem videamur profiteri, sic multum pusillanimiter agere et diffidere non debemus, ne Dei adjutoris nostri impotentiam videamur pronuntiare. » Et iterum : « Multi adhuc infirmi contristantur futura morte, sed si habeant rectum cor, vitent mortem quantum possunt ; at si non possunt, dicant quod Dominus dixit : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste,* ecce habes voluntatem humanam ; vide jam rectum cor : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* : » hæc *Beda.*

6 Increpat discipulos imprimis Petrum, quos rediens dormientes invenit. *Et* rediens de loco in quo oraverat, *venit ad* tres *discipulos suos*, scilicet : Petrum, Jacobum et Joannem, *et invenit eos dormientes*, jam vicina tentatione incipiebant oculi eorum languescere, quia dormitio erat quasi præfiguratio negationis et fugæ. Unde *Beda* : « Somnus corporis præfiguratio erat quod in proximo gravandi erant somno infidelitatis. » *Et* ironice sic *ait Petro : Simon, dormis ?* Quasi diceret : Sic erat faciendum ? vel, sic imples quod promiseras ? *Non potuisti, una hora vigilare mecum ?* Quasi diceret : Quia una hora non potuisti vigilare mecum, quomodo mortem spernes, tu qui spondes mori mecum ? Non ostendis tantum fervorem facto, quantum verbo. In hoc apparet tua infirmitas. Per hoc quod dicit, *una hora*, ostendit, quod brevis est molestia tentationis, respectu remunerationis. Ut ergo dicit *Tullius* : « Omnia quæ brevia sunt, tolerabilia debent esse, etiamsi magna sint. » Quamvis autem omnes dormirent, Petrum tamen potius increpabat, quia enim præ ceteris fuerat gloriatus, ideo præ ceteris erat increpandus ; item, quia inter eos principalis erat, ideo in ipso alios reprehendebat ; item, quia in eodem defectu prælatus magis est increpandus, quam alii, ceteris paribus. Qui etiam jam infirmitate depressus, non Petrus vel Cephas, sed antiquo nomine Simon a Domino hic vocatur. *Vigilate*, attente, oculis mentis et corporis, *et orate,* devote, verbis cordis et oris, *ut non intretis in tentationem*, negandi me et recedendi a me. Non dicit, ne tentemini, quia impossibile est hominem non tentari ; sed, *ut non intretis in tentationem*, et incidatis in ejus profundum, id est, ne tentatio vos superet et includat, per consensum vel opus : tentationis enim initium est suggestio mali, medium consensus in delectationem vel opus, consummatio est opus ipsum. Ad evitandum autem tentationem, et ad resistendum eidem, recurrendum est ad orationem. Oratio enim est elevatio mentis in Deum : quanto autem mens in Deum elevatur, tanto facilius tentatio ab ea separatur. Et sicut fur, audito clamore, fugit, et vicini veniunt ad succursum, ita clamor orationis diabolum fugat, et Sanctos ad succurrendum excitat. Unde *Isidorus* : « Hoc est remedium ejus, qui vitiorum tentamentis æstuat, ut quoties quolibet vitio tangitur, toties orationes fundat ; quia frequens oratio impugnationem vitiorum exstinguit. Et sicut servus, qui sentit furem in domo, et non clamat, favet furi, et proditor est domini sui ; sic qui scit tentationem esse in corde, videtur Christum prodere, et diabolo consentire, nisi statim per orationem exclamet. » Et ideo, quia diabolus semper tentat, semper debemus orare, et numquam deficere. Sed oratio debet ordinari non ad hoc ut non tentemur, sed ad hoc quod non intremus in tentationem. Multum autem valet ad expulsionem tentationis cogitatio, et timor æternæ

mortis. Unde *Augustinus* : « Timor de futura morte mentem concutit, et quasi conclavatos omnes corporis motus superbiæ ligno crucis affigit. » Addit autem Dominus : *Spiritus quidem* de se et natura sua, *promptus est*, in me et in vobis ad confitendum ; *caro autem infirma*, in vobis, non autem in me, ad tolerandum : quia caro corrupta semper deprimit, et aliquando vincit spiritum, et ideo est orandum. Nam quasi promptum habuistis spiritum, in promittendo mori etiam pro me ; sed nunc patet carnis infirmitas, ad sustinendum imminentem tentationem, quia ipsa dormitio corporalis indicium est, et quasi prænuntia vestræ infirmitatis ; nondum enim virtute ex alto induti estis. Ubi *Hieronymus* : « Hoc autem adversus temerarios dictum est, qui, quidquid crediderint, putant se consequi posse. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de fragilitate carnis timeamus : » hæc *Hieronymus*. — *Tu, Domine, qui mandasti quod vigilemus et oremus, da nobis gratiam ad hoc faciendum ; quia licet spiritus promptissimus sit, caro tamen infirma est, et tota pigra et tota somnolenta, nec potest sustinere, ut vix per unam horam perfecte tecum vigilet, et tecum oret, ne cadat in tentationem.*

7 CHRISTUS ORAT SECUNDO ET TERTIO. — Deinde *iterum secundo abiit et oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Ostendit hic, ut ait *Chrysostomus,* quoniam valde concordat voluntati Dei, et quoniam ubique hanc sequi oportet et hanc inquirere. Vellet quidem transire calicem, quia homo est ; sed perficit dispensationem, quia Patri obediens est. Unde ait *Leo Papa* : « Hæc vox capitis salus est totius corporis ; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnesque Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus, et pro omnibus Patri diceret : *Fiat voluntas tua ?* » Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filii, ut cum adversitas violentæ alicujus tentationis incumbit, superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis. *Et venit iterum, et invenit eos dormientes* præ tristitia, *erant enim oculi eorum gravati,* et depressi : interiores quidem languore terroris et tristitiæ ; exteriores vero vigiliarum longitudine. Nam tristitiæ magnitudine somnum non poterant vincere, timentes tum pro capite, tum pro se ; sed sicut dormiebant mente, ita et corpore, quia ex torpore animæ, quandoque provenit somnus naturæ ; *et ait illis : Quid dormitis*, scilicet in tantis constituti periculis, cum sit tempus vigilandi, propter instantiam gravissimæ tentationis vobisipsis imminentis? *Surgite,* a torpore mentis ; *vigilate,* animi vigilantia ; et *orate, ne intretis in tentationem*, scilicet per consensum, id est ne tentatio vos superet, et intra suos casses teneat. *Et, relictis illis, iterum abiit et oravit tertio, eumdem sermonem* orationis, *dicens,* scilicet : *Pater mi*, etc. Tertio Christus idem oravit, ut orationis frequentiam ostenderet, et nobis spei longanimitatem exhiberet. Iterat orationem, ostendens quod oratio debet esse continua ; similiter iterat visitationem discipulorum suorum, quia opera caritatis debent orationi esse conjuncta. Et sic prælatum instruit et sibi et gregi intendere, et nunc contemplativam, nunc activam vitam exercere. Huic vero non obstat, quod dicitur in Ecclesiastico : *Non iteres verbum in oratione tua*; quia illa auctoritas sic intelligenda est, *non iteres*, id est, ita sis diligens in proferendo integre et devote verba orationis tuæ, ut postea propter omissionem vel negligentiam non oporteat iterare ; sed tamen iterare propter devotionem, vel instantiam, bonum est. Sic et eumdem sermonem, in prædicando diversis, bonum est quandoque iterare.

8 APPARITIO ANGELI DOMINUM CONFORTANTIS. — Cum autem oraret et anxiaretur Dominus Jesus, ecce Angelus princeps Michael astitit confortans in eo motum sensualitatis, secundum quam minoratus est paulo minus ab Angelis, illum scilicet motum qui

mortem exhorrebat. Statim postquam Christus se voluntati Patris submisit, Angelus eum confortavit, in quo innuitur : quod licet quandoque non fiat quod petitur, quia forte non expedit, semper tamen oranti mentalis consolatio confertur ; et, secundum *Theophilum*, ut nobis innotesceret orationis virtus, quatenus eam in adversis præponamus. Orans Dominus ab Angelo confortatur, et humilis Dominus reverenter atque humiliter suscipit hanc confortationem, etiam a sua creatura, considerans se esse minoratum paulo minus ab Angelis, dum est in hac lacrymarum valle; et sicut contristabatur ut homo, sic ex verbis Angeli sui fuit confortatus ut homo. Nec putandum quod hic Angelus, vel alius, fuerit in ejus custodiam deputatus; quia hoc non decuit, et Christus non indiguit. Secundum *Bedam*, alibi quod Angeli ei ministraverint, hic quod Angelus eum confortaverit dicitur; ut utraque natura designetur. Nam divinæ naturæ Angeli ministrant, humanam vero confortant. *Apparuit autem illi Angelus*, visione corporali in assumpto corpore humano, *confortans* et consolans eum per modum servientis : non propter se et sui indigentiam, sed magis propter discipulorum assistentium consolationem, et ad confirmandum fidem in eis, quod Christus sit major Angelis, ratione deitatis; ac propter nostram instructionem, ad ostendendum scilicet quod Angeli assistunt nobis orantibus, confortantes nos in oratione; et ut ex sua post tristitiam consolatione, sciremus quod tribulatis pro Christo non deest divina consolatio, juxta illud Psalmistæ : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Nam, secundum *Bedam*, Creator non indigebat creaturæ subsidio; sed homo factus, sicut nobis et propter nos est contristatus, sic nobis et propter nos est confortatus. Sed ipse Dominus et ratione se confortabat, dicens ad Patrem : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Aiunt autem quidam Michael astitisse oranti et dixisse se Patri orationis tenorem retulisse, omnesque procidentes Angelos pro hoc ipso orasse, et respondisse Patrem : Novit dilectus Filius meus, quod humani generis redemptio, quam peroptamus, sine sui sanguinis effusione decenter fieri non potest. Angelus autem post hæc confortavit eum : vel, de sui præsentia, sicut amicus de sua præsentia confortat amicum, unde *confortavit*, id est ad modum confortantis se habuit, scilicet ei assistendo; vel, forte aliqua verba consolatoria dicendo, ut forent hæc aut his similia : Quia, scilicet hic vincetur Lucifer, sicut victus est in cœlo, quia magnanimum magna sustinere deceret, quia passio cito transiret, et ejus fructus esset perpetuus, scilicet redemptio humani generis, et restauratio angelicæ ruinæ, aut aliquid simile; vel, secundum quosdam, ut dicit *Theophilus*, ista angelica confortatio fuit Christi glorificatio, dicebat enim Michael Angelus glorificans eum : Domine, tua est virtus, tu potes contra mortem et infernum genus liberare humanum, et similia. — *O Jesu, qui in oratione positus ab Angelo confortari voluisti, da mihi per virtutem orationis tuæ, ut oranti mihi semper assistat Angelus tuus me confortans.*

9 Agonia in Christo. — Hic animadverte contra impatientiam nostram, quia Dominus Jesus pluribus vicibus oravit, antequam a Patre acciperet responsionem et confortationem. Sicut autem ter fuerat tentatus in tribus locis, sic et ter oravit ; non in eodem loco, sed in tribus diversis locis, quæ distant ab invicem per jactum lapidis. Et, ut dicitur, adhuc in ipsis locis vestigia ecclesiarum sunt, quæ ibi factæ fuerunt. *Et factus in agonia prolixius orabat*, ostendens et docens quod nos in agonia, vel in quacumque necessitate constituti, debemus ad orationem confugere, et in magnis periculis ac majori necessitate, magis et instantius orationi insistere. Agonia Domini ista potest dici certamen contra mortem, vel mortis anxietas, quam quasi præsentem prævidebat, et ideo dicitur tunc fuisse in agonia, sicut infirmi in extremis laborantes

dicuntur esse in agone; vel, potest dici certamen et reluctatio sensualitatis ac rationis, quia agonizabat et certabat in eo mirabili pugna, sensualitas naturaliter mortem horrens et recusans, ac ratio voluntati divinæ obtemperans, et ipsam mortem pro salute humana zelans; quia virtute divina quælibet pars permittebatur agere, vel pati quod proprium erat sibimetipsi. Jam tamen vincebat mortem animo dum etiam mori volebat, quam post vicit actu ipso, scilicet resurgendo. Sed, heu! colluctatio carnis ad spiritum, sive sensualitatis ad rationem, quosdam hominum facit retroire vel exorbitare, ut illos qui peccant mortaliter; et quodam lente incedere, sive in via morari, ut illos qui peccant venialiter. Unde in hujusmodi pugna prolixius est oradum, ut oratio sit recta et volunta constans, ac sensualitas rectæ rationi, et ratio divinæ voluntati non obsistat, sed obediat, et ipsi dicamus : Non mea, sed tua voluntas fiat. In statu mortis, districtum judicium, et ea quæ homo numquam antea recoluit, ei veniunt in animum. In cujus figura Christus, appropinquante morte, factus est in agonia. Unde ait *Gregorius* : « Appropinquante etiam morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris et formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio appropinquamus. Nec immerito tunc anima terretur, quoniam post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit. Si enim consideremus, quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus, et quod nec hoc ipsum sine reatu nostro est quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicemur; merito in agonia constituimur : » hæc *Gregorius*.

10 SUDOR SANGUINIS EJUSQUE RATIONES. — Et, cum Dominus prolixius oraret, interim sudor ferventissimus, in modum sanguinis erumpens in hac agonia sive certamine, usque in terram abundanter currebat. *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ex fervore enim orandi, et ex apprehensione imminentis periculi, ac vehementi anxietate sensualitatis, quæ permittebatur agere et pati quod erat proprium sibi, inflammabatur cor et corpus, ita ut, apertis poris, efflueret sudor rubicundus et sanguineus. Iste sanguis erat verus et naturalis, quantum ad veritatem existentiæ, et de purissima Christi suæ carne; sed miraculosus et non naturalis, quantum ad modum profluentiæ, quia, secundum *Bedam*, contra naturam est, sanguinem sudare. Sic etiam oportet dicere de sanguine et aqua lateris Christi jam mortui, quod fuit verus sanguis et vera aqua; sed miraculose effluxerunt, de mortuo corpore. Ad hunc suavissimi sudoris balsamum ægrotis proficuum festina, ne tardaveris, ut inde sanari merearis. Unde ait *Anselmus* : « Quid stas? Accurre, et suavissimas illas guttas lambe, et pulverem pedum illius linge; noli dormire cum Petro et filiis Zebedæi, nemerearis audire : Sic non potuisti una hora vigilare mecum? » hæc *Anselmus*. Surgit igitur tertio ab oratione in qua stabat, flexis in terram genibus, totus sanguine madefactus; quem conspice tergentem sibi vultum, vel forte etiam in torrente lavantem, totumque afflictum reverenter cerne, et considera quanta tunc fuerit animæ suæ angustia, cujus testes sunt guttæ sanguinis decurrentis in terram, et ei intime compatere, quia non sine ingenti acerbitate doloris hoc sibi potuit contingere. Numquam enim aliquis mortalium ob mortis horrorem auditur sudorem fudisse sanguineum; unde patet ejus numquam similem fuisse dolorem. In hoc quidem apparet quanta fuerit amaritudo Christi Passionis, cujus sola cogitatio tantum naturam immutavit, quod præ angustia sanguinem sudare coegit. Hæc pugna ejus et anxietas Martyrum certamina et agones significans, plurimum consolatur et confortat pusillanimes et infirmos, et ad amorem incitat tepidos et ingratos. Unde ait *Anselmus* : Positis quoque genibus in terra, procidisti in faciem tuam adorans in agonia, et dicens : *Abba Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.*

Et angustias quidem cordis tui dulcissimi certissime indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine Jesu, unde animæ tuæ tam vehemens tristitia? Unde tanta sudoris anxietas, et tam anxia supplicatio? Nonne voluntarium omnino sacrificium Deo Patri obtulisti, et nihil invitus pertulisti? Utique, Domine. Arbitramur autem quod et hoc quoque ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti, ne forte desperet quis, si caro infirma remurmuret, ubi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum et ut majores erga te amoris et gratitudinis stimulos haberemus, naturalem carnis infirmitatem hujuscemodi indiciis in te expressisti, quibus docemur, quia vere languores nostros portasti, et non absque sensu doloris passionum sentes percurristi. Vox enim illa vox carnis fuisse videtur, non spiritus, eo quod subjunxisti : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* : » hæc *Anselmus*. Voluit autem Dominus sanguinem sudare, propter plurimas rationes. — Prima est, secundum *Augustinum*, ad figurandum, quod de corpore suo toto, quod est Ecclesia, sanguis effundendus, et emanatura erant Sanctorum martyria. — Secunda est, secundum *Bedam*, ut per terram sanguine irrigatam, declararet terrenos homines sanguine suo redimendos et mundandos. — Tertia est, secundum *Glossam*, ut totum mundum peccatis mortuum ad vitam resuscitaret, ideo sudorem suum sanguineum ad terram decurrere volebat. – Quarta est, secundum *Bernardum*, ut non solum oculis, sed et quasi membris omnibus flevisse videatur, atque sic totum corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia, totius corporis proprii lacrymis purgaretur. — Quinta est, ut per sanguinem decurrentem in terram, ostenderet quod pro terra, id est Ecclesia adhuc militante in terra orabat, et sanguinem suum fundebat, et ipsam suo irrigatam sanguine fœcundabat. In sudore autem notatur fervor ; in sanguine, pretium ; in decursu, abundantia ; in guttis, particularis efficacia, quamvis esset universalis sufficientia.

11 Documentum morale ex sudore sanguinis, actus conformationis et oratio. — Ex isto articulo, qui est sudoris sanguinei defluxio, habetur documentum salutiferum, quod et nos in oratione debemus ita esse intenti et fervidi, ut ex vehementia intentionis, et fervore devotionis, sudemus quasi sanguinem per configurationem Passionis Christi, et ardorem dilectionis ad Deum. Quod fit, dum quis orans in tanto ardore devotionis accenditur, quod pro amore Dei, si oportet, sanguinem suum fundere non veretur; et talis sic incalescit spiritu, ut totus sanguis in corpore, quasi spiritui alludens pronum et promptum se exhibeat ad exsudandum : quia vero caro ex infirmitate sua tam vehementem ardorem devotionis sufferre non prævalet, ideo sudorem quasi sanguinem evaporat, vel saltem pro sanguine ardentes lacrymas per oculos effundit. Et quoniam nos tam vigorosam orationem effundere non valemus, adjungamus orationem nostram orationi Christi, qui est advocatus noster apud Patrem, et ipse interpellat pro nobis, imo orat nobiscum. Et illa oratio est efficacissima, et Deo Patri accepta, quæ scilicet ipsi in unione orationis Christi offertur. Quam efficaces etiam sint lacrymæ orationis, et maxime illæ, quæ in recordatione Passionis Christi funduntur, patet ex quadam revelatione facta cuidam personæ, de qua legitur quod apparens ei Dominus in spiritu, dixit : Si quis in recordatione meæ Passionis lacrymas cum devotione fuderit, suscipere volo ac si ipse pro me passus sit. — In recolendo istum articulum, ad se Christo conformandum, procidat homo in faciem super terram, orando intente, et cogitet angelicam præsentiam sibi tunc adesse, recogitet etiam agonem suum, et conetur quantum potest habere lacrymas ex compassione et amore Christi, quas si habere non potest per oculos, fundat saltem lacrymas cordis. Et sicut Christus Dei Filius, imminente sibi Passione horrenda, cum

præ angustiis superventuræ mortis guttas sanguineas in terram funderet, nihilominus tamen libere voluntatem suam voluntati Patris commisit, et, quod cœperat, devote perfecit; sic quilibet devotus in omni adversitatis pressura atque tribulationis angustia, licet forte naturam reluctantem habeat, se paternæ voluntati committat, et hoc quod occurrit, devote suscipiat. *O pie Jesu, qui factus in agonia, dum prolixius orares, guttas sanguinis mirabiliter desudasti, da mihi ut recordatione tuæ Passionis accensus, lacrymarum guttas, pro sanguine in conspectu tuo merear dulciter desudare.*

12 Cur Dominus oraverit in horto, et hoc triplici vice? — Respice nunc qualiter jacebant discipuli dormientes, et qualiter Dominus ostendit eis modum orandi in gestu corporis, et in verbo pio, et per Angelum ibi apparentem. Quem modum, et tu, tenere debes, scilicet te prosternendo, ac proprium defectum et fragilitatem recognoscendo, et cadendo in faciem tuam, non post faciem : ut ea quæ rogas coram te habeas, et in mente teneas, non retro, ut unum ore dicendo, et aliud corde cogitando; et ut humilitatem mentis ostendas habitu corporis, casus enim in terram docet nos magis humiliari, si posset fieri; et quod voluntas Patris semper præcedat; et quod non tepide, sed cum magno fervore ores, sicut Dominus fecit; et quod non parum, sed prolixe et distincte, non sicut illi qui festinanter horas solvendo, etsi non verbo, facto tamen dicunt : Expediamus nos de istis, quia habemus facere alia magis necessaria, quasi festinantes ad utiliora et majora. Et vide quomodo statim aderit tibi Angelus, qui te adjuvet et te confortet, et orationem tuam Deo præsentet, propter exemplum enim nostrum ille Angelus apparuit confortans Dominum. Et non semel, sed frequenter est orandum, sicut ipse ostendit nobis per trinam orationem suam, docens ut non deficiamus, sed in oratione permaneamus, donec impetremus ea quæ postulare jam cœpimus. Et tu, ora pro mortuis, pro vivis, tam peccatoribus quam justis. Vel, oravit ter, ut et nos de peccatis præteritis veniam, de præsentibus emendationem, et de futuris cautelam a Deo postulemus; vel, ut hæc tria, scilicet : veniam, gratiam et gloriam, in oratione petamus; vel, ut contra trinam concupiscentiæ, seu cupiditatis tentationem orationis clypeo tueamur; vel, ut ad Trinitatem, scilicet ad Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum orationem dirigamus. Per hoc etiam docuit nos orare perfecte; quia perfectio consistit in tribus, scilicet : in principio, medio et fine. Compatere nunc Domino, et admirare profundissimam humilitatem suam; quia cum sit Deo Patri suo coæqualis et coæternus, prostratus tamen Deum orat, et tamquam quilibet de populo homunculus. Orare quidem Patrem convenit Christo ratione humanitatis, in qua est minor Patre; non autem ratione deitatis, in qua est æqualis Patri : homo rogat Patrem, qui ut Deus est unus cum Patre. Considera etiam perfectissimam ejus obedientiam, quia enim Pater vult quod moriatur, ipse hanc obedientiam reverenter suscipit et exsequitur. Vide tertio indicibilem ad nos caritatem, tam Patris, quam Filii; pro nobis enim hæc mors indicitur Christo et ab eo sustinetur, propter nimiam ipsorum caritatem quam ad nos habent.

13 Vigilia Christi et Apostolorum dormitio. — *Tunc* autem post hæc, Dominus Jesus *venit ad discipulos suos, et* quasi compatiens eis, propter tentationem de proximo eis imminentem, *dixit eis : Dormite jam et requiescite.* Quasi diceret : Parum potestis facere. Qui ibidem aliquantulum dormierunt. Jubet eos dormire : ut ostendat suam ad eos compassionem, quia gravati erant; et ut cognoscant suam infirmitatem, quia cum ipso vigilare non poterant; et ut somno recreati fugere possent de manibus eorum qui statim Christum erant capturi; et in figura quod in proximo infidelitatis somno erant gravandi. Considera in Christo mansuetudinem piam, quanto enim magis appropinquat ad mortem, tanto magis ostendit cordis sui dulce-

dinem. Bonus pastor vigilabat super custodia pusilli gregis sui. O grandis amor! Vere bonus et pius est hic pastor! Vere in finem dilexit eos, cum in tanta agonia positus, illo modico tempore quietem eorum procurat! Non sic hodie multi pastores faciunt, qui subditis vigilantibus et in agonia positis, dormiunt suaviter et quiescunt. Dum ergo videbis discipulos dormientes in tanto periculo, et Dominum vigilantem, si devotus es, multa invenire poteris quæ dicas tam Domino tuo, quam discipulis suis. Videbat tandem a longe adversarios suos venientes cum facibus et armis, nec tamen discipulos excitavit, nisi cum prope et quasi juxta eos fuerunt. Tunc autem evigilans discipulos, dixit eis : *Sufficit,* scilicet quia jam quievistis, et satis dormivistis; ergo parum est dormiendum; unde quidam Patres, non nisi stando vel sedendo somnum capere permodicum consueverunt. Ter discipuli dormiunt, et ter Dominus orans eos suscitat : quæ trina dormitio et suscitatio, tres mortuos quos Dominus suscitavit significat. Et subjunxit : *Venit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Ubi *Origenes* : « Sed et nunc Jesus in manus peccatorum traditur, quando hi qui videntur in Jesum credere, habent eum in manibus suis, cum sint peccatores; sed et quotiescumque justus habens in se Jesum, in potestate factus fuerit peccatorum, Jesus est traditus in manus peccatorum : » hæc *Origenes.* Subdit vero : *Surgite, eamus,* scilicet obviam Judæ proditori, et suis complicibus : *Ecce appropinquat qui me tradet,* quem nolo declinare, quamvis possem hoc facere. Ac si diceret : Non nos inveniant latentes, ac quasi timentes et retrahentes; ultro eamus eis obviam, et pergamus ad mortem; ut passuri confidentiam et gaudium videant, et Passionem omnino voluntariam sciant. Ultro nos debemus offerre, quando non expedit mortem effugere; ubi ostenditur Christi desiderium ad nostram redemptionem, quia non solum proditorem cum turba venientem exspectavit, sed etiam eis occurrit; ubi etiam docet, ut si tribulari nos oportet, cum gaudio et confidentia sustineamus. — Moraliter quoque, monet nos ad tria : primo, ad tentationes nos præparare, cum dicitur : *Surgite;* secundo, in bonis operibus proficere, cum subditur : *Eamus;* tertio, omni hora quasi tentationem proximam exspectare, cum additur : *Ecce appropinquat,* vel *prope est, qui me tradet.*

14 Adventus Judæ et cohortis armatæ. — *Et, adhuc eo loquente* cum discipulis suis, *ecce Judas,* mercator pessimus, *unus de duodecim,* scilicet numero, non merito : quod dictum est ad ostendendum immane facinus illius, qui de apostolica dignitate proditor fuerat factus; accepta a Præside cohorte militum Gentilium, quorum intererat capere malefactores, cum tribuno qui præerat eis, venit; *et cum eo turba multa* Judæorum ministrorum, *missi* et accepti *a* pontificibus ac *principibus sacerdotum, et senioribus populi* crudeli utique et pessima societate impiorum, tamquam ad tenendum reum. Et *antecedebat eos* veluti ductor eorum, qui volebant comprehendere Jesum. Et prædicta cohors *venit illuc, cum laternis et facibus,* ut si in tenebris latere vellet, his quæreretur; necnon, *cum gladiis, fustibus et armis,* ut captionem ejus impedire volentibus his resisteretur. Secundum *Hieronymum,* incumbit virtuti seculi, qui desperat de adjutorio Dei. Habebat itaque Judas fulcimentum ab utraque curia, scilicet Imperatoris Romani et Pontificis, quasi servato ordine legitimæ potestatis, ut nemo tenentibus auderet obsistere, cum hinc milites Præsidis, inde ministri Pharisæorum, qui in Lege summi et judices videbantur, illum tenerent; vel, etiam si quis auderet, contra tot non posset : timebant enim plebem, ne per hanc defenderetur contra eos; et ideo etiam nocte traditur, ut sine turbis, quæ in die frequenter propter instructionem aderant, inveniretur. Antequam autem Judas, *qui tradidit eum,* cum turba veniret ad hortum, ubi Jesus cum discipulis erat, *dedit eis signum, dicens* : *Quemcumque osculatus fuero, ipse est,* scilicet Christus,

*tenete eum,... et ducite caute*, scilicet cavendo a populo, ne superveniens eum de vestris manibus eripiat, populus enim communis devotionem ad eum habebat. Hoc autem fecit Judas, et propter Romanorum milites, qui Christum non cognoscebant; et propter alios, ne loco Christi caperent Jacobum minorem, qui in facie Christo simillimus erat, propter quod specialiter frater Domini dicebatur; et quia timebat ne se transformaret, et de manibus eorum elaberetur, quia pluries detentus ab ipsis pertransiit, nescientibus eis; et ideo osculari eum voluit, ut in osculando teneretur ne evaderet.

15 Christus obvians eos interrogat, et ipsi retrorsum in terram cadunt. — Et cum venissent ad hortum, tunc *Jesus sciens omnia quæ*, ex dispositione divina, *ventura erant super eum, processit,* ultro in occursum illorum, sicut paratus ad Passionem. Ex quo patet, voluntarie eum captum fuisse et passum; discipuli quoque sequebantur illum timentes, sed ipse confortabat eos ne timerent. Unde ait *Anselmus* : « Quam promptus, bone Jesu, spiritus tuus ad Passionem fuerit, evidenter ostendisti, quando venientibus una cum proditore tuo viris sanguinum, et quærentibus animam tuam cum laternis, et facibus, et armis, per noctem ultro occurristi. » *Et dixit* Jesus occurrentibus, offerens se voluntarie *eis : Quem quæritis?* Non interrogat, quasi sit ignarus voluntatis eorum; sed mori paratus interrogat, ut sciant esse eum quem quærebant. *Responderunt ei : Jesum Nazarenum.* Non erat quærendus ad mortem, quem profitentur esse salutis auctorem; nec erat persequendus, quem dicunt esse florem honoris et honestatis. *Dicit eis Jesus,* semetipsum manifestans et offerens : *Ego sum,* scilicet quem quæritis. Quasi diceret : Quid pro signo sumitis osculum proditoris? Quid quasi latentem me quæritis cum facibus et laternis? *Ego sum.* Non se occultavit, nec se abscondit; sed magis quærentibus obviam fuit, et se ostendit. Ubi *Chrysostomus* : « Fecit autem hoc Jesus, ostendens quoniam non solum comprehendere eum non possent; sed nec videre in medio existentem, nisi ipse concederet : » hæc *Chrysostomus.* Virtute enim divina factum est, ut venientes ad capiendum eum, primo non cognoscerent, etiam suus discipulus qui venerat ad tradendum, quod maxime est potentiæ ejus ostensivum; ut per hoc secundo ostenderetur quod de voluntate sua caperetur, quia incognitus ab eis recedere poterat, si voluisset. Sed et manifestius patet per hoc quod subditur : *Ut ergo dixit eis : Ego sum,* audito verbo virtutis et divinitatis, quod est ei cum Patre et Spiritu Sancto commune, a voce tonitrui hujus formidantes, *abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram* resupini, tam Judas quam alii, potentia divinitatis ipsius dejecti : ita erat eis importabile quod dicebatur; item ideo, ut etiam quantum in se est, daret Judæis materiam conversionis, viso tali potentiæ suæ miraculo; et ideo cum statim ad ostensionem suæ potentiæ conversi non fuerunt, se eis capiendum sponte obtulit. Ceciderunt retrorsum, et resupini, sicut cadunt iniqui; non ante et in faciem, sicut cadunt justi : qui autem ante se cadit, videt quo cadat; qui autem retro cadit, non videt sui casus periculum. Iniqui ergo retro cadunt, quia non vident sui casus miseriam, et quo eos sequatur; justi vero qui in istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt, ut in invisibilibus erigantur, in faciem suam, et ante cadere dicuntur, quia casum vident, et timore compuncti humiliantur. Hinc ergo pensandum est, quam aspera erit vox irati, cujus verba dulcia pati non potuerunt; hoc autem factum est ex divina ordinatione, ut per hoc declararetur virtus suæ divinitatis. Unde *Augustinus* exclamans ait : « Ubi nunc militum cohors, et ministri principum ac Pharisæorum? Ubi terror, et munimen armorum? Nempe una vox dicentis : *Ego sum*, tantam turbam odiis ferocem, armisque terribilem, sine telo ullo percussit, repulit, stravitque virtute divinitatis latentis : Deus enim latebat in carne. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc

potuit? » hæc *Augustinus*. Poterat Christus omnes hostes suos destruere, si vellet se defendere, sed noluit nisi ad modicum eos prosternere; hoc ideo fecit, ut ostenderet se mortem voluntarie sustinere, quia si vellet reniti, non possent eum capere, vel tenere. Hæc hostium Christi victoria fuit olim in Samsone, et Samgar, et David præfigurata. Samson cum mandibula asini stravit mille viros; et Samgar cum vomere interfecit viros sexcentos; et David uno impetu occidit viros octingentos. Sed si isti Dei adjutorio tot hostes prostraverunt, non est mirum quod coram Christo omnes hostes corruerunt. Et cum tremuli surrexissent, *iterum ergo eos interrogavit : Quem quæritis?* Quæstionem iterat, ut fideles sua Passione liberandos ostendat. *Illi autem,* adhuc in malitia sua perseverantes, *dixerunt : Jesum Nazarenum.* Non enim cognoscere, vel capere poterant eum donec ipse vellet, propter hoc subditur : *Respondit* eis *Jesus : Dixi vobis, quia ego sum,* qui voluntarie me offero; et tunc habuerunt ipsius notitiam, et capiendi licentiam, propter quod sequitur : *Si ergo me quæritis*, scilicet comprehendere, faciatis id quod intenditis, sed tamen *sinite hos*, scilicet discipulos meos, *abire*; quia non est tempus modo, quod tollantur de mundo. In quo patet quod ipse dedit eis potestatem capiendi eum; nam sicut ex sua potentia discipulos suos servavit, ita et multo magis seipsum servare potuisset. Quasi diceret : Sic do vobis potestatem me capiendi, ut tamen meis discipulis non faciatis aliquid mali. Hoc dixit, quia servandi erant discipuli, ut verbum salutis per eos divulgaretur; usque ad ultimam horam ejus, quam ad eos habuit dilectionis conservantiam demonstravit : per hoc ostenditur quod superiores debent suos subditos fideliter adjuvare; et pro eorum defensione se mortis periculo exponere. Faciunt, ut ait *Augustinus*, quod jubet, sinunt eos abire quos non vult perire; *ut impleretur sermo quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

16 Osculum Judæ. — *Et* tunc, *confestim accedens*, ille nequam, *ad Jesum*, et Dominum suum subdole salutans, *dixit : Ave, Rabbi*; *et osculatus est eum.* Accessit tamquam domesticus, sed fur erat; salutavit tamquam discipulus, sed insidiator erat; osculatus est tamquam amicus, et inimicus erat. Dicitur quod erat consuetudo Judæorum, in adventu suo osculari, ad significandum quod ingressus erat pacificus, et quod moris erat Domini Jesu discipulos, quos emittebat, in osculo pacis recipere redeuntes; et propterea proditor illis osculum in signum dedit, et alios tamquam dux exercitus, et ductor ad malum præcedens, cum osculo ficto rediit. Quasi diceret : Non sum ego cum istis armatis, sed rediens more solito te osculor, et dico : *Ave, Rabbi.* O vere proditor! Huic similes sunt multi prælati, qui verbo vel facto alios scandalizando et post se trahendo antecedunt ad malum, et ideo etiam antecedunt ad infernum. Judas beneficiis Christi abutens, mala pro bonis reddebat; cui etiam similes sunt, qui similia facere non erubescunt. Secundum *Bedam*, suscepit osculum Dominus, non quod simulationem nos doceat, sed ne proditorem fugere videretur, et plus afficeret proditorem, cum amoris officium non negaret; simul et illud Psalmistæ complens : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Suscepto autem osculo, *dixit illi Jesus : Amice, ad quid venisti?* Vocat eum amicum, secundum statum pristinum, amicabiliter enim fuit electus a Domino in Apostolum. Ac si diceret : Ad quod scelus dilapsus es, ut discipulus traderes Magistrum, et dum esses Apostolus, factus es traditor? Vide quid feceris, et considera finem tuum malum; vel, amice, quia diligo te, sed inimice, quia me tradis. Vel, vocat eum amicum ironice improperans simulationes, tamquam, secundum *Augustinum*, diceret : Oscularis et insidiaris, novi quare veneris; amicum fingis, cum proditor sis; ostendis amicitiam signo, et agis proditionem de facto. Amicitiæ signis proditores utuntur, ut eorum dolus latentius peragatur. Unde apertius *Jesus dixit* illi :

*Juda, osculo Filium hominis tradis,* id est in signo caritatis, proditionem homicidii facis? Infelix signum, ubi per pacem bellum, per osculum homicidium, per salutationem condemnatio procuratur! Ubi *Ambrosius :* « Illud plus confutat ingratum, quod eum tradiderit, qui cum esset Dei Filius, propter nos Filius hominis esse voluisset. Quasi diceret : Propter te suscepi, ingrate, quod tradis, hypocrita. » Et, secundum eumdem *Ambrosium,* quasi amantis affectu Christus corripuit proditorem; et ideo etiam, secundum *Chrysostomum,* proprium nomen posuit, quod magis dolentis erat et revocantis, quam provocati ad iram. Unde ait *Anselmus :* « Signo quod acceperant a duce flagitii, teipsum manifestasti. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris tui cruentam bestiam aversatus non es, sed os in quo dolus inventus non est, ori quod abundavit malitia dulciter applicuisti. O innocens Agne Dei, quid tibi et lupo illi? *Quæ conventio Christi ad Belial?* Sed et hoc benignitatis tuæ erat, Domine, ut omnia illi exhiberes, quæ pravi cordis sui pertinaciam emollire potuissent. Nam et veteris amicitiæ illum commonuisti, dicens : *Amice, ad quid venisti?* Et horrore sceleris sui cor impium ferire voluisti, cum dicebas : *Juda, osculo Filium hominis tradis?* » hæc *Anselmus.*

17 Quinam sunt Judæ similes? et tria illius traditionem amaram reddentia. — Hoc idem potest dici cuilibet indigne sumenti Corpus Christi, scilicet : Juda, osculo Filium hominis tradis. Moraliter, Judas est mundus, qui quando ad libitum dat divitias, tunc ridet; quando dat solatia, et delicias, tunc osculatur; quando dat honores, tunc amplexatur; sed omnibus istis modis nos decipit, et morti æternæ nos tradit, teste beato Job qui dicit : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt.* Vide hic maximam mansuetudinem Domini, quia osculum proditori suo dedit, et verbis blandi similis alloquens amicum ipsum vocavit. O quot sunt hodie tales, qui videntur amici esse Domini, et non sunt ejus amici! Amicis enim suis omnia nota facit, scilicet : mundum contemnere, carnem domare, et diabolum cum suis tentationibus vincere. Sed multi abeuntes retro, post concupiscentias suas, cum Juda proditore abierunt ad pœnas. Quot sunt etiam hodie, qui inter se videntur amici, sed sunt ficti et pejores quam inimici aperti! Inimicus enim manifestus melior est quam amicus fictus; ille dum timetur, facile vitatur; iste prævalet dum non cognoscitur. In isto autem articulo traditionis et osculi exprimuntur tria, quæ specialiter traditionem istam reddebant Christo multum dolorosam, et factum Judæ aggravabant valde. — Primum est, quod fiebat a suo servo, a suo discipulo, et uno ex duodecim, de toto mundo ad tantam dignitatem Apostolatus specialiter electus ab eo. Ubi, secundum *Ambrosium*, servus Dominum, discipulus Magistrum, electus auctorem prodit. — Secundum est, quod signo pacis et amicitiæ, scilicet osculo, tam fraudulenter et dolose tradebatur. Unde idem *Ambrosius* : « Amoris pignore vulnus infligis, et caritatis officio sanguinem fundis, et pacis instrumento mortem irrogas. » — Tertium est, quod illud fœdum os proditoris, utpote cujus cor Satanas, ex omni spurcitia repleverat, tam amorosum et mellifluum os Verbi æterni contingere audebat. Et tunc, ut ait *Chrysostomus* : « Agno miti basia lupus dedit venenosa. »

18 Tria documenta ex Judæ proditione, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo tria habemus documenta. Primum est, ut caveamus ne et nos Christi proditores efficiamur, quia, ut dicit *Origenes,* omnes proditores veritatis, amare veritatem fingentes, osculi signo utuntur; omnes etiam hæretici, sicut Judas, Jesu dicunt : *Ave, Rabbi.* Item, Christum quis dolose salutat, et tradit osculo : in proximo, vel etiam in seipso. In proximo quidem, dum quis proximum diligere se simulat, et malum contra eum machinatur, quam traditionem sibi Christus assumit, juxta illud : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Item, Christum dolose cum Juda salutat, et osculatur, qui

proximo suo promittit et non servat; vel, fraudulenter adulatur. In seipso etiam Deum salutat, et osculo tradit, qui ore dicit *se nosse Deum* et credere in eum, *factis autem negat*. Item, cum Juda Dominum salutat, et osculo tradit, qui cum mortali peccato ad Corpus Domini accedit. — Secundum est, ut discamus patienter ferre malorum hominum fraudulentias, sicut Christus patienter sustinuit proditoris sui fallacias. — Tertium est, ut calumniatores nobis malum imprecantes non odiamus; sed amantis affectu, exemplo Christi, eos corripiamus. — In recolendo hunc articulum de falso osculo Judæ, poterit homo per contrarium cum sincera fide et devotione osculari pedes Crucifixi, indignum se reputans osculo oris, ad quod ille infelix Judas accedere præsumpsit. Quod si imaginem Crucifixi ante se non habeat, osculetur terram, repræsentando hoc idem, et aliter prout Deus inspirabit : *O Domine Jesu, qui a Juda osculo tradi pertulisti, da mihi numquam in proximo, vel in memetipso, te tradere ; et calumniatoribus meis, et insidiatoribus, ac proditoribus fraterni amoris officium non negare.*

19 Figuræ proditoris osculi. — Ista autem iniqua salutatio Christo facta olim fuit in Joab et Amasa præfigurata. Joab Amasam salutans, dolosa mente fratrem vocabat; et Judas Christum salutans, iniqua intentione Magistrum appellabat. Joab dextera mentum Amasæ quasi deosculans tenebat, et in sinistra gladium educens ipsum perimebat; sic Judas, quasi dextera mentum Christi tenuit : *Ave, Rabbi,* blande sibi dicens, et quasi sinistra gladium eduxit, et ipsum perfodit, insidias sub verbis blandis occultans. — Judam et Judæos, malum pro bono reddentes, olim Saul præfiguravit, qui genero suo David malum pro bono reddidit. David hostem Saulis, scilicet Goliam, superavit, et in multis ei utilis fuit; sed Saul sibi tamquam hosti insidias paravit, et ei mortem inferre affectavit. Sic Deus Pharaonem et inimicos Judæorum sæpe devicit, et semper eis profuit; nunc autem in mortem ejus arma parant, et ad occidendum eum se armant. — Similes etiam sunt isti poditores Cain, qui fratri suo sine causa invidit, et ipsum qui nihil mali sibi fecerat occidit. Cain quippe eduxit fratrem suum Abelem verbis blandis et eductum crudeliter interfecit; sic et Judas verbis blandis Christum, fratrem nostrum, et patrem salutavit, et hostibus ad interficiendum nequiter præsentavit.

20 Fervor Petri in aggrediendo Malcho a Christo reprehenditur. — Et, cum Petrus ceteris ardentior, servo Pontificis, cui nomen erat Malchus, qui ad Christum capiendum magis de prope se ingerebat, et ferocius instabat, auriculam dextram ob zelum amputasset, putans eum magis lædere et graviter vulnerare, vel ei caput amputare et interficere, sed divina dispositione ictus declinavit et relapsus est ad aurem, Dominus eum a læsione adversariorum compescuit, dicens : *Converte gladium tuum in locum suum,* seu *in vaginam*; veluti non esset locus defensionis, sed patientiæ, nec ei licitus usus gladii materialis. Quasi diceret : Noli eo uti ad defensionem meam, quia non licet viris apostolicis uti gladio materiali. Ubi considerandum, secundum *Chrysostomum*, quod licet Christus Petro et aliis discipulis prius præcepit, dicens : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram,* ex sermone tamen Christi, quem fecit post cœnam, Petrus in tantum amorem exarserat, quod de illo præcepto non recolens solam Magistri sui defensionem intendebat. Ex hoc autem quod Christus defensionem prohibuit, ostenditur ejus promptitudo quam ad patiendum habuit; nam recondi gladium præcipit, ut patientiam, non vindictam doceat. Unde *Rabanus :* « Oportuit, ut auctor gratiæ fideles patientiam suo doceret exemplo ; et potius ad sustinendum adversa fortiter instrueret, quam ad vindicandum provocaret. » Prohibet ergo Dominus defensionem armorum, ne clericus armis pugnare præsumat. Unde *Ambrosius :* « Arma mea sunt

lacrymæ et orationes; aliter non possum, nec debeo, resistere. » Sed heu! hoc hodie multi prælati parum attendunt, qui regalia a regibus ad pugnandum accipiunt, cum potius reges ab eis cilicia ad pœnitendum accipere deberent. Et adjecit Dominus : *Omnes enim qui acceperint gladium*, id est usi fuerint gladio, scilicet propria auctoritate et nulla superiori aut legitima potestate vel jubente, vel concedente, seu injuste et pro crudelitate vindictæ, non juste et amore justitiæ; *gladio peribunt*, id est ipsa vindicta erit eis causa perditionis, quia digni sunt gladiari. Quicumque molitur lædere alium, semetipsum proprio jaculo percutit : *Et incidit in foveam quam fodit*. Et subdit Dominus : *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Tamquam sibi dicat : Per aliam viam possum evadere, si vellem; non indigeo auxilio duodecim Apostolorum, qui possem, si vellem, habere duodecim legiones Angelorum. Cum ergo posset accipere legiones, nolebat accipere; ut per patientiam ejus implerentur Scripturæ, prophetantes de ipso, quoniam ita eum pati conveniebat ad nostram redemptionem : quia etsi nostræ liberationis alius modus fuisset possibilis, nullus tamen ita conveniens, et ideo non erat locus defensionis et resistentiæ, sed magis patientiæ. Non solum autem minis eum cohibuit; sed et aliter consolatur eum, dicens : *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Quasi dicat : Si recte sapis, debes voluntatem tuam divinæ voluntati conformare; aliter enim eris Satanas, non sapiens quæ Dei sunt. Secundum *Chrysostomum*, in eo quod Dominus ipsam mortem calicem dicit, quam sit grata et acceptabilis pro salute mortalium mors, ut videtur, edisserit.

21 Sanatio servi et blanda Christi allocutio ad turbas. Jesus autem servum sanavit, auriculam ejus tangendo et ei restituendo, ut adimpleret quod præceperat : *Benefacite his qui oderunt vos*. In quo maxima Christi Salvatoris caritas et pietas apparet, et benefica virtus ejus ostenditur, quam exhibet hostem suum, qui ad ipsum comprehendendum venerat, sanando; et per hoc inimicos eum persequentes ad fidem admonendo, et insuper discipulos in fide confirmando; et nos, quia noluit quemquam propter se lædi, ut inimicis nostris beneficiamus instruendo. In hoc etiam suam virtutem et potestatem revelat, quod non de necessitate, sed voluntarie captus esset. Ubi *Beda* : « Numquam enim pietatis suæ Dominus obliviscitur, qui etiam hostes suos non patitur vulnerari. Illi justo mortem inferunt; iste persequentium vulnera sanat, mystice docens et ipsos, si convertantur, posse sanari, qui in suæ sunt mortis consensione vulnerati. » Tunc, *in illa hora Jesus* convertit semetipsum ad turbam, non impatienter, sed rationabiliter eam alloquendo, atque lamentabiliter, et quasi ad lamentum auditores provocando *dixit turbis* : *Tamquam ad latronem existis, cum gladiis et fustibus comprehendere me*. Quasi diceret : Sine causa fecistis hoc. Cujus rationem statim assignat, dicens : *Quotidie*, id est frequenter, pacifice, et sine armis, *apud vos sedebam docens in templo*, in loco ubi potestatem habetis; et tunc sine violentia armorum me comprehendere potuistis, *et me non tenuistis* : tunc nec cepistis, quia nolebam; sed nec nunc possetis, nisi permitterem, et me sponte vestris manibus subjicerem. Ubi *Remigius* : « Ac si diceret : Latronis officium est nocere, et latitare; ego vero nemini nocui, sed plures sanavi, et in synagogis semper docui. » Ubi et *Hieronymus* : « Stultum est, inquit, eum cum gladiis et fustibus quærere, qui ultro se tradebat vestris manibus; et nocte quasi latitantem, et vestros oculos declinantem, per proditorem investigare, qui quotidie in templo docebat. » Ideo autem, ut dicit *Chrysostomus*, eum in templo non tenuerunt, quia non ausi erant propter turbam, propter quod et Dominus foras exivit ut ex loco et tempore daret aptitudinem se capiendi. Hic, secundum *An-*

*selmum*, mansuetudo Domini notanda est, quæ tam dulciter persecutores suos allocuta est, tam dulci allocutione redarguit : ut ipsorum nequitiam compesceret, et nos ad imitationem suæ benignitatis utiliter invitaret. Et subdidit Dominus : *Sed hæc est hora vestra*, id est vobis concessa ad me comprehendendum, *et potestas tenebrarum* harum; quia diabolus princeps tenebrarum incitabat eos ad hoc faciendum, et hæc potestas est tenebris data, id est diabolo et Judæis insurgendi in Christum. Et ideo adversum me in tenebris congregamini ; et potestas vestra, qua contra lucem armamini, in tenebris est.

22 Voluntaria Christi captivitas, duo documenta ex ea, actus conformationis et oratio. — Ut autem ait *Theophilus* , peractis cunctis quæ sufficienter se habebant ad prohibendum Judæos, cum illi hoc nequaquam discernerent, tunc duci se permisit. Unde dicitur , *cohors ergo* militum, *et tribunus*, qui eis præerat, *et ministri Judæorum*, accesserunt, sicut lupi ad agnum, unanimiter et impetuose; et *manus* sacrilegas *injecerunt* in *eum*, scilicet Jesum omnium Salvatorem, irreverenter et indebite; et *comprehenderunt*, *et tenuerunt eum*, ipso permittente : quando enim voluit tentus est, et non ante, et sic fuit captivatus propria voluntate. Nam, ut dicit *Remigius*, frequenter eum comprehendere voluerunt, sed non potuerunt, sicut nec nunc potuissent, nisi ipse voluisset. Sicut enim eos solo verbo prostravit ; sic solo verbo eos fugare, vel annihilare potuisset, si voluisset. Ex quo patet obstinatio eorum, quia non fuerunt aversi a suo malo, visis prædictis signis ; sed magis attribuebant artibus magicis. Cogita hic quod si pœnale est cuilibet homini capi, pro eo quod per captivitatem adimitur homini libertas : tam conditionis, quia redigitur in servitutem captivatoris, secundum leges civiles, quam actionis, quia captus non potest facere quod vult ; quanto magis pœnale fuit Christo, qui est Dominus cœli et terræ, et quem cœli et terra capere non poterant, violentorum quantum ex parte ipsorum erat, manibus capi et teneri ! — Ex hoc articulo habemus morale documentum, quod sicut Christus amore nostri semetipsum voluntarie tradidit captivum Judæis ; sic et nos pro ejus amore nosipsos, id est omnes sensus nostros debemus captivare in obsequium Jesu Christi, videlicet : ut oculi captiventur ab illicito visu, aures a noxio auditu, lingua ab otiosis et nocivis locutionibus, manus a malis operibus, pedes a vano et vago incessu, maxime ad peccandum. Sicut enim Christus fuit captivatus, ne quo vellet posset abire ; sic homo seipsum debet captivare, ne sequatur concupiscentias carnis, et sensualitatis appetitum ad nociva trahentem. Cor etiam captivetur a malis cogitationibus ; intellectus ab erroneis sensibus et falsis dogmatibus ; voluntas ab omnibus a divina voluntate discrepantibus. Unde Apostolus : *In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi* ; ubi per omnem intellectum possunt omnes sensus, et vires animæ ad operationem intellectus deservientes accipi. — Alius documentum est huic connexum, quod homo libenter debet esse captivus Christi, ut mortem evadat æternam. Sicut enim homo in belli periculo constitutus, libenter dat se alicui nobili et benigno domino captivum, ne ab aliis ferocibus occidatur ; sic nos in hac vita sicut in bello constituti, quia *militia est vita hominis super terram*, tradamus nos benigno Domino Christo captivos, qui non est Dominus mortuorum, sed vivorum ; ne ab hostibus æterna morte ferociter occidamur. — In recolendo hunc articulum recogitet homo, se quasi in campo bellico cum hostibus conclusum, nec posse evadere potentiam adversariorum, id est dæmonum, nisi se tradat Christo benignissimo Domino in servitutem captivum ; et sic aliquo gestu corporis tradat se totum Christo captivum, clamans, et dicens ad eum : *Jesu, qui a Judæis in te manus sacrilegas injicientibus, sponte capi et teneri voluisti, da mihi omnes, sensus viresque in obsequium tuum*

*jugiter captivare, ut a morte perpetua bonitate tua merear præservari.*

23 Cur Dominus vinculis ligari voluerit ? — *At illi tenentes Jesum*, et dulces illas manus suas vinculis stringentes, *ligaverunt eum* ignominiose quasi latronem, et morte dignum, a quo potius solvi velle debuerunt. quia omnium venerat absolvere vincula infirmitatum et peccatorum, ac mortis et inferni. Et erant forte in eis qui postea liberati ab eo dixerunt : *Dirupisti, Domine, vincula mea.* Ecce adest Joseph ligatus venditus a fratribus; et Samson vinctus a Dalila, id est a synagoga. Unde *Anselmus* : « Sed ecce jam proditorem præeuntem impiorum turba prosequitur ; et osculum præbente Juda, manus injiciunt in Jesum. Dominum suum tenent ligatum, et illas dulces manus vinculis stringunt. Quid fecerat ? Scio, occupat nunc cor tuum pietas, omnia viscera tua zelus inflammat. Sine, rogo, patiatur, qui pro te patitur. Quid optas gladium ? Quid irasceris ? Quid indignaris ? Si instar Petri cujuslibet auriculam absciderís, si ferro brachium tuleris, si pedem truncaveris ; ipse restituet omnia, qui etiam, si quem occideris absque dubio suscitabit : » hæc *Anselmus*. Ligaverunt autem eum propter tria : primo, ne manus eorum effugeret, dixerat enim eis Judas, quod eum tenerent, et caute ducerent ; secundo, ut eum morte dignum ostenderent, quia mos erat Judæis, ut quem morte dignum judicarent, vinctum Præsidi traderent ; tertio, propter mysterium, licet ipsi hoc ignorarent, quia enim Christus nos peccatis ligatos, et in limbo vinculatos solvere debebat, ideo ipsum pro nobis ligari oportebat, cujus vinculis liberati sumus. Voluit quippe Christus, tamquam latro comprehendi, et ligari. Adam enim cum latrocinio furtum commisit. quando pomum sibi vetitum attrectavit, nam furtum est contrectatio rei alienæ, invito domino ; et hujus rei causa, totum genus humanum a diabolo comprehensum tenebatur ligatum, pro cujus satisfactione Jesus tamquam latro voluit comprehendi, qui incomprehensibilis est, et ligari, qui ligatos venit solvere et vincula eorum dirumpere. Et nota, quod Christus Filius Dei, tamquam latro cum latrone, scilicet Barraba est captus, inter latrones crucifixus, a latronibus occisus, propter latrones passus, solvens quæ non rapuit. Legitur autem Dominus ter ligatus : primo, statim cum captus esset in horto Gethsemani, et duceretur ad Annam; secundo, cum de Anna duceretur ad Caipham ; tertio, cum duceretur de Caipha ad Pilatum, namque, secundum *Bedam*, potuit fieri, ut ad horam solveretur, quatenus discuteretur, et post hæc discussus iterum ligaretur ; quarto, potest addi. quod etiam Dominus ligatus fuit ad columnam cum flagellaretur, licet hoc in Evangelio non exprimatur ; insuper in cruce clavis fuit vinctus, et sic etiam ligatus.

24 Quinque documenta ex ligatione Domini, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo trahuntur plura documenta salubria. Primum est, quia sicut dictum est, Dominus ligari voluit, ut ipse peccatorum nostrorum vincula solveret ; ideo nos debemus esse grati de solutione nostra, et cavere, ne rursus eum nostris peccatis ligemus, quod fit quotiescumque mortaliter peccamus. Manus etiam Christi videntur cum funibus peccatorum colligare, qui non credunt Deo, quod possit eis necessaria sua dare. — Secundum est, quod Christus ligari voluit, ut nos sibi alligaret vinculo caritatis, unde studeamus et nos sibi tam fortiter caritate astringi, ne leviter ab ipso possimus separari ; ipsa enim caritas est vinculum, in quo anima Deo alligatur. — Tertium documentum est, ut nos ligemus omnia membra nostra, et ipsam linguam funibus præceptorum Dei, ne laxentur ad aliqua contraria divinis præceptis, vel divinæ voluntati, et nihil operemur, aut loquamur, quo Deus vel proximus offendatur. — Quartum est, ut simus vinculo fraternæ caritatis proximis colligati, ita ut omnem gratiam divinitus acceptam studeamus eis impartiri, sicut Apostolus omnes fideles hoc vinculo sibi colligatos habuit, eosque

socios sui gaudii esse cupivit. — Quintum est, quod nos volentes sequi Christum, debemus nosmetipsos ligare vinculo professionis obedientiæ, propter eum qui pro nobis voluit ligari, ita ut amplius pro nostro velle nos movere non possimus; et sic cum Isaac colligati, et in altari mactationis propriæ voluntatis positi, quotidie in holocaustum vivum Deo immolemur. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo qualiter Dominus ligatus fuit, propter vincula peccatorum nostrorum solvenda, et ut vinculo caritatis nos sibi alligaret; et poterit in recompensam aliquam seipsum Deo ligare aliquo bono proposito, vel etiam voto. Quo si jam ligatus sit in religione, vel alias, desideret a Deo adjuvari ad perficiendum hujuscemodi obligationem ad laudem suam. *O Jesu, qui iniquorum manibus ligari voluisti, absolve, quæso, nostrorum vincula peccatorum; atque ita caritatis vinculo præceptorumque tuorum funibus me constringe, ne umquam membra corporis mei, aut vires animæ meæ laxentur ad quævis contraria tuæ voluntati.*

25 Discipulorum fuga, fide in sola Maria remanente. — *Tunc*, capto scilicet et ligato Domino, *discipuli omnes* perterriti, *relicto eo*, *fugerunt*, et Magistrum suum sicut latronem ad victimam deduci, dimiserunt; sicut prædixerat eos scandalum in se passuros. Comprehenso pastore, disperguntur oves; capto Magistro, fugiunt discipuli. Unde *Beda*: « Impletus est sermo Domini, quo dixerat, quod omnes discipuli scandalizarentur in illo in ipsa nocte. » Unde et *Hieronymus*: « Tunc adimpletum est : *Elongasti a me amicum et proximum ; et notos meos a miseria.* » Ut autem dicit *Theophilus*, permittit eos Dominus cadere, ut non in seipsos confidant. Unde *Remigius*: « In hoc facto demonstratur fragilitas Apostolorum. Qui enim de ardore fidei promiserant se mori cum eo, timore fugiunt, immemores suæ promissionis. » Quod etiam videmus impleri in his, qui pro amore Dei magna se promittunt facturos, et postmodum non implent; non tamen desperare debent, sed cum Apostolis resurgere, et per pœnitentiam resipiscere. Ubi *Rabanus*: « Mystice autem, sicut Petrus, qui culpam negationis pœnitentiæ lacrymis abluit, recuperationem eorum ostendit qui in martyrio labuntur; ita ceteri discipuli, qui articulum comprehensionis fugiendo prævenerunt, cautelam fugiendi docent eos qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt, quibus tutius latere, quam se discrimini certaminum exponere. » Sed quare Judæi non comprehenderunt Apostolos, et maxime Petrum, qui percusserat cum gladio? Dicendum est, quod nihil eos detinuit, nisi virtus divina, quæ etiam prostravit eos resupinos. Tunc omnes discipuli peccaverunt, et in fide per illud triduum exstincti fuerunt, præter beatam Virginem, in qua sola fides Ecclesiæ inconcussa permansit; ob cujus repræsentationem in matutinis illius tridui omnes candelæ exstinguuntur, excepta una sola, quæ remanet accensa. In hujus signum etiam denudantur altaria, quia Christus per altare designatus relictus fuit ab Apostolis signatis per ornamenta. In illo etiam triduo officium nocturnum alte cantatur, per quod prophetiæ de Christo signantur; diurnæ vero horæ sub silentio dicuntur, quia Apostoli tunc prædicare non audebant unde et campanæ non pulsantur, quia tunc sonus prædicationis cessavit. A parte montis Sion in vallem Josaphat descendendo, sunt cavernæ Apostolorum, ubi latuerunt tempore Passionis, Christo relicto.

26 Quisnam ille adolescens, qui solus Jesum secutus est, et quosnam designat? — *Adolescens autem quidam sequebatur eum*, scilicet Jesum, *amictus sindone*, id est lintea veste, quæ innocentiam significat, *super nudo*, scilicet corpore; quia non habebat aliud indumentum supra tunicam et ab extra, quam solam sindonem. Hic autem dicitur fuisse Joannes; unde *Beda*: « Juvenem istum nihil vetat intelligi fuisse Joannem, cujus longa post hæc in carne vita indicio est. » *Et tenuerunt eum*, scilicet impii, *at ille*, *rejecta sindone* seu vestimento,

et sic elapsus manibus tenentium, *nudus profugit ab eis*, quorum scilicet et præsentiam detestabatur et facta; non a Domino cujus amorem etiam absens corpore fixum servavit in mente. Nondum quidem infuit in eo perfecta caritas, quæ foras mittit timorem; sed pro tanto plus aliis de amore habuisse videtur, quia plus ceteris Magistrum sequebatur. In facto autem suo, secundum *Bedam*, designat illos, qui, ut securiores ab incursibus hostium fiant, quidquid in hoc mundo possidere videntur abjiciunt, ac nudi potius Deo famulari, quam adhærendo mundi rebus materiam tentandi et a Deo revocandi adversariis dare didicerunt; juxta exemplum Patriarchæ Joseph, qui, relicto in manibus adulteræ pallio, foras exilivit, malens nudus Deo, quam indutus cupiditatibus meretricis servire. Sic Paulus primus eremita, videns alios deficere in exquisitis tormentis fugit, et ad solitudinem se transtulit. Et tu nudus evola ad vexillum crucis, potius quam divitiis alliciaris, et detinearis a mundo, quominus Christum imiteris. Unde ait *Hieronymus* : « Qui vult effugere manus iniquorum, relinquens mente quæ mundi sunt, fugiat post Jesum. » Joannes vero mox, recuperato et resumpto vestimento, rediit, et Dominum ut prius sequebatur. Potuit enim fieri, ut sub dubia noctis luce sese turbis ducentium Jesum, quasi unus ex ipsis immiscuerit, donec ad atrium pontificis, cui notus erat, perveniret. In quo erubescere debemus: Joannes enim sudario simplici, et tenui erat supervestitus ; sed nunc vestes extendimus in perticis, et plicamus in capsis; vestium deportandarum habemus summarios, quadrigas et currus; et etiam earum caudas post nos trahimus, vel portare facimus.

27 Quatuor documenta e fuga Apostolorum, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo, scilicet fuga discipulorum, trahuntur quatuor documenta. — Primum est, quod nos caveamus, ne et nos umquam a Christo, fugiamus. Fugit autem a Christo qui propter timorem humanum, vel ex tentatione diabolica, vel alias propter quamcunque passionem, seu affectionem corruptam relinquit justitiam aut veritatem; nam Christus est justitia et veritas. Et universaliter in omni peccato mortali fugit homo a Deo. — Secundum est, quod si nos aliquando ex fragilitate ad horam a Christo recedamus peccando, non ideo debemus desperare, sed cum Apostolis resurgere, et per pœnitentiam resipiscere. — Tertium est, quia, ut supra dictum est, ex fuga ceterorum discipulorum docetur cautela fugiendi minus idoneis ad toleranda supplicia et adversa, sicut ex pœnitentia Petri ostenditur reparatio lapsorum in martyrio propter illa. — Quartum est, si interdum hi qui videntur amici nostri, et proximi recedant a nobis tempore necessitatis, vel adversitatis, æquanimiter hoc feramus, memores quod Apostoli recesserunt a Christo, his incumbentibus. — In conformando se isti articulo recogitet homo, quantum se elongaverit a Deo peccando, et ruminet illud Psalmistæ : *Quia ecce qui elongant se a te, peribunt ; perdidisti omnes qui fornicantur abs te; mihi autem adhærere Deo bonum est.* — Deinde oret Deum dicendo: *Jesu, qui electos discipulos tuos omnes a te fugere permisisti, suscipe fugitivum servum tuum, et tene virtute omnipotentiæ tuæ, nec sinas me abs te propriæ voluntatis arbitrio evagari.*

28 Pia meditatio super captivitate Domini et dolore discipulorum præsertim B. Mariæ. — Attende nunc diligenter, et vide quomodo Dominus Jesus patitur se capi et ligari, et a discipulis derelictum duci ad mortis supplicium, ac si esset malefactor et omnino impotens ad se defendendum. Cum quanto clamore putas manus in eum injecerunt, quam crudeliter eum ligaverunt, quam dire strinxerunt, et quam irreverenter traxerunt! Considera etiam quomodo discipulis suis fugientibus et errantibus compatitur, et quis fuit dolor quem discipuli amantissimi tunc habuere, quando oportuit quod a Magistro suo dilectissimo separarentur. O quam inviti, o quam tristes, o quam desolati, o qualiter plorantes, o quales

voces et clamores, gemitus et suspiria dantes, sicut orphani et timore perterriti recedebant! Et perpendere potes, quod recedentes dicebant : O Magister bone, o dulcis Pater, o benigne Domine, quomodo ita separamur a te? Quomodo, Pater sancte, filii tui fugiunt a te? Quo ibimus, Domine? Hæc et multa alia dicere poterant. O quoties etiam retro respiciebant, videntes qualiter Dominus suus ligatus et sine honore trahebatur! O quoties se in terram projiciebant, et ad cœlum clamabant! Ex hoc enim magis, et magis eorum dolor augebatur, quia videbant Magistrum et Dominum suum sic viliter trahi, et canes illos pessimos mordentes, et ad victimam eum trahentes, quasi agnum mansuetissimum sine clamore et resistentia sequi. Quis enim tunc doloris aculeus discipulorum corda penetravit, quando videbant dilectissimum Magistrum et Dominum suum tamquam malefactorem duci ad mortem, cum et ille impiissimus Judas pœnitentia ductus, tanta postmodum fuerit ex hoc repletus amaritudine, ut maluerit mori quam vivere? Cogitare potes, si Domina Mater sua ibi fuisset, quid fecisset? O Domina mea, quam mala, et quam amara erit tibi dies crastina, quando audies, et quando videbis tam crudele spectaculum de tuo dilectissimo Filio? O Domine Jesu, quæ anima hæc cogitans potest sustinere, quod non rumpatur præ dolore?

29 Christus primum ad Annam ducitur. — Conspice igitur eum, quomodo ducitur ab illis nequissimis de torrente sursum versus Jerusalem festinanter, et cum impetu, manibus retro e regione dorsi ligatis, et, ut dicitur, catena collo suo imposita, exchlamydatus tunica, non curiose succinctus, capite discoopertus, ac curvus ex fatigatione, et vehementi acceleratione incedens, et quomodo agnus innocens inter lupos ibat mordaces. O quam violenter eum impellebant per vallis Josaphat medium, et ad montis ascensum! Quam fatigatus, et molestiis afflictus, transiit per torrentem Cedron, ut adimpleretur Scriptura quæ dicit : *De torrente*, amaræ scilicet Passionis, *in via bibet!* Et sic, cum impetu, tamquam contra latronem stridentes, et illum percutientes, duxerunt eum per portas aureas, per quas in die Palmarum intraverat; quæ modo clausæ sunt. *Et adduxerunt eum* ligatum tamquam morte dignum, *ad Annam primum*, id est primo. Pluribus autem de causis ducebant eum primo ad Annam. Quarum una est, quia domus Annæ prior eis in via occurrebat, et ideo turpe ei esset, et contemptus videretur, si domum suam antepositam præterissent; vel, forte illuc divertebant, ne in via longiori tumultus in populo fieret; vel, ministri faciebant hoc de voluntate Caiphæ, volens Annam socerum suum honorare, ut divino judicio, qui erant affines sanguine, sociarentur in scelere : *erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*; item, quia Annas senior fuit quam Caiphas, judicium autem primo referebatur ad seniores, ut magis justum appareret coram hominibus, ideo fecit eum Annæ primo præsentari, ut excusabilior esset, si ab Anna condemnatum ipse postmodum condemnaret; item, quia hi duo sacerdotium vicissim a Gentibus emebant, et sibi per annos vicissim succedebant, et utilitatem in communi habebant, et ideo fecit eum præsentari Annæ tamquam conjudici, ad quem scire de judicio pertinebat, et ut Christus magis dignus morte, et per consequens ipse Caiphas minoris culpæ videretur, si alterius quoque consacerdotis sui sententia, et coram judicibus pluribus Christus condemnaretur. Et licet isti pontifices Judæorum non habebant judicium sanguinis, haberent tamen judicium examinis, quia ipsi examinabant causas ad ritus Judæorum spectantes, et postea mittebant ad Præsidem Cæsaris causas sic instructas. Secundum Legem, unus summus sacerdos per totam suam vitam officio pontificii fungebatur, cui post mortem filius succedebat, ut generationis in sacerdotibus series texeretur. Postmodum vero invidia et ambitione principum

crescente, non solum patri non succedebat filius, sed nec ultra annum quis officio fungebatur pontificatus, et hoc ipsum pecunia procurabat a Romanis. Unde hi duo, scilicet Annas et Caiphas, principes sacerdotum erant, licet de tribu Levi non essent, et per vices annuas alternatim sacerdotium ministrabant, quod quolibet anno pro suis vicibus ab Herode, emebant, et erat tunc annus Caiphæ, cum passus est Dominus, quia erat pontifex anni illius, id est administrationem anni illius habebat, quamvis judicium et utilitas judicii communiter amborum esset. Non ergo mirum, si iniqui pontifices inique judicaverunt, et officium pontificatus, tam nequiter adepti, rem sic nefariam gesserunt. Sæpe enim, qui per avaritiam vel ambitionem ad sacerdotium et dignitatem accedit, per injustitiam in eis servatur, et sceleratum initium sic funesto fine consummatur. Vide simonia, ambitione, et schismate sacerdotium synagogæ deperisse ; caveat hæc Ecclesia, ne sibi contingat simile.

30 Novies ductus fuit Christus, unde devotio visitationis novem templorum. — Circa hunc articulum, scilicet ductionem Christi, est considerandum, quod Christus in processione Passionis suæ novies hodie ductus fuit : primo enim, mox ut captus fuit et ligatus, duxerunt eum ad Annam ; secundo, ab Anna ad Caipham ; tertio, a Caipha ad Pilatum ; quarto, a Pilato ad Herodem ; quinto, ab Herode reductus est ad Pilatum : sexto, milites duxerunt illum intro in atrium prætorii, ubi illuserunt ei ; septimo, Pilatus duxit eum foras de prætorio portantem coronam spineam, vestem purpuream et arundinem ; octavo, duxit eum foras prætorium, ad locum ubi sedit pro tribunali ; nono, duxerunt eum ad crucis patibulum : et in qualibet istarum ductionum semper singulares pœnas et contumelias passus est, sicut de singulis in suis locis patebit. Has novem ductiones usque ad meridiem factas, repræsentant fideles, qui hodie usque ad horam nonam circumeuntes visitant novem ecclesias, in memoriam quod Christus, postquam captus fuit, ductus est ad novem loca. Et merito fideles hodie Sanctorum ecclesias visitant, ut ab ipsis beneficia obtinere valeant ; namque Sancti hodie valde liberales esse debent ; quia hodie de carcere fuerunt liberati, et in cœleste imperium sublimati. Si quis enim de carcere liberaretur, et in imperium sublimaretur, illam diem utique multum diligeret, et in illa die multum liberalis esset ; sic et de Sanctis credendum est. Fuit autem ductio Christi violenta, quia manu armata, et cum turba ; fuit et ignominiosa, quia ducebatur vinctus, sicut malefactor, et morte dignus ; fuit etiam dolorosa, quia quantumcumque ipse voluntarie cum eis iret, tamen in fune eum trahebant ac impellebant, et pressuris obruebant, ita ut dicere posset illud Paralipomenorum : *Ex omni parte me premunt angustiæ.*

31 Quatuor documenta ex ductione Christi, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo habentur quatuor documenta. Primum est, quod fideles in die Parasceves visitare debent novem ecclesias, secundum novem ductiones : in prima ecclesia rememorari debent, quid Christus passus fuit coram Anna ; in secunda, quid coram Caipha ; in tertia, quid coram Pilato, et sic deinceps, ut videre potes in ordine supradicto. — Secundum est, quod si quando forsitan causa Dei ducamur ad pœnam, cum patientia toleremus, amore et exemplo ejus, qui pro nobis ductus est innocens, sicut ovis ad occisionem. — Tertium est, quod licet nos aliquando ducamur ad malum pœnæ, numquam tamen patiamur nos duci ad malum culpæ, quia talibus ductionibus nullatenus consentire debemus, imo nec ad hujuscemodi inviti trahi, vel duci possumus ; et ideo, si quando inducamur ad tentationem, nequaquam tamen ducamur in tentationem, scilicet, per peccati consensum. — Quartum est, ut nos simus de facili ducibiles ad viam justitiæ, sicut Christus valde faciliter, imo desideranter ducebatur ad Passionem, non repu-

gnans nec renitens, nec remurmurans, sed sicut ovis os suum non aperiens. — In conformando se isti articulo, recogitet homo quam exprobrabiliter, sicut fur vel latro Christus ductus fuit, et poterit etiam mentaliter visitare novem ecclesias, sicut devotio dabit. Item, formet sibi homo propositum se velle cum gratia Dei ducibilem esse ad omne divinum beneplacitum, et oret, dicens : *Jesu, qui vinctus velut malefactor ab iniquis de loco ad locum exprobrabiliter duci voluisti, da mihi virtutem, ut ad nullum a spiritu maligno, vel ab homine malo seducar peccatum; sed a spiritu tuo bono, ducar ad omnia tuæ beneplacita voluntati.*

32 Petrum Jesum sequens a longe in atrium Pontificis introducitur. — *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus,* scilicet Joannes, sed a longe ex timore. Licet enim isti sicut et alii primo ex timore fugissent, postea tamen ex devotione Jesum secuti sunt, quia ferventiores aliis erant, atque præ ceteris Christum diligebant, et quia major eos ad invicem vis dilectionis uniebat. Quod Joannes et Petrus Dominum ad Passionem euntem sequuntur, significat Ecclesiam de Judæa et Gentibus Domini Passionem secuturam, id est imitaturam, sed a longe et differenter : Ecclesia enim pro se patitur, sed ille pro Ecclesia, et passio Sanctorum a longe imitatur Passionem Christi, quia non est dolor similis dolori ejus. Mystice, per hos duos discipulos duæ vitæ intelliguntur, qui Christum sequuntur, scilicet : activa, quæ per Petrum, et contemplativa, quæ per Joannem significatur; activa quidem Christum sequitur, ei obediendo; contemplativa vero eum cognoscendo et contemplando. *Discipulus autem ille,* scilicet Joannes, *erat notus Pontifici, et introivit cum Jesu in atrium Pontificis,* quia propter notitiam permissus est intrare cum aliis. Causa vero suæ notitiæ hæc esse poterat, quia forte missus a patre suo pisces ad domum Pontificis pluries portaverat : vel, forte quia aliquis de cognatione ejus ibedem serviebat; vel, secundum aliquos, de rege David descenderat, quas genealogias sacerdotes habebant. *Et dixit* Joannes *ostiariæ et introduxit* vel introduci fecit *Petrum,* qui ex timore *stabat foris ad ostium,* quasi præsagiens futuræ negationis factum. Unde dicitur in Psalmo : *Qui videbant me, foras fugerunt a me.* Mystice autem, Joannes introivit cum Jesu, quia vita contemplativa est ei familiaris; sed Petrus foris stabat, quia activa vita circa exteriora occupatur. Per hoc autem quod Joannes fecit introduci Petrum, mystice intelligi datur, quod per contemplativam vitam introducitur ad Christum vita activa ; sicut enim ratio inferior dirigitur per superiorem, ita vita activa per contemplativam. Sequere, et tu, eum usque ad atrium principis, et intra cum eo, si poteris, ut singula quæ fiunt videre merearis. Atrium vocabatur platea sub dio, inter primam portam et secundam, ubi erant ministri principis circumsedentes ad ignem; inter quos *stabat Petrus calefaciens se.* Intus autem erant in concilio principes sacerdotum et Scribæ, et seniores ; et Dominus cum eis, sicut agnus inter lupos. Hic trina negatio Petri fuit inchoata, sed postea in domo Caiphæ consummata, et ideo propter continuationem materiæ, simul omnes tres infra sunt positæ. Ibidem ergo Domino Jesu in bello et conflictu duro et aspero permanente, tu aliquantulum non sine compassione et gemitu dormitabis et quiesces, si tamen poteris hoc facere.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui in agonia sanguinem sudasti, da mihi in ærumna peregrinationis hujus, tecum sudare, ut otiosa non marcescam requie; sed in sudore vultus mei vescar te pane vivo, tuique sudoris sanguinei bal-

samum me ægrotum sanet, et cœlesti curiæ lotum repræsentet; et qui Judæ osculo te tradi in manus impiorum, et ligatum adduci ad Annam permisisti, ac vincula mortis æternæ nobis abstulisti, non permittas me tradi in manus crudelium, et rumpe vincula conscientiæ meæ malæ, ut securus decantem : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Amen.

# CAPUT LX

## DE MATUTINIS, IN PASSIONE DOMINI.

Matthæi cap. XXVI, Marci cap. XIV, Lucæ cap. XXII

et Joannis cap. XVIII.

1 Prima Christi interrogatio. — Hora matutinali excitaberis a somno tuo, plenus lacrymis, atque dolore confectus, propter ea quæ post completorium cogitasti ; et tunc meditaberis, et in spiritu tuo videbis qualiter Dominus tuus sedet inter inimicos despectus et inhonoratus, et a suis discipulis et amicis derelictus, et tot malis hominibus sociatus. O Domine Jesu, quomodo ita sedes tam contemptus et desolatus ? Ubi sunt discipuli tui, et amici ? O unicum bonum meum ! O singulare gaudium meum! Quid faciam cum te sic videam? Certe, Domine, sedebo in terra tecum, et associabo te, quia non video hic qui diligat te, sed potius inimicos tuos insanos et dementes, qui odiunt te. Jesu ergo statuto et stante ligato ante Annam Pontificem, *interrogavit* dolose *Jesum Pontifex de discipulis suis*, fortassis ubi essent, et cujus gratia eos collegit, ut videret si posset eum deprehendere, quod ab eo seducti fuissent ; *et de doctrina ejus*, non cognoscendæ veritatis amore, sed ad videndum si posset ibi falsitatem, vel calumniam, et aliquid dictum contra Legem Moysis invenire, et sic causam haberet, qua posset accusare eum, et tradere Romano Præsidi ad damnandum. Etenim duo imponebantur Christo a Judæis, scilicet : falsa doctrina et nova; ac seductio et attractio hominum ad se. Et ideo Pontifex examinat eum de utroque, videlicet si esset seductor hominum, et doctor falsæ doctrinæ : et primo de discipulis ejus, quos videbatur seduxisse ; secundo, de doctrina ejus, quasi notans eam falsam esse. Dicitur autem Annas Pontifex, non quia tunc actu esset, sed quia ante fuerat, et post esse debebat. Jesus vero de discipulis omnino tacuit, quia tunc de ipsis nihil boni dicere potuit, qui jam fugerunt, dans nobis exemplum quod malum de aliis non debemus dicere, nec peccatum alterius propalare ; sed de doctrina sua *respondit ei Jesus*, ostendens quod non mala vel suspecta, sed bona et sana erat, quod declarat ex loco, et ex auditorum testimonio, dicens : *Ego palam locutus sum mundo*, id est in publico et multis audientibus, *ego semper docui in synagoga et in templo*, scilicet Jerusalem, *quo omnes Judæi conveniunt*, id est in locis publicis, et Judæis præsentibus; *et in occulto locutus sum nihil*, scilicet ideo ut occultaretur et non innotesceret multis. *Quid me interrogas*, a quo veritatem audire non desideras? *Interroga eos qui audierunt*, de quorum dictis non habeas invidiam vel suspicionem. Quasi diceret : Paratus sum testimonium eorum subire, quod tibi magis quam dictum meum est credibile. Unde *Chrysostomus :* « Quid,

ait, me de discipulis meis, interrogas? Interroga inimicos meos, qui insidiantur mihi, hi dicant. Hæc enim est veritatis inaltercabilis demonstratio, cum aliquis inimicos eorum quæ dicit invocat testes ipsos; ita Dominus responsionem temperavit, ut veritatem taceret, ne se defendere videretur, dans nobis formam temperate respondendi hostibus, ita ut nec veritatem celemus, nec eos contra nos dictis provocemus. »

2 Alapizatur Dominus. — *Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum* Pontificis, qui dicitur fuisse Malchus, cujus sanaverat auriculam, ingratus accepti beneficii, repræsentans perversos qui beneficiis impensis mala rependunt, *dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes Pontifici ?* Ille enim minister sceleris taliter accepit responsionem Jesu, quasi notasset Pontificem de stulta interrogatione, et dans sibi alapam, ad improperium, voluit vindicare quod placabiliter non responderat Pontifici, plane confitendo, vel negando ; quia alapa ut plurimum pro vindicandis offensionibus verborum solet dari. In hac alapa impleta est prophetia illa : *Dabit percutienti se maxillam.* Est enim alapa, percussio in maxillam, sicut colaphus est percussio in collum. Ipse vero Dominus longanimis et patiens, malum pro malo non reddidit, sed hanc contumeliam, sicut multas alias, quæ sequuntur, pro nobis cum omni patientia et mansuetudine toleravit, et patientiam docuit, humiliter, vultu placido, et submisso sermone modeste respondendo, et veritatem ostendendo; ac ministrum, cui quamlibet pœnam solo jussu irrogare poterat, blande et caritative corripiendo. *Respondens* ergo *illi Jesus* dixit : *Si male* et contra veritatem, *locutus sum*, et habes reprehendere quæ dixi, demonstra et *testimonium perhibe de malo*, et proba me mendacem; *si autem bene*, et non habes reprehendere, *quid me cædis* injuste? Quid ista responsione verius, mansuetius et justius? Hinc colligimus nos posse increpare nobis injuriantes, et arguere, ita tamen quod moderate et pacate. Respondendum est enim, quandoque stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. O verax et pie Jesu, quænam anima tibi devota hæc cernens et audiens, valeat se continere a lacrymis, et dolorem occultare internæ passionis? Unde dicit *Chrysostomus* : « Unus dedit alapam Jesu, hæc dicenti. Quid hoc fiet utique stultius? Horreas cœlum, excessum mentis patiaris terra, Dominatoris longanimitate, et servorum indevotione ! » Unde et *Augustinus* : « Si cogitemus quis accepit alapam, nonne vellemus eum qui percussit aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente absorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua hujusmodi qualibet pœna, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam non maluisset nos docere, qua vincitur mundus? » hæc *Augustinus*. Sed, secundum eumdem *Augustinum*, dicet forsitan aliquis : Quia *cœpit Jesus facere et docere*, cur non fecit quod docuit, percutienti præbendo alteram maxillam? Dicendum, quod dicta et præcepta Sacræ Scripturæ ex factis Christi et Sanctorum debent interpretari; sic ergo Sacra Scriptura interpretanda est, secundum quod Christus et Sancti eam servaverunt. Christus autem, qui utique præcepta quæ docuit prius implevit, et in homine, quem suscipere dignatus est, vivendi nobis exemplum tribuit, non præbuit isti aliam maxillam; nec Paulus, ut in Actibus legitur, hoc fecit, ostendens percutienti maxillam non actu ipso præbendam esse alteram, sed animo paratum esse ad patiendum, si opus sit. Fieri enim potest, ut alteram maxillam visibiliter homo præbeat et iratus. Sed beatus est, qui in omnibus quæ injuste pro justitia patitur, potest veraciter dicere : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Unde istud Christi præceptum, de præbendo maxillam aliam, et similiter de non resistendo malo, et plura alia, non dantur et intelliguntur absolute et ad litteram, sed magis secundum animi præpara-

tionem : ut homo habeat animum præparatum ad hæc facienda, ubi viderit hoc expedire ad Dei honorem et Ecclesiæ utilitatem; alias autem non. Et hoc Dominus servavit, qui paratus erat dare aliam maxillam, si opus fuisset, percutienti; quia totum corpus suum pœnis acerbissimis præbuit et occisioni. Imo aliquando expedit injuriantibus respondere, ad ipsorum et aliorum instructionem, sicut fecit hic Christus, et ut in Actibus legitur Paulus; et aliquando etiam facto resistere, ne detur occasio agendi male. Sic ergo excusatio Domini, qua sic respondit, utilis ad instructionem fuit. Et multis aliis convitiis ibidem forte eum affecerunt, de quibus Evangelistæ tacent.

3 Tria documenta ex alapizatione Domini, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo alapizationis habentur tria documenta. Primum est, quia Christus pro nobis alapizari voluit, ut nos ora nostra compescamus, ne quid contra divinum honorem loquamur; et etiam, ut ad bonum loquendum vel agendum excitemur, sicut aliquando aliquis percutitur, ut a torpore excitetur. — Secundum est, ut et nos discamus in injuriis et contumeliis nobis illatis patientiam habere, imitatione Domini, qui in hoc specialiter exemplum magnæ patientiæ dignatus est nobis præbere. Et sicut Christus eadem nocte omnes illusiones et verecundias, ab iniquis sibi factas, patienter sustinuit; sic homo contumelias et opprobria, ac cuncta mala in verbis, seu factis, ab importunis hominibus sibi illata patienter ferat amore sui Redemptoris, similia et multo majora propter ipsum patientis. — Tertium est, quod consilia Evangelica non semper oportet servare ad litteram, sed aliquando secundum animi præparationem, et maxime ubi de hoc ex factis Christi et Sanctorum informationem habemus et auctoritatem. — Ad conformandum se huic articulum, poterit homo sibimetipsi dare alapam moderatam ad repræsentandum alapam Christi, pro omnibus verbis suis otiosis, vel etiam pravis et mendosis, et orare, dicens : *Jesu, qui ab Annæ ministro cædi alapa voluisti, da mihi, quæso, gratiam tuam, quæ me a tua laude numquam cessare faciat, et ab otioso sermone compescat.*

4 Falsa testimonia contra Dominum coram Caipha prolata. — *Et misit eum*, Jesum scilicet *Annas ligatum*, quasi reum et morte dignum, et jam coram se condemnatum, *ad Caipham Pontificem*, quia Christi examinatio principaliter pertinebat ad ipsum, *ubi* omnes sacerdotes, id est principes sacerdotum, et *Scribæ*, id est Legisperiti, *et seniores*, id est judices ordinarii, *convenerant* ad examinandum Christum, et judicandum, et ad tractandum de ipsius condemnatione et morte. Cum autem Dominus præsentatur concilio malignantium adversum eum, illi quasi leo vel victor, exsultant, capta præda. Bene potes cogitare quam male eum receperunt, et quomodo sine honore forte in terra viliter coram ipsis sedere fecerunt. *Petrus autem sequebatur eum*, ex devotione et amore, quamvis *a longe*, propter timorem; quem enim caritas trahebat, timor retrahebat; et tamen sic pervenit *usque in atrium principis sacerdotum*. In hoc, secundum *Bedam*, maxima nobis est admiratione venerandus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. *Et ingressus intro*, scilicet in ipsum atrium, deductus per ostiariam similiter ut supra, sic *sedebat cum ministris ad prunas, quia frigus erat*, sicut solet esse in mense martio, post mediam noctem; *ut finem* negotii *videret*, et quid Pontifex de Domino judicaret. *Principes autem sacerdotum et omne concilium*, quia verum testimonium invenire non poterant, *quærebant falsum testimonium*, procurando testes et subornando *ut eum morti traderent. Et non invenerunt*, unde eum tamquam morte dignum coram Pilato accusare possent, *cum multi falsi testes* ad id procurandum *accessissent;* quorum *testimonia convenientia non erant*, et sic *defecerunt scrutantes scrutinio*, *mentita est* enim *iniquitas sibi* : ut mulier Putipharis adversus Joseph, et senes adversus Susannam, quoniam ignis

sine materia deficit. Ubi *Origenes* : « Falsa enim testimonia tunc locum habent, quando cum colore aliquo proferuntur ; sed neque color inveniebatur, qui posset contra Jesum adjuvare mendacia, quod maximam laudem exhibet Jesu, qui sic omnia irreprehensibiliter dixit et fecit, ut nullam veri similitudinem invenirent in eo reprehensionis mali et multi astuti : » hæc *Origenes*. Sed de omnium testimoniis solum duorum testimonium exprimitur, de quibus subjungitur : *Novissime autem*, scilicet post multorum falsa testimonia, *venerunt duo falsi testes, et dixerunt : Quoniam nos audivimus eum*, Jesum scilicet *dicentem : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud*; vel : *Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo*. Ex hoc autem conabantur probare, quod ipse divinam potentiam quasi Deus sibi usurparet; sed falsi testes erant, quia et sensum, et verba Christi mutabant. Ad quod Christus nihil respondit, quia mentiebantur aperte, non enim dixerat de hoc templo Salomonis, sed proprii corporis. Unde *Hieronymus* : « Falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur : Dominus enim dixerat de templo corporis sui, sed in verbis isti eum calumniantur, et paucis additis, vel mutatis, quasi justam calumniam faciunt. Salvator dixerat : *Solvite hoc templum*, illi commutant et aiunt : *Possum destruere templum Dei*; vos, inquit, *solvite*, non ego, quia illicitum est ut ipsi nobis manus inferamus. Deinde illi evertunt, *et post triduum ædificabo illud*, ut proprie de templo Judaico dixisse videatur; Dominus autem, ut ostenderet animale et spirans templum, dixerat : *Et ego in triduo suscitabo illud*; aliud est suscitare, aliud est ædificare : » hæc *Hieronymus*. Dicens autem Dominus : *Solvite*, non dicit præcipiendo, sed prædicendo eis quid essent facturi, prædicens mortem suam, in qua corpus ejus quod erat templum deitatis, solutum est. Unde sensus est : *Solvite*, id est solvetis corpus meum per mortem, quam mihi inferetis, *et in tribus diebus excitabo illud*. Excitare enim est a somno mortis revocare, quod proprie competit templo spirituali, scilicet suo corpori ; sed reædificare proprie competit templo materiali. Non majus tamen miraculum erat, templum manufactum in tribus diebus reædificare, quam semetipsum post mortem, die tertia resuscitare. Item, possent dici falsi testes ex falsa intentione, quia intendebant mortem innocentis procurare.

5 Tria documenta de falso testimonio, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo, scilicet de latione falsi testimonii, sumuntur tria documenta. Primum est, quod nos falsum testimonium, imo omnem falsitatem et mendacium summe detestemur, quia mendaciis et fallaciis Christus morti est addictus, et nos quotiescumque falsum testimonium et mendacium contra proximum proferimus, Christum, quantum in nobis est, morti addicimus. Unde quam detestabile sit istud crimen, ostendit *Isidorus*, sic dicens : « Testis falsidicus tribus personis est obnoxius : primum Deo, quem perjurando contemnit ; consequenter judici, quem mentiendo fallit; postremum innocenti, quem falso testimonio lædit. » — Secundum est, quod nos discamus incriminationes, si nobis inferantur, amore Dei patienter sustinere, sicut Christus pro nobis ad omnes falsas incriminationes simpliciter tacuit : quia, secundum *Augustinum*, aperta mendacia non sunt responsione digna. — Tertium est, ut nos fallacias studeamus, quantum cum Deo possumus, declinare; ad hoc enim Dominus falsos testes sustinuit, ut nos ab eis eriperet, sicut etiam mortem sustinuit, ut nos a morte liberaret. — Ad conformandum se isti articulo, gratias homo referat Christo, quod falsos testes contra se admisit, ut nos veritate fulciret, et sic oret : *Jesu, qui a Judæis falsis testimoniis accusari voluisti, da mihi nemini falsas calumnias inferre, et illatas pro tuo honore patienter sufferre.*

6 Adjuratio summi Pontificis et

CHRISTI RESPONSIO. — Videns autem Caiphas princeps sacerdotum, quod Jesus tacebat, et quod testimonia contra ipsum producta ad ejus condemnationem non sufficiebant, perturbatus est, quia non inveniebat locum calumniæ, et unde posset Jesum juste condemnare, *et* sic ira commotus, et vesania mentis agitatus, *exsurgens* ex impatientia, *in medium*, de solio sacerdotali, *ait illi : Nihil respondes ad ea, quæ isti adversus te testificantur?* Motu corporis insaniam mentis demonstrat, cum temperantia et gravitas in verbo, opere et gestu judicem et prælatum deceat. Secundum *Bedam*, ad responsum provocat, ut ex occasione sermonis locum accusandi inveniat. *Jesus autem tacebat*, et nihil respondit ut ostenderet : primo, suam justitiam, quia et illi indigni erant, et ea quæ contra ipsum dicebantur erant falsa, atque responsione indigna; secundo, suam misericordiam, ne illi amplius peccarent, si in malitia perdurarent; tertio, suam sapientiam, quia sciebat, ut Deus, quod quidquid respondisset, traxissent in calumniam, et responsio excusationis, nullo audiente, fuisset inutilis; quarto, suam patientiam, ut exemplum daret contemnere calumniantium voces, et potius fortiter silere, quam se sine ullo profectu defendere. Hinc colligimus, porcis, et canibus, et detractoribus, vel quibuslibet, non esse respondendum, cum nulla secutura sit utilitas, sed potius incommoditas. Quanto autem magis Jesus ad indignos responsione ejus tacebat, tanto magis Pontifex furens eum ad respondendum provocabat, ut ex verbis ipsius occasionem calumniandi captaret. Tunc enim, *princeps sacerdotum*, rursus interrogans, *ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius*, scilicet naturalis, *Dei benedicti?* Qui ad eum capiendum quasi latronem miserat, nunc de furto et usurpatione deitatis examinat; non tamen veritatem Dei desiderat, sed magis calumniam parat. Ad hoc autem Jesus respondit, propter reverentiam divini nominis invocati. Et *dicit illi Jesus : Tu dixisti*, quia *ego sum*. Veritatem eis respondit, ut inexcusabiles essent, et ne nomen Dei spernere videretur. Et adjecit Dominus Jesus : *Verumtamen dico vobis : Amodo videbitis*, oculis corporeis, *Filium hominis*, scilicet me, quem modo contemnitis, et ignominiose tractatis, in die judicii, *sedentem*, ut Judicem, *a dextris virtutis*, id est majestatis, *Dei* Patris, id est in æqualitate et plenissima potestate Patris : hoc est, secundum *Hieronymum*, in vita regnantem sempiterna et virtute divina, *et venientem*, scilicet ad judicium secundum formam humanam, *in nubibus cœli*, sicut ascendit, ubi videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Quasi dicat : Vos me ut purum hominem contemnitis, et quasi impium condemnatis; sed tamen propter hoc me exaltatum super omnes cœlos, et Judicem videbitis.

7 CAIPHAS VESTIMENTA SCINDENS DOMINUM BLASPHEMIÆ INSIMULAT. — *Tunc princeps sacerdotum*, qui surrexerat in furore, magis insaniens, *scidit vestimenta sua*, in rabie, quia, secundum *Bedam*, quem de solio sacerdotali furor excusserat, eumdem rabies ad scindendas vestes provocat. Et in hoc facto, Caiphas, quamvis ipse nescIverit, prophetavit iterum. Bis enim nesciens prophetavit, semel verbo, quando dixit : *Epedit ut unus homo moriatur pro populo ;* altera vice, facto, ut patet in hoc loco. Per hoc autem, secundum *Hieronymum*, ostendit Judæos sacerdotalem gloriam perdidisse ; etenim, dum vestem sibi discidit, ipsum quo tegebatur, velamentum Legis abjecit. Unde et *Beda :* « Altiori autem mysterio factum est, ut in Passione Domini Pontifex Judæorum vestimenta sua scinderet, hoc est *Ephod* ; cum tunica Domini nec ab ipsis qui eum crucifixere militibus scindi potuerit. Figurabatur enim quod sacerdotium Judæorum, pro sceleribus pontificum esset scindendum, et a statu suæ integritatis solvendum et auferendum; cum soliditas Ecclesiæ, seu fidei, quæ vestis Dei solet appellari, numquam valeat scindi, vel disrumpi. Hoc est jam oculis cernere, quia videmus Judæos sacerdotii glo-

riam perdidisse, et sedem a ceremoniis vacuam esse; Ecclesiam vero et fidem ejus, quia supra petram fundata est, in sua soliditate permanere: » hæc *Beda*. Mos quippe erat Judæis scindere vestimenta, in signum doloris et detestationis criminis, cum aliquid blasphemiæ, et quasi contra Deum audiebant, sicut Paulus et Barnabas sciderunt vestes, cum cultu divino se honorari videbant. Hoc autem tam enorme peccatum, princeps sacerdotum imponebat Christo, *dicens* exclamando : *Blasphemavit*, scilicet attribuendo sibi quod Dei est, blasphemia enim est, attribuere creaturæ quod solius Dei est, vel Deo quod solius creaturæ est *Quid adhuc egemus testibus?* Quasi diceret : Pro nihilo laboramus quærendo testes. *Ecce nunc*, id est aperto et coram omnibus, *audistis blasphemiam*. O miser et princeps nequam! Non dixit enim Christus blasphemiam, sed veritatem; tu ipse blasphemas, qui quod Dei est, Deo non attribuis, sed Filium Dei puram creaturam credis; et ideo blasphemia tua tecum est in perditionem. Sicut ergo Christus in mortis discrimine ad Caipham ductus veritatem non deseruit, sed constanter se Dei Filium cum omni modestia confessus fuit, sic verus ipsius servus, propter nullum temporale periculum debet veritatem deserere, sed usque in mortem constans perseverare.

8 Documentum morale ex impositione blasphemiæ, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo impositionis blasphemiæ, sumitur documentum, quod nos debemus esse ab omni blasphemia puri et immunes, tam quoad nos, quam quoad alios. Quoad nos quidem, ut nihil umquam committamus, vel dicamus quo nomen Dei blasphemetur, quod fit multipliciter : ut, sive quis expresse maledicat Deo, vel Sanctis; sive quis blasphemet Baptismum, vel alia Ecclesiæ sacramenta; blasphemat etiam verbum Dei, qui contemnit; et Spiritum Sanctum blasphemat, qui sacris canonibus derogat. Christus igitur, licet non solum a blasphemia, sed etiam ab omni peccato purissimus fuerit, blasphemiam tamen sibi imponi pertulit, ut nos puros a blasphemia custodiamus. Quoad alios etiam, ut nos aliis blasphemiam non inferamus, ita quod per os nostrum numquam verbum aliquod blasphemiæ, vel maledicti exeat contra aliquem etiam maledictione dignum, sicuti iste Caiphas eo ipso blasphemus fuit, quo blasphemiam Creatori imposuit. Et potuisset Christus respondere : Non ego, sed tu blasphemas! sed noluit Dominus per os suum exire aliquod blasphemiæ verbum, nobis in exemplum. De quo etiam pulchram doctrinam habemus in epistola Judæ, ubi scriptum invenitur quod, *Michael Archangelus, cum altercaretur cum diabolo, de Moysis corpore, non est ausus judicium blasphemiæ inferre diabolo; sed dixit: Imperet tibi Dominus*; super quo verbo dicit *Hieronymus* : « Si Michael non fuit ausus diabolo certe maledictionis dignissimo, judicium inferre blasphemiæ, quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur diabolus maledictum, sed per os Angeli blasphemia exire non debuit: » hæc *Hieronymus*. Si igitur diabolus, licet voluntate malus, in substantia tamen bonus, ab Angelo non blasphematur, quia aliquid proferret adversus bonam naturam, quæ Dei est creatura; quanto magis ab hominibus blasphemia est cavenda in quamcumque creaturam, et maxime in Creatorem?— Ad conformandum se isti articulo per contrarium benedicat homo Deo, dicens illud :*Sit Nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in seculum*, vel aliquid hujuscemodi. *Jesu, qui blasphemiæ crimen falso tibi imponi voluisti custodi me, ne umquam per me nomen tuum verbo, vel facto blasphemetur; nec per os meum blasphemia, vel maledictum proferatur.*

9 Condemnatio Christi ad mortem, duo documenta ex ea, actus conformationis et oratio. — Cum autem princeps sacerdotum dixisset : *Ecce nunc audistis blasphemiam*, adjecit : *Quid vobis*, nunc secundum Legem de hoc *videtur? At illi omnes condemnaverunt eum*, et *respondentes, dixerunt : Reus est mortis*, cum tamen veritatem

dixisset eis. Ipsi erant accusantes, ipsi discutientes, ipsi sententiam proferentes. Secundum *Bedam*, sententia sua se condemnant, qui eum morti adjudicant, quem et oris, et operis sui testimonio Deum esse cognoscere possunt. Et quidem in hoc vere respondissent, supposita veritate facti, omnis enim qui blasphemat nomen Dei secundum Legem reus est mortis, quia debet lapidari; sed, quia factum super quo fundabatur quæstio fuit falsum, ideo responsio fuit falsa, ac profana et iniqua. Ex hoc autem articulo condemnationis Christi ad mortem, habemus duo documenta. — Primum est, ut caveamus ne umquam illa vox Judæorum : Reus est mortis, quæ Christi auribus innocenter insonuit, nostris mentalibus auribus insonet, et in nobis locum veraciter habeat, nam de quocumque existente in mortali peccato verum est dicere : Reus est mortis. — Secundum est, ut si quando nos propter Christum a persecutoribus condemnemur ad mortem, non ideo perturbemur, sed potius gaudeamus respicientes ad mercedem. — Ad conformandum se isti articulo, recogitet homo qualiter ipse sæpe propter demerita sua reum mortis se fecerit, sed Dei misericordia sit hactenus conservatus pro sua emendatione; vel alias, prout Deus inspiraverit. *Jesu, qui profanam impiorum vocem, scilicet reum te esse mortis, minime timuisti, custodi me miserum peccatorem, ne in oculis tuis, æternæ mortis reus inveniar.*

10 Conspuitur Dominus. — *Tunc*, qui circumstabant omnes, fere insimul irruerunt super Dominum Jesum, *et viri qui tenebant illum, illudebant ei. Alii exspuerunt in faciem ejus* benignissimam, tamquam in hominem vilem et pestiferum, et morte dignum, scilicet confessum se esse Deo æqualem, ut compleretur quod dictum est : *Faciem meam non averti a confusione sputorum.* Proprium enim Judæorum erat, in contemptum ac vituperium et despectum, spuere in faciem ejus quem abjiciebant; et tam horribiliter et incessanter in facies hominum spuebant, ut quandoque eos suffocarent. Quid turpius? Quid despectius? Quid ignominiosius et vituperiosius, quam in faciem exspuere, et maxime in illam faciem speciosissimam, *in quam desiderant Angeli prospicere?* O quam cæca æmulatio infelicium Judæorum, qui non exhorruerunt turpissimis sputis suis maculare et deturpare faciem tam amabilem; et non tantum simplicibus salivæ sputis, sed verisimiliter etiam suis excreationibus fœtidissimis! Unde Matthæus non dicit : Spuerunt, sed *exspuerunt*, quasi excreando spuerunt. Marcus autem dicit, *conspuerunt*, quia non tantum unus, sed plures simul hoc fecerunt. Et sic illa facies benedicta facta est ita abominabilis, quasi esset leprosa, ex sputis et verberibus, quæ ei dederunt; subditur enim : *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt.* Hoc est contra illos qui adulterinis coloribus ornare suas nituntur facies.

11 Duo documenta ex consputione, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo consputionis in faciem sumuntur duo documenta. Primum est, quod nos diligenter caveamus ne et nos umquam, cum Judæis, Christi faciem conspuamus, quod modis pluribus fit. Primo namque, secundum *Hieronymum*, faciem Christi conspuunt, qui conscientiam suam fœdis cogitationibus et actionibus polluunt. Quoniam enim Christus conscientiam sanctam inhabitat, in qua Dei facies, id est imago relucet; hinc est, quod qui conscientiam suam peccatis polluit, quasi sputum in Christi faciem projicit. Et ideo, dicit *Hieronymus*, quod Dominus noster in faciem suam conspui voluit, ut sputaminibus susceptis faciem animæ nostræ lavaret. Secundo, secundum *Rabanum*, illi in faciem Christi exspuunt, qui præsentiam gratiæ ejus exsecrandis verbis ex interna cæcæ mentis insania conceptis, respuunt, et eum in carne venisse negant. Tertio, secundum *Gregorium*, in faciem Christi conspuunt, qui justos et sanctos in præsenti vita confutant, et in eorum contumelias fluxa verba, quasi fluentes salivas mittunt. Quarto potest dici, quod ad litteram Christum in faciem con-

spuunt, qui Eucharistiam indigne sumunt; quicumque etiam polluta conscientia Corpus Christi in os suum accipiunt, hi saliva sua peccato infecta, sacramentum contingunt, madefaciunt et deglutiunt, ac per hoc in faciem Christi conspuunt. Quinto in faciem conspuunt, qui prælatos suos contemnunt. Item, sexto in faciem Christi despective conspuunt, qui gratias Deo de quolibet sibi dato munere non agunt. — Secundum documentum est, ut nos ista sputa turpissima, et alia facta exprobrabilia Passionis Christi, nobis ad magnam gloriam reputemus. Unde *Chrysostomus* : « Attende quod Evangelista, cum summa diligentia ea quæ videntur esse exprobratissima exponit, nihil occultans vel omittens, aut verecundans, sed gloriam existimans maximam Dominatorem orbis terrarum pro nobis talia sustinere. Hæc autem legamus continue, hæc nostræ menti inscribamus, et in his gloriemur : » hæc *Chrysostomus*. Et si quidem istud documentum possit referri ad singula puncta Dominicæ Passionis, præcipue tamen ad istud quod sic exprobratissimum fuit. — Ad conformandum se huic articulo, formet homo in mente sua Christum, tam horribiliter sputis in facie deturpatum, et regratietur sibi pro magna gloria nostra. Recogitet etiam quoties ipse faciem illam speciosissimam in conscientia sua polluit; item, quoties indigne communicando sputi sui fœtidi contactu Christum sordidaverit. *Jesu, qui immundis Judæorum sputis pulcherrimam faciem tuam maculari voluisti, da mihi tuæ imaginis faciem in me numquam meis sordidis actibus, aut dictis et cogitationibus inquinare.*

12 Velatio faciei Christi, duo documenta ex ea, actus conformationis et oratio. — *Et alii velaverunt eum*, id est faciem ejus, quod velamen manet usque hodie super corda eorum, quia ab eis faciem suam abscondit. O insana cæcitas, et cæca insania infelicium Judæorum, quia illam desiderabilem faciem, quam adventuram Patres eorum et Prophetæ cum longo suspirio desideraverunt, ipsi infelices cum præsentem habuerunt, tam ignominiose velaverunt! Velaverunt, inquam, ut ait *Beda*, non ut ipse illorum scelera non videat; sed ut a semetipsis faciem et gratiam cognitionis ejus absconderent. Ostenderunt per hoc etiam nescienter, quod in faciem Christi nullus infidelis et aversus a Deo intueri potest; quia est ab eis velata. Et similis ratio est de falsis Christianis. Sed, sicut dicit Apostolus : *Cum quis conversus fuerit ad Deum, tunc auferetur velamen*. Ex hoc articulo velationis faciei habentur plura documenta. — Primum, quod nos summe caveamus, ne velamen ante Christi faciem ponamus; sed, heu! multi Christiani velamen ante Christi faciem ponunt, quales sunt qui infronite peccant, quasi Deus eos non videat; quales etiam sunt qui sub velamine cujusdam libertatis libere peccant. Item, velamen ante Christi faciem ponunt, qui imaginem Dei in se velamine culpæ et ignorantiæ obtegunt et obscurant; dicit enim *Hieronymus*, quod ideo Christus pro nobis velari voluit, ut velamine faciei suæ velamen culpæ et ignorantiæ a cordibus nostris auferret; insuper, faciem Christi velant, qui a semetipsis gratiam cognitionis ipsius abscondunt. Item, oculos Domini omnia videntis velant, qui malum pro bono dant vel vendunt. — Secundum documentum est, quod et nos debemus interdum facies nostras velare, ne oculi nostri videant vanitatem, vel saltem oculos habere defixos in terram, et sic faciem quasi habere velatam, ne capiatur in exteriorum aspectu et concupiscentia. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo, quomodo omnia nuda et aperta sunt oculis Dei, ut ex hoc trahatur a peccando. Item, memoretur, quomodo ipse luminosam faciem imaginis Dei in se obtexit, et obscuravit peccatis. *Jesu, qui faciem tuam gratissimam velari voluisti, illustra, quæso, faciem tuam super indignum servum tuum, et imaginem tuam in me non sinas obscurari; velamen quoque culpæ et ignorantiæ a corde meo digneris auferre.*

13 Colaphizatio Christi, duo docu-

MENTA EX EA, ACTUS CONFORMATIONIS ET ORATIO. — Et *cœperunt quidam colaphis eum cædere*, id est in collo percusserunt. Solent in collo percuti fatui, et despectibiles personæ; unde in hoc quod Judæi Christum colaphizabant, non tam attenditur læsio percussionis, quam maxima contumelia despectionis ab ipsa proveniente. — Ex hoc articulo colaphizationis tale habetur primum documentum, quod caveamus ne et nos aliquando Christum colaphizemus. Secundum *Bedam*, omnes falsi Christiani Christum colaphizant, qui ore confitentur Christum, factis autem negant; colaphus enim datur a retro; illi ergo colaphizant Dominum Christum, quia ei blandiuntur, ore eum confitentur, sed retro, quo deberent eum sequi per bonam vitam, colaphizant eum, malis operibus Christo contradicendo. Item, secundum *Augustinum*, colaphis Christum cædunt, qui ei honores præferunt. Item, a tergo Christum colaphis verberat, qui proximum post tergum suum infamat. — Secundum documentum est, quod sicut Christus pro nobis est colaphizatus; sic et nos colaphizationes suas spirituales, quas plerumque nobis infligit, non solum patienter, sed et prudenter portemus: sicut fecit Apostolus, qui dicebat: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet*, etc. — Ad conformandum sese huic articulo, poterit homo sibiipsi dare colaphum, in memoriam colaphorum Christi, et sic orare : *Jesu, qui a Judæis colaphizari voluisti, da mihi sic te ore confiteri, ut contrariis operibus nullatenus et colaphizem.*

14 PERCUSSIO IN FACIEM CHRISTI, DUO DOCUMENTA EX EA, ACTUS CONFORMATIONIS ET ORATIO. — *Alii autem palmas in faciem ejus dederunt, et faciem ejus percutiebant.* Dicitur autem palma, secundum *Papiam*, manus extensa, vel applicata; sicut pugnus dicitur manus complosa. Manibus ergo extensis et palmis, eum in faciem percusserunt, ex qua percussione plus affligitur homo, quam de percussione in collo. In facie enim sunt omnes sensus, et sunt ibi membra tenera, facile læsibilia. Unde verisimile est, quod ex tali percussione fluxerit sanguis per nares et os Christi, licet hoc ab Evangelistis non exprimatur. O quam horrendum scelus impiissimorum Judæorum, quod faciem tam formosam, crudeliter tantis verberibus affecerunt! Voluit, secundum *Hieronymum*, alapis expalmari; ut nos ei in laudem nostris manibus, scilicet operibus et labiis applauderemus. Ex hoc articulo percussionis in facie habentur duo documenta. — Primum est, quod nos, exemplo Christi, discamus patienter sustinere, si quis nos in faciem cædat, sicut Apostolus quosdam in hoc commendat. Quod non solum accipiendum est ad litteram, sicut in proposito Christus ad litteram cæsus fuit in faciem; sed etiam mystice, quia, sicut dicit *Glossa* ibidem, in faciem cæditur, in cujus os injuria irrogatur. Nam et isto modo Christus in faciem cæsus fuit, pro quanto multas injurias, et improperia ei in faciem objecerunt. Sicut ergo Dominus noster ab omnibus talibus increpationibus, blasphemiis, percussionibus et sputis, faciem numquam avertit, quinimo voluntarie ad omnia illa faciem suam eis pro nobis obtulit; sic et nos, casu ingruente, sustinere similia pro Christo non recusemus. — Secundum documentum est, ut caveamus ne et nos demus palmas in faciem Christi, quia, secundum *Augustinum*, illi palmas in faciem Christi dant, qui perfidia cæcati eum in carnem non venisse affirmant, tamquam præsentiam ejus exterminantes et repellentes; item, in faciem Christi illi sacerdotes palmas dant, qui pollutis manibus Corpus Christi tangunt et contrectant; item, faciem Christi alapis contundit, qui proximum in præsentia sua confundit. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo quoties ipse imaginem Dei in se offenderit; et paratus sit, secundum præparationem animi, pro Christo libenter velle in faciem cædi, non solum verbaliter, sed etiam realiter casu opportuno. Item, recogitet sacerdos, quoties manus suas pollutas in faciem Christi injecerit, Corpus suum indigne tractando.

*Jesu, qui Judæorum manibus faciem tuam speciosissimam cædi voluisti, da mihi imaginis tuæ faciem in me semper illibatam illæsamque conservare, ne quando iniquitatum mearum sceleratis manibus violetur.*

15 Prophetandi expetitio, quatuor documenta ex ea, actus conformationis et oratio. — *Et ministri alapis eum cædebant*, hoc est in maxillas eum percutiebant. De quo poteris meditari, sicut dictum est supra de alapizatione coram Anna Pontifice facta. *Et* percutientes eum in capite, *interrogabant eum, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Sed in quanam parte capitis percusserint eum, tunc quando hoc dicebant, de hoc Evangelistæ diversimode loquuntur ; unde potest dici, quod cum velassent faciem ejus, quilibet eorum percussit eum ubi voluit : aliqui in collo, alii in faciem, alii in maxillas. *Et* sic percutientes *interrogabant eum, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Et hoc derisorie dicebant, quasi in contumeliam ejus, qui se Prophetam a populo haberi volebat, et quem populus magnum Prophetam reputabat ; per hoc enim designabant quod falsus Propheta esset et quod ignoraret quis eum percussisset. Unde *Theophilus* dicit, quod Dominus Prophetarum, ut pseudopropheta deluditur. Et quoniam ipsi eum illis verbis irridebant, et quasi ludibrium de eo faciebant, idcirco eis nihil respondebat. Ut enim dicit *Hieronymus*, stultum erat verberantibus respondere, et prophetare cædentem, cum palam percutientis insania videretur. Ex hoc articulo ludibriosæ expetitionis prophetandi habentur quatuor documenta. — Primum est, quod non illudamus Christo, putantes mala nostra non videri ab eo. Nam, secundum *Bedam*, quicumque reprobis actibus eum exacerbant, dum cogitationes et opera tenebrarum ab eo videri non putant, quasi illudentes, dicunt : *Quis est qui te percussit?* — Secundum est, quod consideremus nosmetipsos, si umquam manu pravi operis Christum percusserimus; quod si nescimus, exspectamus pia fide a Christo quod Judæi irrisorie ab eo exegerunt, ut prophetizet nobis, docendo nos cognoscere culpas nostras. — Tertium est, quod nos cavere debemus, ne a Christo prophetiam, vel miraculum tentative expetamus. Unde ait *Augustinus* : « Quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, ut signum aliquod petam? Sed obsecro te, Domine, ut quemadmodum a me longe est ista consensio, ita sit semper longe, atque longius ipsa cogitatio. » — Quartum est, quod indignis non est effundendum donum Dei ; unde licet Christus esset verus Propheta, noluit tamen prophetizare irrisoribus suis, sic et doctores pro tempore et loco debent verbum Dei subtrahere auditoribus indignis. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo quantam irrisionem et infatuationem Dominus noster in hoc facto est passus, et quomodo Judæi ludum quasi puerorum fecerunt de eo ; et oret, dicendo : *Jesu, qui ludibriis Judæorum percussus in capite, prophetizare exactus fuisti, prophetiza tu mihi, obsecro, Christe, ut cognoscam quis et qualis ego miser sum, qui toties manu pravi operis, proh dolor ! te percussi.*

16 Meditatio super ludibria Christi. — Insuper potes etiam meditari, quod : alii manu reversa dulcissimum et mellifluum os ejus percutiebant, alii pugnis eum cædebant, alii sanctissimam barbam ejus evellebant, alii per suos venerabiles capillos ipsum trahebant, et viliter inter pedes conculcabant, ac sine reverentia et pietate aliqua Dominum Angelorum male tractabant. *Et* nihilominus *alia multa blasphemantes dicebant in eum*, et faciebant. Cum enim crudelissimi et sine misericordia essent, omnia mala et vituperia, quæ poterant, ei faciebant : alii ex sua mala voluntate ad hoc moti, alii ut placerent majoribus, qui erant immanissimi. Quid ergo tu faceres si hæc videres ? Numquid non te projiceres super ipsum Dominum, dicens : Nolite jam, nolite facere tantum malum Domino meo ; ecce me, facite mihi, ecce percutite me, et Domino meo tantas injurias

irrogare nolite? Et tunc amplexareris flexis genibus Dominum et Magistrum tuum; et sic susciperes libenter super te percussiones istas, ad tuendum ipsum. Quod ita mente facere recogites, et totum sicut si præsens esses te facturum æstimes. Conspice igitur omnia et singula jam superius enarrata : quomodo illi maledicti Dominum vexant, falsos testes procurant, ipsum examinant, et veritatem, scilicet se Filium Dei esse confessum, quasi blasphemum condemnant, et quomodo opprobriis vexatus in omnibus patienter se habet; et compatere sibi, quia pro te omnia sustinet, jugiterque lacrymas fundens, speciosissimam faciem ejus, quam illi impudenter suis illiniunt sputis, tu reverenter tuis lava lacrymis. Quis enim audiens, vel mente pertractans, quomodo fuit factus *opprobrium hominum*, ipse Dominus et gloria Angelorum, *et abjectio plebis* Filius Dei Patris, poterit se continere a lacrymis? Unde *Anselmus* : « Concilio malignantium adversum te pontificum præsentatus es, et veritatem prout oportuit confessus, quasi de blasphemia adjudicatus es morti. Amantissime Domine Jesu, quanta illic indigna a propria gente pertulisti ! Vultum tuum honorabilem *in quem desiderant Angeli prospicere*, qui omnes cœlos adimplet lætitia, et *quem deprecantur omnes divites plebis*, pollutis labiis et sputis inquinaverunt, sacrilegis manibus cæciderunt, velo operuerunt in derisionem; et te Dominum universæ creaturæ, tamquam servum contemptibilem colaphizaverunt. » Sed, ut ait *Beda*, ipso dispensante qui patitur, omnia pro nobis sunt; ut, sicut Petrus hortatur Christo in carne passo, nos eadem cogitatione armemur, atque ad toleranda pro nomine ejus irrisionum opprobria præparemur. Judæi qui Christum deluserunt, olim in Philistæis hostibus Samsonis præfigurati fuerunt. Samson enim quadam vice voluntarie se ligari fecit, quem Philistæi captum excæcaverunt, et ei illudentes in derisionem ipsum habuerunt; sic Christus sponte a Judæis ligari, velari, illudi voluit et derideri. Quadam autem vice, dum Samsoni placuit, tunc sese de inimicis horribiliter vindicavit; sic in fine seculorum de inimicis Christi erit, cum ipse in majestate et potestate ad judicium venerit. Conspice igitur Jesum præ cunctis merito honorandum, indigne et viliter tractari; et eum imitando disce humiliari, gratiamque honoris spernere, et laudem humani favoris contemnere. Cum ergo homo foris videns reputat te vilem in oculis suis, tu vilem te reputa in oculis Dei; nec murmures vel indigneris, si coram hominibus vilis reputaris, sed magis in oculis Dei, qui omnia novit occulta, confundaris. Et cave ne malorum exemplo corruptus, Dominum potius exhortari videaris, quam imitari, qui enim tunc exhortatus est blasphemiis Judæorum et infidelium, etiam nunc exhortatur vesanis opprobriis falsorum Christianorum, et nomine tenus fidelium, prout supra in articulis illusionum hujusmodi est tactum. Cogita etiam qualiter dolebant Petrus et Joannes, hæc percipientes, vel forte videntes.

17 Negatio trina Petri. — Sed tamen de Petro dicitur quod jam torpens frigore infidelitatis, *sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se* exterius, cui calor caritatis et verus ignis exstinguebantur interius; et negat ter Dominum suum, timore perterritus. Nec mirum, si accedit ad eum tentatio, qui se elongat a Christo. Primo quidem ab ancilla ostiaria compellatur, et negat. *Cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis... dicens* : *Et tu cum Jesu Galilæo eras; at ille negavit, coram omnibus dicens* : *Nescio quod dicis*. Unde *Gregorius* : « Unius ancillæ voce percussus, dum mortem timuit, vitam negavit. » Sed cur ab ancilla prius prodatur Petrus, quam a viris? Una ratio est ad confutationem præsumptionis : quia a muliere, non a viro; ab ancilla, non a libera primo victus est. Secunda ratio est, ut ostendatur omnis sexus et conditio in Domini peccasse nece, et redimi per ejus Passionem. *Et* deinde post negationem, timens Petrus inter Judæos diu

stare, *exiit foras, ante atrium, et gallus cantavit... Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla; et* dum adhuc foris esset *dixit his qui erant ibi* se calefacientes : *Et hic erat cum Jesu Nazareno.* Sed postquam rediit, quod dictum fuerat, unus de circumstantibus, secundum Lucam, sed plures de eis, secundum Joannem, ei idem dixerunt. *Et iterum negavit cum juramento* : *Quia non novi hominem.* Ecce argumentum quod ex uno peccato homo ruit in aliud gravius. Unde *Rabanus :* « Mora in peccato, dat incrementum scelerum. » Unde et *Gregorius :* « Peccatum quod pœnitentia non diluit, mox suo pondere ad aliud trahit. » Et timens Petrus, iterum foras exivit. *Et intervallo facto, quasi horæ unius,* reversus iterum, a multis, secundum Matthæum et Marcum, et ab uno, secundum alios, qui cognatus Malchi erat, compellatur, *affirmabat* enim *quidam dicens : Vere et hic cum illo erat, nam et Galilæus est. Et ait Petrus* negans cum juramento et detestatione : *Homo, nescio quod dicis. Et continuo, adhuc illo loquente, gallus* secundo *cantavit.* Potest esse quod multi tumultuantes, ibi stantes Petro hoc dixerunt, vel unus eorum pro omnibus, et quasi in persona omnium expressius, et acrius dixit ei. Et sic semel negat ante primum galli cantum; bis ante secundum. Non enim solum negat Christum, qui dicit eum non esse Christum ; sed etiam qui cum sit, negat se ejus discipulum, vel membrum, vel qui negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro : Discipulum meum te negabis; sed : *Me negabis.* Negavit ergo Petrus et Christum, cum se negavit ejus discipulum, et isto modo se etiam negavit Christianum. Ubi *Augustinus* : « Ecce medici completa est conditio, ægroti convicta est præsumptio. » Non enim factum quod iste dixerat : Animam meam pro te ponam ; sed factum est quod ille prædixerat : *Ter me negabis.* Et gravatur in Petro culpa, et exaggeratur crimen, secundum processum negationum, quia : primo simpliciter negavit, secundo negationi perjurium addidit, sed tertio adjecit perjurio detestationem, *et cœpit detestari, anathematizare et jurare, quia non novisset hominem,* id est maledicere sibiipsi, et maledictioni se obligare, si cognovisset Jesum. Anathematizatio enim significat jurationem, quæ est per exsecrationem, et cum imprecatione maledictionis, scilicet quando aliquis imprecatur sibimetipsi malum pœnæ, et obligat se maledicto, si ita sit sicut imponitur ei, vel nisi illud quod dicit, sit verum. Quidam dicunt totam trinam negationem factam in atrio Annæ, et quæ dicta sunt inde, post missum Jesum ad Caipham, recapitulando dicta, ; alii vero dicunt in atrio Caiphæ totam factam, et secundum hoc Joannes anticipavit primam ; sed communior opinio est, quod trina negatio incepit in atrio Annæ, et completa est in atrio Caiphæ. Et hoc videtur patere ex textu Joannis, qui cum non faciat mentionem de Caipha, sed solum de Anna, ponit primo unam negationem ; deinde ea quæ Annas interrogavit de Christo, et tandem prosequitur alias duas negationes, quæ factæ fuerunt postea in atrio Caiphæ. Et potuit esse quod Joannes esset notus utrique Pontifici, et similiter introduxit Petrum in domum utriusque, prout supra patuit, ubi Annas Jesum ad Caipham misit.

18 Respiciente eum Christo, Petrus flet amare. — *Et* hic, cogita etiam quomodo *Dominus* benignus Magister, *conversus* a justitia ad misericordiam, *respexit* divinitus *Petrum* dilectum discipulum, in tertia vice, respectu miserationis et gratiæ ; quia misericordia provocat ad pœnitentiam, et est necessaria ad eam. Conversio quidem ista et respectus fuit interior, et spiritualis, non exterior, et corporalis ; quia Dominus erat intus in auditorio, et superius cum principibus, Petrus autem foris in atrio, et inferius cum ministris : et unus alium videre non poterat oculis corporalibus. Unde ait *Leo* Papa : « Dominus autem Jesus, qui intra pontificale concilium corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi solo divino intuitu vidit, paventisque animum mox, ut respexit, erexit, et in fletum pœnitu-

dinis concitavit. » Unde, secundum *Augustinum*, divina Petri respectio nihil aliud fuit, nisi traditio in mente ejus, quoties jam Dominum negasset, et hoc quod Dominus ei prædixisset; atque ita misericorditer Domino eum respiciente, pœniteret et fleret, sicut solemus dicere : Domine, respice me; et respexit eum Dominus, qui absque periculo, divina misericordia liberatus est. *Recordatus est* enim *Petrus verbi Jesu quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis*. Hæc autem recordatio fuit initium pœnitentiæ ejus, quia, secundum *Chrysostomum*, nihil ita curat delictum, ut memoria Domini continua. Unde ait *Beda :* « Respiciente eum Domino, Petrus ad cor reversus maculam negationis suæ pœnitentiæ lacrymis tergit; quia non solum cum agitur pœnitentia, verumetiam ut agatur Dei misericordia necessaria est; unde Psalmista : *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me, respice et exaudi me, Domine Deus meus*, id est miserere et adjuva : » hæc *Beda*. Petrus autem, cognoscens quod Dominus eum audierat et respexerat, et hoc respectu commonitus, *et* ad amaras lacrymas provocatus, *egressus foras*, de medio malorum, inter quos eum negaverat, et fugiens in caveam, seu in foveam, quæ modo galli cantus appellatur, *flevit amare*, id est cordis sui amaritudine, et fletu contritionis, qui amarus est. Fletus autem devotionis est suavissimus in tantum ut pro cibo reputetur, secundum illud Psalmistæ : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. In ipso autem loco ubi post negationem flevit, et pœnitentiam fecit, in memoriam amari fletus et pœnitentiæ ejus, ædificata est ecclesia sancti Petri, qui locus est inter montem Sion et civitatem Jerusalem. Exinde tunc Petrus traxit in consuetudinem, ut singulis noctibus surgens a primo gallorum cantu, usque ad horam matutinam staret in oratione, flens pro ista negatione : ita quod facies ejus videbatur adusta ex fluxu lacrymarum, et semper in sinu suo sudarium portabat, quo crebro fluentes lacrymas tergebat; quia quandocumque gallum cantantem audiebat, et quandocumque denegationem Christi recolebat, amarissime flebat tam pro peccato negationis, quam pro dulcedine amoris Domini. Unde, secundum *Chrysostomum*, flebat Petrus non propter pœnam; sed, quia dilectum negaverat, quod ei quolibet supplicio molestius erat. Attende nunc ubi Petrus negavit, et fuge omnem locum qui occasionem peccandi inducit. Unde *Ambrosius* : « Ubi tamen negavit Petrus? Non in monte, non in templo, non in sua domo; sed in prætorio Judæorum, et in domo principis sacerdotum. Ibi negat, ubi Jesus ligatus est, ubi veritas non est. » Unde et *Hieronymus* : « In atrio cum ministris calefacit se ad ignem : atrium sacerdotis, circuitus est secularis; ministri, dæmonia sunt; ignis, desiderium carnale, cum quibus qui manet, flere peccata non potest : » hæc *Hieronymus*. Hinc nota, quod malum est conversari in curiis magnatum, Petrus enim semel curiam intravit, et ibi animi vigorem perdidit, et Christum negavit. Quid, si diu ibi mansisset? Unde non ibi, sed foris pœnituit. Sic stella a Magis in curia Herodis disparuit, quibus inde egressis reapparuit. Exivit itaque Petrus de atrio principis, ut liberum locum flendi haberet, quia inter impios pœnitentiam agere non valebat, et cum vellet flere egressus est foras : palam enim flere non audebat, ne scilicet ab aliis videretur, et a lacrymis deprehenderetur. In quo et nos instruimur, ut volentes insistere lacrymis, secretum locum quæramus. Unde *Beda* : « Quam nociva sane alloquia perfidorum! Petrus inter Judæos vel hominem se nosse negavit quem inter condiscipulos Dei Filium confessus erat. Sed nec in atrio Caiphæ retentus poterat agere pœnitentiam, egreditur foras ut ab impiorum concilio secretus, pavidæ negationis sordes liberis fletibus abluat : » hæc *Beda*. Sic hodie multi in atrio magnorum introducti, Christum malis operibus negant, et vix aut numquam, dum ibi sunt, pœnitent, quia in magnatum domibus non est congruus

pœnitentiæ locus, et ideo qui vult peccata vitare, et mala quæ fecit emendare, debet egredi de mala societate Unde *Bernardus* : « Periculosum est valde, si quis velit inter turbas seculi pœnitentiam agere, ubi : inimicorum alii venenatis persuasionibus, alii undique exemplis pejoribus ad peccandum alliciunt, alii adulationibus in vanam goriam trahunt, alii detractionibusin impatientiam dejiciunt : » hæc *Bernardus*.

19 Petrus in pœnitentia imitandus. — Imitare ergo Petrum, qui voluntate, verbo vel facto procaciter negasti Christum pro te passum. Cognoscit Petrus reatum suum, dolet et pœnitet, egreditur foras, relinquit concilium malignantium, et locum petit secretum lacrymis et pœnitentiæ amicum; flet amare, certissime intelligens, quia, sacrificium Deo est spiritus contribulatus, et quod cor contritum et humiliatum Deus non despicit. Tu quoque. rememorans Passionem dilectissimi Magistri, tuumque reatum, foras cum Petro egredere, ut teipsum defleas amarissime, si quando te respiciat, qui Petrum lacrymantem respexit. Hic est ergo pœnitentiæ modus. Peccasti : quiesce, dole, et lacrymare, et disce cum Petro flere amare; et si vis mereri veniam, dilue lacrymis culpam tuam. Geminæ quoque amarificationis, scilicet contritionis pro te, et compassionis ad Christum, inebrieris absintho, ut expiatus cum Petro a reatu sceleris, repleearis cum Petro Spiritu sanctitatis. Circa hoc autem sic dicit *Ambrosius* : « De Petro non invenio quid dixerit ; invenio quod flevit, ejus lacrymas lego, satisfactionem non lego : ex quo videtur, quod tanta fuit ejus contritio, quod sufficiebat pro ipsius satisfactione. » Unde et *Leo* Papa : « Felices, o Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere Baptismatis. » Inde est argumentum quod contritio potest esse tanta, quod tollat omnem pœnam. Et hic nota ordinem pœnitentiæ Petri : primo *gallus cantavit* ; deinde *Dominus Petrum respexit*; tertio, Petrus *flere cœpit ; et* tunc *egressus foras, flevit amare.* Sic hodie fit : nam, secundum *Gregorium*, tunc nobis gallus cantat, quando prædicator quisque corda nostra ad compunctionem excitat ; sed cantus galli non sufficit, nisi Dominus oculo pietatis peccatorem respiciat, quia oportet ut miser in tenebris permaneat, quamdiu eum lux mundi non illuminat ; tunc autem tertio, secundum *Gregorium*, incipimus flere, quando ignimur intus per scintillam conscientiæ, et tunc foris eximus, cum extra quod fuimus egredimur. Unde ait *Beda* : « Petrus, qui media nocte negavit, ad galli cantum pœnituit; et quod in tenebris oblivionis erravit, speratæ jam lucis rememoratione correxit. Hunc opinor gallum aliquem doctorem intelligendum, qui nos jacentes excitat, et somnolentos increpat, sic dicens : Evigilate justi, et nolite peccare : » hæc *Beda*. Cogita nunc qualiter Petrus pro Domino suo, et pro peccato suo plangebat ; et quomodo recogitabat bona quæ sibi Dominus fecerat, et qualiter ipse eum negaverat. Dominus quidem intuitu suo spirituali provocavit Petrum ad lacrymas. Nec mirum, oculi enim Domini velut flamma ignis ; Petri vero oculi ut glacies erant : et ideo intuitu suo resolverunt illos sicut ignis glaciem resolvere solet, nec poterat in negationis tenebris permanere, quem lux mundi respexit. O beati oculi tui, Domine Jesu, qui ita calefaciunt cor frigidum, et accendunt in amorem tuum, et illuminant, ut videat homo Creatorem et errorem suum ! O quam cito gelicidium pectoris liquefaciunt, et in aquas amaritudinis et devotionis convertunt ! Unde ait *Anselmus* : « Intuere quam piis oculis, quam misericorditer, quam efficaciter tertio negantem respexit Petrum, quando ille conversus, et in se reversus, flevit amare. Utinam, bone Jesu, tuus me dulcis respiciat oculus, qui toties ad vocem ancillæ procacis, carnis scilicet meæ, pravis operibus affectibusque te negavi ! » hæc *Anselmus*.

20 Quid moraliter signatur per ancillas et ministros, ad quorum vocem Petrus Christum negavit ? — Mo-

raliter, per primam ancillam ostiariam, quæ Petrum negare cogit, designatur cupiditas; per secundam, carnalis voluptas; per unum seu plures, qui adstabant, intelliguntur dæmones : his enim ad Christi negationem trahuntur homines. Prima ancilla, scilicet avaritia, seu cupiditas, quæ hodie in domibus multorum principum est ostiaria, quasi omnes intrare facit : quia sicut ostiarius intromittit quos vult, sic et avaritia idem facit, unde in Proverbiis : *Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit.* Timendum est, ne expulsa caritate a domibus prælatorum, tamquam domina incipiat principari ancilla; quia caritas expellitur, dum cupiditas ingreditur, nam venenum caritatis est cupiditas. Huic vero carnalis delectatio, et dæmones adhærent, qui Christum negare suadent. Per Petrum autem, qui interpretatur *agnoscens,* intelligi potest clericus, qui a longe sequitur Dominum, quia forte non propter se, sed propter sua, qui multoties cupiditate devictus negat Christum. O quot sunt hodie miseri curias principum sequentes, qui vix aut numquam pœnitent, dum sunt ibi!

21 Sex documenta ex negatione Petri, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo negationis Petri plura habentur documenta. Primum est, quod prælatus Ecclesiæ debet esse talis, qui infirmitatibus subditorum compati sciat : quia, secundum *Gregorium*, ideo Dominus Petrum cadere permisit, ut et fortius post casum resurgeret, et ut is, qui futurus pastor Ecclesiæ erat, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri deberet, et ex sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliena infirma toleraret. Et, secundum *Chysostomum,* Christus permisit Petrum labi, ut prælatis exemplum præberet fragilitati subditorum melius compatiendi. Nam, secundum eumdem, ideo Angelis non est commissa sacerdotis potestas, ne cum ipsi minime peccarent, de sua innocentia præsumentes, alios sine misericordia judicarent; sed potius est collata homini fragili et peccanti, ut circa aliorum lapsum se mitem præbeat et benignum. — Secundum est, quod nullus debet se jactare et extollere, aut de sua virtute et viribus præsumere. Unde *Leo Papa* : « Ob hoc Petrus hæsitare permissus est, ut in ipso Ecclesiæ principe conderetur remedium pœnitentiæ; et nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec ille tantus potuisset evadere. » Unde et *Chrysostomus* : « Quod Evangelistæ scripserunt, nos erudire volentes, quantum malum sit non Deo totum concedere, sed in seipso confidere. » Unde etiam *Ambrosius :* « Hæc autem ideo scripta sunt, ut sciamus neminem se jactare debere. Nam, si Petrus lapsus est, quoniam dixit : *Etsi alii scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor,* quis alius jure de se præsumat? Denique et David qui dixerat : *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum,* eam sibi jactantiam obfuisse profitetur, dicens : *Avertisti faciem tuam a me ; et factus sum conturbatus.* » — Tertium est, quod in principio obstandum est peccatis, quia unum semper trahit ad se aliud gravius; sicut in proposito primo fuit nuda negatio, secundo, negationi accessit perjuria, tertio, perjurio accessit maledictio; vel, sicut dicit *Hieronymus :* prima ancilla, titubatio; secunda, consensio; tertius vir, actus est. Hæc est trina negatio, quam abluit per fletus verbi Christi recordatio. — Quartum est, quod si nos quandoque ex fragilitate peccemus, nullo modo in peccato perseveremus : quia, secundum *Glossam,* perseverare in peccato, dat incrementa scelerum; et qui spernit minima, cadit in majora. Et, secundum *Gregorium,* peccatum quod pœnitentia non diluit, mox ad aliud trahit. Ecce enim beatum Petrum ad primam negationem impulit una tantum ancilla; ad secundam, duo, scilicet ancilla et vir; ad tertiam, plures. — Quintum est, quod nullus peccator debet desperare, quantumcumque peccata sint gravia; sed debet pro peccatis suis flere, exemplo beati Petri, qui culpam negationis abluit lacrymis pœnitentiæ. In hoc enim re-

medium nobis pœnitentiæ ostenditur, et in maximis excessibus veniam sperare conceditur, cum Petrus post tantum peccatum factus sit janitor cœli, ac omnibus norma et regula pœnitendi.— Sextum est, quod nos caveamus ne umquam Christum negemus. Christum namque negat quis in omni mortali peccato, quia consentiendo diabolo, abnegamus Christum, et recedimus ab eo. — In conformando se huic articulo, cogitet homo quam pie ipsum Deus respiciet, et tunc instar beati Petri rememoretur peccata sua breviter et summarie, et ea quantum potest lacrymis saltem cordis defleat. *Jesu, qui a beato Petro Apostolorum tuorum principe ter negari te pertulisti, quique eum misericorditer respiciens reatum suum amare flere fecisti, respice, quæso, me oculo clementiæ tuæ, et concede me verbis vel factis te numquam negare, et peccata mea digne deflere.*

22 Quomodo noctem Passionis transegit Dominus. — Tandem fatigati principes Judæorum, et ministri iniquitatis, et ceteri Judæi recesserunt euntes ad dormiendum, et mittentes Dominum Jesum in quemdam carcerem ibi subtus solarium, cujus adhuc videri potest vestigium; ligaverunt eum ibi ad quamdam columnam lapideam, cujus pars ibidem mutata fuit, et adhuc, ut dicitur, apparet. Dimiserunt nihilominus cum eo aliquos armatos ad tutiorem custodiam, qui eum vexaverunt per totam noctem residuam, quasi non sufficeret dies ad complendum malitiam suam, derisionibusque et maledictionibus vacantes convitiabantur, ei dicentes: Putabas te esse prudentiorem principibus, et Pharisæis, nunc tua stultitia apparet, modo stas ut convenit, et morte crudelissima cito morieris. Intuere igitur qualiter illi audaces et pessimi convitiantur eidem et insultant: et modo unus, modo alius verbis et forte etiam factis contra eum insurgunt. Tanta enim dicunt et faciunt ei irreverenter, hujusmodi mercenarii et vilissimi quanta possunt. Unde *Anselmus*: « Nox insomnis tota ducebatur, nulla prorsus requies Jesu præstabatur; ministrorum impia plebs injuriatur, alapis et colaphis innocens mactatur. Intuere nunc opprobriis Dominum verecundum, in tormentis vero patientem, et vultum semper ad terram habentem, et silentem ad omnia, tamquam vere esset deprehensus in culpa, et mira cordis contritione compatere tuo Creatori: » hæc *Anselmus*. Et sic stat Dominus rectus ad istam columnam ligatus, et saturatus opprobriis usque mane, afflictus nimis frigore et labore, quia hiems erat et noctes longæ. Tu ergo ibis ad eum, et vehementer sibi compatiens, dices ad ipsum: *O Domine, ad quorum manus venisti? Quanta est patientia tua! Vere ista est hora tenebrarum.* Et tunc devotissime osculaberis manus et pedes ejus venerabiles, et vincula illa durissima, et sedebis ibi ad pedes illius dolens et lugens, et dices: *O Domine Jesu, saltem requiescat caput tuum super humerum meum, ex quo te liberare non possum.* Et tunc recommendabis te ei, et omnes amicos tuos, et totum absque dubio concedet tibi quidquid rogaveris et petieris ab eo. Et dices ei: *O Domine, quid dicam in crastinum dignissimæ Matri tuæ?* Et sic ad pedes beatissimos aliquantulum dormitabis et quiesces, si tamen dormire potes, in tali statu Dominum tuum videns.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora matutina coram Anna a ministro alapam suscepisti, et te ligatum ad Caipham duci permisisti, et tota nocte multa opprobria et incommoda pertulisti, tribue, quæso, mihi peccatori ut similia pati gaudeam pro gloria tui nominis, et gaudiis perfrui merear æternis Illis quoque tuæ pietatis oculis, quibus tunc Petrum respexisti, me miserum frequenter respicias, qui te toties pravis cogitationibus, locutionibus, operibus,

negligentiisque negavi, ut valeam defectus meos cognoscere et inde pœnitere, ac veniam et gratiam merear apud te invenire. Amen.

# CAPUT LXI

## DE PRIMA, IN PASSIONE DOMINI.

Matthæi cap. XXVII, Marci cap. XV, Lucæ cap. XXII, XXIII et Joannis cap. XVIII, XIX.

1 SECUNDUM, MANE FACTO, MALIGNANTIUM CONCILIUM ADVERSUS JESUM. — Hora prima, corde doloroso et mœsto meditaberis, qualiter, *confestim mane,* scilicet *ut factus est dies, convenerunt,* scilicet apud Caipham Pontificem, *principes sacerdotum,* id est alii pontifices, qui præcellebant reverentia dignitatis; *et seniores populi,* qui præcellebant reverentia ætatis; *et Scribæ,* qui præcellebant reverentia doctrinæ legalis; *et concilium inierunt adversus Jesum, ut eum morti traderent,* et fecerunt Dominum tuum dulcem Jesum nimis afflictum ibi adduci. Hic est conventus malignantium, cujus prior sive abbas erat Caiphas, *qui erat Pontifex anni illius.* Cum autem volunt eum de domo ducere, dicunt ei : Jesu, quid facis, ibimus an non ? Veni, quia principes et sacerdotes mandant, quod ducaris ad concilium, ubi te exspectant cum populo, volentes te tradere Pilato, ut moriaris. Tu autem, si adhuc cogites te cum ipso esse, dices cum magna compassione : *Heu, Domine mi ! heu, Magister bone! quia jam te volunt perdere jam volunt te morti tradere. O Domine, quid ego miser faciam? O quam crudeles et quam dolorosi rumores ! O Domine, quam lugubrem visionem habebit tua Mater dulcissima, quam amaros rumores audiet tam ista, quam omnes qui te diligunt cum ea ! O Domine ! quid ego miser faciam? Ibo tecum, Domine, vel ibo nuntiare et dicere Dominæ meæ benignæ Matri tuæ, ut veniat ad te.* Postea videbis quomodo ducunt eum tamquam agnum mansuetum, qui portatur ad victimam, et quomodo ipse intrat ligatus et afflictus, et omnes in eum respiciunt, et insultantes ei dicunt : O bone Jesu, hic es? Quomodo si Propheta eras, istud non prævidebas? Talia et multa similia poterant ei dicere illi maledicti. Considera modo quantum Judæi sitiebant sanguinem Jesu Christi, qui summo mane quærebant sententiam de morte ejus dari. Nam tanta erat eorum nequitia, ut nulla mora interponeretur, quin occidendus Pilato traderetur. Et sic bis fuit concilium impiorum adversus Jesum : primo, ante galli cantum, ut visum est superius; secundo, mane confestim, quando dies est factus, cum *vincientes Jesum duxerunt illum in concilium suum.* Quia enim ex testimoniis præhabitis non habebant aliquid, unde coram Pilato sicut reus mortis accusari posset; ideo ulterius consulebant, qualiter, et qua ratione eum morte dignum accusarent.

2 CHRISTUS SE ESSE FILIUM DEI PALAM CONFITENS DAMNATUR. — Et tunc interogaverunt eum *dicentes: Si tu es Christus,* id est rex et unctus, *dic nobis.* Ubi *Beda* : « Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. Siquidem Christum hominem tantummodo de stirpe David venturum sperantes, hoc ab eo quærebant, ut si diceret : Ego sum Christus, calumniarentur quod sibi regiam potestatem arrogaret, et ob hoc a rege puniendus esset. » *Et ait illis : Si vobis dixero,* scilicet quod sim Christus, *non creditis mihi,* sicut et alias

non credidistis nec verbis meis, nec factis; *si autem et interrogavero* vos, *non respondebitis mihi*, sicut nec alias respondistis, cum interrogarem, quomodo Christus filius David esset; *neque dimittetis*, scilicet me, qui tamen sum innocens. *Ex hoc autem*, scilicet tempore, id est post tempus Passionis et Ascensionis, *erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei*, id est in potioribus bonis Patris, secundum humanitatem, sed in æqualitate Patris secundum divinitatem. Unde bene dixit: *Filius hominis*, quia in quantum Filius Dei semper fuit æqualis Patri, et sedens ad dexteram Patris. Quasi diceret: Ero in vita regnans sempiterna et virtute divina, cum hic infirmus coram vobis appaream. Ubi *Theophilus*: « Quasi diceret: Non est vobis de cetero tempus sermonum et doctrinæ, sed deinceps judicii tempus erit, cum videbitis me Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei. » Tunc, *dixerunt omnes*: *Tu ergo es Filius Dei*, scilicet naturalis. *Qui ait*: *Vos dicitis, quia ego sum*. Quasi diceret: Ego nec dico, nec nego; sed vos dicitis, quamvis non credatis. Sua ergo sententia condemnantur. Ubi *Beda*: « Ita responsionem suam temperat, ut et verum dicat, et tamen sermo ejus calumniæ non pateat. Maluit enim se Christum Filium Dei probare, quam dicere, ut condemnandi causa tolleretur his, qui quod objiciunt hoc ipsi fatentur. » *At illi* hanc responsionem blasphemiam reputantes, *dixerunt*: *Quid adhuc desideramus testimonium*, scilicet ad probandum quod se Christum dicat et Dei Filium? Hæc duo gravius ponderabant, scilicet, quod se Christum et Dei Filium dicebat: eo quod unum videbatur esse contra Deum, reliquum contra Romanum imperium. *Ipsi enim audivimus de ore ejus*. O insensati, excæcavit vos malitia vestra! Audistis ex ore ejus Dei reverentiam qua erat colendus, et non blasphemiam qua esset crucifigendus. « Ergo, ut ait *Beda*, sua se sententia condemnant, qui eum morti tradunt, quem oris, et operis testimonio Deum esse cognoscunt. »

3 CHRISTUS AD PILATUM DUCITUR. — *Et* post multa quæ contra eum fecerunt, ut æstimo, sicut in nocte fecerant, *vinctum adduxerunt eum*, a domo Caiphæ Pontificis, ad domum Pilati Præsidis Romanæ potestatis, ad quem pertinebat judicium in causa sanguinis, ut scilicet Pilato totum imponeretur, et ipsi immunes reputarentur. *Adduxerunt*, inquam, *eum vinctum*, scilicet manibus post tergum ligatis, et cum multis convitiis ac contumeliis; et dicitur catena in collo ejus posita, quæ postea ostendebatur in Jerusalem peregrinis pro devotione magna, qui et ipsi submittebant in ea colla sua. Cogita nunc, cum quanto opprobrio Christus ducitur per medium civitatis Jerusalem, convitiantibus principibus sacerdotum et Pharisæis, atque dicentibus: Veni nobiscum latro, et deceptor populi, nunc tua maleficia finem habebunt in brevi. Horrenda prorsus impietas, quæ tantis injuriis satiari non potuit, quin potius ferali rabie fremens, impio judici, tamquam rabido cani, animam justi deglutiendam exposuit.

4 DESPERATIO ET MORS PESSIMA PRODITORIS. — *Tunc videns Judas*, qui eum tradidit, *quod* Jesus *damnatus esset*, concilio sacerdotum et seniorum, id est damnationi et morti adjudicatus; consuetudo enim erat Judæorum, ut quem reum mortis judicassent, vinctum Præsidi traderent, ut dum præses vinctum teneret, morti addictum intelligeret; *pœnitentia ductus*, infructuosa tamen, quia sine spe veniæ erat, *retulit* pretium, scilicet *triginta argenteos*, *principibus sacerdotum et senioribus* populi, a quibus male eos acceperat, quasi in sua potestate esset persecutorum sententiam mutare, et quasi eodem pretio quo Christum Dominum vendiderat posset eum redimere. Multi enim possunt alicui mala persuadere, quæ tamen pænitentia ducti post non potuerunt dissuadere, vel in bonum convertere. Si ergo Judas restituit pecuniam male acquisitam, quomodo usurarius tenet usuram, et simoniacus præbendam, vel quicumque rem alienam? Credibile est quod, lata sententia contra Christum, illi qui

principales fuerunt in morte Christi, redierunt ad templum; et tunc venit *Judas*, *pœnitentia ductus*, id est angustia quadam et tristitia tactus, quæ tamen non valuit, quia non propter amorem Dei, sed propter enormitatem rei tristis fuit; *et retulit triginta argenteos, dicens : Peccavi tradens sanguinem justum*. Non valuit Judæ ista confessio, quia deerat spes veniæ ac salutis. Ubi sic dicit *Chrysostomus :* « Vide veritatem undique fulgentem, proditor de seipso dat testimonium, et eorum qui condemnaverunt oppilat ora. » *At illi* deridentes eum, *dixerunt : quid ad nos*, scilicet de peccato tuo, qui non sumus rei in hoc facto? *Tu videris*, et senties te peccasse; sed nihil ad nos pertinet, et nobis de hoc non est cura. Professio hæc audax est, atque cæca. Emisse se justi sanguinem audiunt, et tamen extra reatum se esse credunt, et in solo vendente scelus constituunt. Unde, secundum *Chrysostomum*, accusatio sacerdotum est, quia non egerunt pœnitentiam, etiam Juda pœnitente. *Et* tunc videns Judas quod eum deridebant, lapsus in desperationem, *projectis argenteis in templo*, unde recepti erant, *recessit, et abiens laqueo se*, ex desperatione, *suspendit*; ex quo patet quod cupiditas sua nihil sibi valuit. Maluit se quam denarios perdere : denarios templo, seipsum diabolo tradidit et laqueo. Hic habemus duo exempla : primum est, quod avaritia non est aliud quam quidam laqueus diaboli, per quam suspendit avaros; secundum exemplum est, quod crudelitas præsidentis est occasio desperationis peccatoris. Judas enim retulit pecuniam pœnitentia ductus, et peccatum suum est confessus; sed, quia principes dure responderunt sibi, dicentes : *Quid ad nos? Tu videris*; desperatus *abiens*, *laqueo se suspendit*. Sic frequenter circa peccatorem accidit. Judas laqueo se suspendit in terræ meditullio, indignus hominum et Angelorum consortio : indignus colligi inter Angelos, qui in cœlis sunt; indignus etiam colligi inter homines, qui in terra; socius factus dæmonum, quibus deputatus est aer iste caliginosus in carcerem, usque ad judicium. Sunt autem tres rationes quare tali morte decuit proditorem interire : prima, ut elevatus in aere, socium se ostenderet dæmonum, in hoc aere caliginoso habitantium; secunda, quia paciscendo locutus fuerat, in gutture punitur, ut arteriæ quæ vocem proditionis emiserant, punirentur : quia *per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*; tertia, ut cœlo et terræ exosus ostenderetur, quia non solum proditionis culpam emendare nequivit, sed etiam homicidii proprii scelus addidit. Mirabilis duritia Judæorum, quos nec confessio peccati, nec restitutio pretii, nec operatio proprii suspendii emollivit, quia nec pœnitenti, nec projicienti, nec se suspendenti Judæ crediderunt. Cum Juda quippe semetipsos suspendunt, qui veniam petere et satisfactioni intendere nolunt. *Et crepuit medius*, effusis visceribus, rupto enim laqueo putatur cecidisse et crepuisse, et in hoc quodammodo delatum est ori, quo osculatus Dominum fuerat, ne per os damnata anima exiret; non enim tam viliter inquinari debuit, quod tam gloriosum scilicet os Christi contigerat. Dignum enim erat ut viscera, quæ proditionem conceperant rupta caderent, et guttur quo vox proditionis exierat, laqueo arctaretur. Sæpe enim modus pœnæ exprimit modum culpæ. Væ Judæ, quia ad fontem misericordiæ per spem veniæ non rediit, sed proprii sceleris immanitate perterritus desperavit! Et ideo dicit *Hieronymus*, quod magis Judas offendit Deum quando se suspendit, quam in hoc quod eum prodidit.

5 Pretio sanguinis Christi emitur ager Haceldama. — *Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere*, id est remittere, *in corbonam*, id est in templi gazophylacium, unde eos tulerant, *quia pretium sanguinis* et mortis *est*; quod ibi mittere noluerunt, caventes scilicet ne sacros loculos pecunia cruenta polluerent. Vere, secundum *Hieronymum*, culicem excolantes, et camelum glutientes : si enim ideo

pecuniam, quia pretium sanguinis est, in corbonam, hoc est in gazophylacium, et inter dona Dei non mittunt, cur ipsum sanguinem fundunt? Unde *Augustinus* : « Qualis illa innocentiæ simulatio fuit, pecuniam sanguinis non mittere in arcam, et ipsum sanguinem mittere in conscientiam? » *Concilio autem* inter se *inito*, *emerunt ex eis agrum*, cujusdam *figuli*, *in sepulturam* mortuorum, scilicet *peregrinorum*, qui non habebant sepulchrum proprium ; et *propter hoc vocatus est ager ille Haceldama*, *hoc est ager sanguinis*, *usque in hodiernum diem*, in detestationem proditoris Judæ et memoriam Passionis Jesu Christi : quia enim pretium mortis fuerant, in usum mortuorum, et hoc peregrinorum eos tradiderunt, Quod fecerunt, non in misericordiam, sed in Salvatoris infamiam, simulando pietatem, et intendendo iniquitatem, ut longe lateque diffamaretur, emptio, et propter hoc addita est impositio nominis Christi. A parte montis Sion in vallem Josaphat descendendo, juxta natatoriam Siloe contra Austrum, ad jactum lapidis ultra vallem, est ager *Haceldama*, ubi est sepultura peregrinorum, ubi fuit monasterium seu ecclesia omnium Sanctorum. In hoc autem quod de pretio sanguinis agrum emerunt in sepulturam peregrinorum, mysticé datur intelligi quod Christus per suum sanguinem nobis peregrinis emit quietem perpetuam et gaudium paradisi. Unde *Glossa* : « Magnum sacramentum latet in factis iniquitatis. Figulus est Deus, in cujus manu est ex eodem luto facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam ; ager ejus est seculum, quod universum pretio sanguinis ejus emitur, ut ei commortui sepeliantur peregrini, non utique Israel, sed alieni, qui in pretio sanguinis ejus sepulti æternam requiem sortientur. » Unde ait et *Hieronymus* : « Nos ergo, qui peregrini eramus a Lege et Prophetis, prava Judæorum studia in salutem suscepimus, et in pretio sanguinis Christi requiescimus. » Unde etiam *Augustinus* : « Peregrinis, inquam, qui sine domo et patria et toto orbe exsules jactabantur, requies Christi sanguine providetur. Istos autem peregrinos dicimus esse devotissimos Christianos, qui renuntiantes seculo et nihil possidentes in hoc mundo, in Christi sanguine requiescunt : » hæc *Augustinus*.

6 Dolor Mariæ super Filio capto. — Cum autem per omnes plateas Jerusalem diceretur, quod Dominus Jesus captus esset, et quomodo Judæi eum crucifigere vellent, percipiens hos rumores terribiles dolorosa Mater ejus, quæ tamen cum primo caperetur, hoc in spiritu, ut dicitur, cognoverat, ducta est cum inæstimabili lamento, et fletu, et planctu a sororibus suis et aliis, quasi mortua. Et venit ad videndum Filium suum dilectum, plorans incessanter per civitatem Jerusalem, et dicens : Heu me ! Ubi est nunc amantissimus Filius meus? Ubi es, dulcissime Fili? Ubi te inveniam? Quis te cepit, carissime? Quare te mihi abstulerunt, benignissime? Hæc et his similia poterat dicere, et multo magis moventia mentes audientium, etiam infidelium, ad devotionem et compassionem. Æstimo quod omnes qui viderunt illam dicerent : O quam male est isti bonæ mulieri ! Si vidistis parem dolorem? Et cum ipsa ac sorores ejus et alii qui secum venerant, viderent eum sic ligatum, afflictum, consputum, ab omnibus despectum, a discipulis derelictum, ac omni solatio et auxilio destitutum, non loquentem, non se excusantem, sic vituperabiliter et sic enormiter a tanta multitudine armatorum crudelium duci, ad sistendum tribunali judicis iniqui, et condemnandum eum morti ; quanto sunt dolore et amaritudine repleti non posset dici, vel sermone explicari. Credo quod quasi mortui in terram prosternebantur, coram eo. Dominus etiam videns Matrem et alios in tanto dolore, valde dolebat et ipse. Multum enim affligebatur ex compassione, quam ad suos et maxime ad Matrem habebat : sciebat enim, quod pro ipso usque ad evulsionem animæ a corpore dolebant. Et sic Domino ubique et sem-

per dolor multiplicabatur non modicum, dolorem enim Matris et suorum reputabat suum : in illo ergo mutuo conspectu magnus valde dolor fuit utrinque. Sequuntur vero a longe, quia non possunt appropinquare. Considera et intuere ista diligenter per singula, quia multum sunt compassiva. Cogita, si potes, tantam amaritudinem, si piam habes animam, quia longum est cogitare animæ habenti devotionem. Sicut ergo dulcissima Mater, Filio suo sic angustiato viso, valde doluit, ac ei ex intimis compassa fuit, et amarissime flevit ; similiter et Dominus Matri et aliis compassus etiam multum doluit, sicut fidelis amicus suo amico et proximo mala patienti compati et condolere debet.

7 Pilatus Judæos interrogat de Christo. — *Adducunt ergo Jesum vinctum a Caipha*, et eum Pilato Præsidi, incircumciso cani, glutiendum tradiderunt, *in prætorium*, quod erat in domo Pilati locus quidam ubi judicabat, et prætoris seu judicis sedem et locum tenebat. Unde *Beda* : « Prætorium enim dicitur sedes prætoris. Prætores autem dicuntur præfecti, sive præceptores, eo quod civibus præcepta donent. » Tradiderunt eum potestati Romanæ, ut eo modo alienos se ostenderent ab ejus interfectione; in quo non eorum innocentia, sed magis demonstratur insania. *Et ipsi*, qui ducebant eum, *non introierunt in prætorium*, *ut non contaminarentur*, intrando domum Gentilis, *sed ut manducarent Pascha*, id est azymos panes, quos non licebat comedere nisi personis mundis ; dies enim agere cœperunt azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat in alienigenæ intrare habitaculum. Timebant contaminari, ex ingressu domus hominis Gentilis, et non timuerunt inquinari ex procuratione mortis Christi innocentis ; ex quo patet superstitio eorum vana, sicut in multis aliis. Unde *Augustinus* : « O impia cæcitas ! Habitaculo videlicet contaminarentur alieno, et non contaminarentur scelere proprio ? Alienigenæ judicis prætorio contaminari timebant, èt fratris innocentis sanguinem effundere non timebant? » hæc *Augustinus*. Istis sunt similes, qui conscientiam magnam de minimis faciunt, et multo graviora committunt. Cum ergo Jesus esset in prætorio, *Pilatus*, observantiis Judæorum, qui domum ejus ingredi non audebant deferens, *exivit ad eos foras*, de prætorio. Ipse enim erat quasi medius hinc inde discurrens, *et* quærens de quo, in judicio, accusarent eum, quem reum mortis judicabant, *dixit* : *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Videbat enim eum in signum damnationis ligatum, et a tot ductum ad damnandum, et ideo de causa ab eis quærebat, volens modum tenere Romanorum a quibus missus erat, quibus consuetudo erat nullum condemnare, nisi prius accusationem suam audirent, et ille locum defendendi haberet. *Responderunt et dixerunt ei* : *Si non esset hic malefactor,* quem Deus in Lege præcepit non pati vivere, *non tibi tradidissemus eum*, nos qui sumus tantæ religionis et auctoritatis. Quasi dicerent : Nos sumus tantæ veritatis et justitiæ, quod nobis deberet credi simplici verbo, sine aliqua disquisitione, nos enim factum diligenter examinavimus, et eum dignum morte invenimus; et ideo jam condemnatum tradimus eum tibi puniendum, nec oportet aliam facere examinationem. Sic homines malitiosi coram judicibus se justificant, ut innocenti magis nocere valeant. Miseri Judæi dicunt eum esse malefactorem, *qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* ; et faciunt secundum illud quod de eis per Prophetam jam ipse prædixerat : *Retribuebant mihi mala pro bonis*.

8 Quid significat Judæorum responsio : Nobis non licet interficere quemquam. — *At Pilatus*, quasi indignatus ex eorum responsione, quia sciebat eos per invidiam ipsum tradidisse, *dixit ergo eis : Accipite eum vos*, *et secundum legem vestram judicate eum*. Quasi diceret : Si sufficit vestra examinatio, sufficiat vestra sententia : ego nequaquam talis Judex efficiar.

Per quam responsionem mortem Christo inferre inhibebat, quia Romani aliqua minora judicanda Judæis dimiserant; sed causam sanguinis et altam justitiam sibi retinuerant. Unde *ergo dixerunt ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam*, scilicet propter potestatem ad alios translatam. Tamen contra seipsos dicebant, quia interficiebant, quem injuste interficiendum offerebant, et sanguinem innocentem fundebant, quem fundendum alteri tradebant. Argumentum contra sentientes, vel procurantes, aut simulantes fraudem inferendam proximo, cum possint obviare malo ; quia tales similes sunt Judæis hæc dicentibus, et sub prætextu justitiæ vel cujuscumque causæ suam nequitiam defendentibus. Multi etiam mali clerici sic dicunt, scilicet: Nobis non licet interficere quemquam, intelligentes de morte corporali, qui tamen pro modico habent multos interficere suo malo exemplo, morte spirituali, quæ pejor est interfectione corporali. Vel, dixerunt Judæi, sibi non licere illis diebus, propter festi solemnitatem et sanctitatem, quod celebrare jam cœperant, propter quod de ingressu etiam prætorii contaminari metuebant. Unde *Augustinus* : « Si malefactor est, cur non licet interficere? Si propter festum non licuit interficere, cur crucifige, crucifige eum, clamastis? » Vel, hoc Judæi dixerunt, quia crucifigi eum, ut etiam modo mortis infamaretur, cupiebant; et hoc eis secundum Legem non licebat, licet alio modo possent blasphemos interficere, qualem Christum reputabant, ut patuit in Stephano ab eis lapidato. Hoc autem factum est, *ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus*, id est a quibus, non enim mortem crucis hic significat; sed quia a Gentibus esset moriturus, et quod Judæi eum fuissent Gentibus tradituri ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum: hæc enim tria Dominus a Gentibus est passus. Quia enim propriis manibus Judæi noluerunt eum interficere, ut sic qui magis peccabant quasi alieni essent a scelere ; impletus est sermo Jesu, quem de sua morte prædixit, scilicet, quod a Judæis traditus occideretur a Gentibus.

9 Falsæ Judæorum accusationes. — *Cœperunt autem illum accusare* false in multis, de quibus solum tria exprimuntur, quæ Lucas successive ponit *dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram*, scilicet Judæorum, a cultu Legis, falsam doctrinam seminando; *et prohibentem tributa dari Cæsari*, et sic quasi contra ipsum seditionem faciendo; *et dicentem se Christum Regem esse*, quasi volens sibimetipsi regnum Judæorum usurpare. Nomine Christi reges Judæorum appellabantur, propter unctionem, sed addebant Regem, dicendo Christum Regem, gratia explanationis; quia Pilatus Gentilis erat, Gentiles vero reges suos non ungebant sicut Judæi faciebant, et ideo, si ei quod est Christum, id est unctum, non addidissent Regem, Pilatus non intellexisset. Sed falsæ erant accusationes. Unde non bene dicebant *invenimus*, quia quod ei imponebant non erat rei veritas, sed humana fictio et adinventio. Non enim subvertit gentem a Lege, quia ut ipse dixit : *Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere* ; nec subvertit, sed convertit, quos docuit in veritate. Nec prohibuit tributa Cæsari dari, sed dixit : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*; et liber a tributo, ne scandalizaret, solvit tributum pro se et Petro. Dicens quoque se Christum Regem esse, verum dixit, licet regnum in hoc mundo habere nollet ; quia cum ipsi vellent eum regem facere, fugit, et regnum respuit. Igitur, ut ait *Beda*, arguuntur impietatis Judæi, quod accusantes Salvatorem, et falso quidem, neque aliquid verisimile quod ei objicere possint inveniunt. De prima igitur accusatione, tamquam frivola et ad eum non spectante Pilatus parum curabat, quia enim erat homo Gentilis, non curabat de observatione seu violatione mosaicæ Legis; et secundam tamquam falsam et mendosam parvipendens nullam reputabat, quia

forte per revelationem audierat Jesum dixisse aliquando : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*; unde transit ad tertiam, quæ magis tangebat eum, et Romanum imperium, et videbatur contra Imperatoris honorem, scilicet quod dicebat se esse Christum, id est unctum sive Regem, nam directe contra Imperatorem erat quod aliquis se esse regem Judæorum diceret, qui Imperatori Romano sub tributo in signum subjectionis serviebant. Propter quod Romani nomen regium ab eis abstulerant, ut eorum superbiam frangerent, et sic rebellandi occasionem tollerent.

10 QUO SENSU REGNUM CHRISTI NON EST DE HOC MUNDO. — *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus*, ut ibi Christum magis pacifice et exquisite examinaret, extra tumultum et strepitum Judæorum, qui non audebant intrare prætorium, *et vocavit Jesum et dixit ei : Tu, es Rex Judæorum?* Quasi ei diceret : Estne hoc verum quod tibi ab istis imponitur, scilicet quod velis tibi usurpare regnum, vel quod sis Rex Judæorum, secundum quod accusant te? Quærebat utrum esset rex de jure, quia de facto constabat ipsum regem non esse. Et, secundum *Theophilum*, hoc interrogavit Pilatus, contemptum objecti criminis et accusationem Judæorum subsannando. Quasi diceret : Tu pauper, humilis, nudus, cui nullus adjutor, accusaris de regni ambitione, ad quod opus est multorum adjutorum atque sumptuum. Et, *respondit Jesus : A temetipso hoc dicis*, hoc est, quod tu æstimes, qui numquam me vidisti talibus intendere; *an alii tibi dixerunt de me?* Et tunc cognosce radicem dicti, ex quo nullum signum talis accusationis in me umquam vidisti. *Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum?* Quasi Domino diceret : Non sum Judæus, et ideo de istis quæstionibus a meipso non loquor, et per meipsum hæc scire non valeo; sed *gens tua et pontifices*, qui te ab alienigenis deberent defendere, *tradiderunt te mihi* pro malefactore. Tu ergo dic : *Quid fecisti?* Interrogatus itaque de regno, *respondit ei Jesus* eum erudiens, et ad altiora reducens : *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, secundum *Chrysostomum*, potestas mea, et auctoritas mea, qua sum Rex, non habet originem et principium ex causis mundanis et ex hominum electione; sed aliunde, scilicet a Patre meo, qui in cœlis est. Quasi diceret : Rex sum non quidem talis qualem suspicaris, sed multo major et clarior. Temporale quippe regnum fugi, et nullum de hoc signum ostendi. Unde idem *Chrysostomus* : « Nihil denique monstravit tale : neque enim milites, neque principes, neque equos, neque mulorum jugum, neque aliud quid tale habebat circa semetipsum; sed humilem hanc et inopem vitam pertransibat, duodecim viles homines secum circumferens : » hæc *Chrysostomus*. Secundum divinitatem omnia sunt subjecta Christo; tamen quantum ad humanitatem in primo adventu suo non venit ad dominandum temporaliter et regnandum; sed magis ad serviendum et patiendum. Unde non negat se esse Regem, sed magis concedit, quia secundum veritatem ipse erat Rex regum; verumtamen ad tollendum occasionem evadendi, temperat suam responsionem, dicens, quod non quærit hujus mundi temporalem dominationem, quia regnum suum non est de hoc mundo, quantum ad temporalia ista quærenda et habenda. Et revera regnum ejus neque Judæis, neque Romanis adversum erat, nec dominationem eorum impediebat; quia ipsi tantum de regno terreno, quod de hoc mundo est, curabant. Quasi diceret eis : Decepti estis, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, ne vano timeatis et sæviatis; sed ad regnum cœleste quod non est de hoc mundo, venite credendo, ad quod vos invito prædicando. Christus dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo*; sed tamen multi prælati, qui sunt ejus vicarii, contrarium videntur dicere facto, in pompis se principibus terrenis æquantes, vel etiam eos excedentes. Et subjungit : *Si ex hoc mundo esset regnum meum*, tunc,

*ministri* regni *mei* terreni, unde post regem etiam regnum temporale habet firmitatem, *utique decertarent*, contra adversarios, *ut non traderer Judæis*; per quod patet quod non est mundanum regnum meum. Unde sequitur : *Nunc autem regnum meum non est hinc,* id est de hoc mundo ; est tamen hic, quia ubique attingit a fine usque ad finem. Unde *Augustinus :* « Non dicit : Non est hic, hic est enim regnum ejus usque in finem seculi, habens in se commixta zizania usque ad messem ; sed tamen *non est hinc*, quia peregrinatur in hoc mundo. » Unde et *Theophilus :* « Non dicit : Non est hic; sed : *Non est hinc.* Nam regnat in mundo, et utitur illius provisione, et juxta votum cuncta disposuit. Non est autem ab infimis constitutum regnum ejus, sed cœlitus, et ante secula. » Unde etiam *Chrysostomus :* « Sed cum dixit : *Regnum meum non est hinc,* non privat mundum de sua providentia et prælatione, sed ostendit regnum suum non esse humanum neque corruptibile , quoniam desuper habet principatum, qui non est humanus, sed multo major et clarior. » *Dixit itaque ei Pilatus : Ergo Rex es tu,* ex quo alibi est regnum tuum ? *Respondit Jesus : Tu dicis, quia Rex sum ego.* Quasi diceret : Ego nec nego, nec affirmo, sed *tu dicis*, non tamen asserendo, sed interrogando. Eodem verbo Præsidi quo et principibus sacerdotum respondit, ut propria sententia condemnentur. Noluit dicere : Non sum, ne falsum diceret, noluit etiam dicere : Ego sum, ne calumniæ occasionem daret. Unde sic temperavit responsionem suam, ut et verum diceret, et sermo ejus calumniæ non pateret, et penitus nulla culpa in eo cognosceretur.

11 Conditio regni Christi, veritatis prædicatio. — Deinde, determinat sui regni conditionem, dicens : *Ego in hoc natus sum*, temporaliter, *et ad hoc veni in mundum*, per carnis assumptionem, *ut testimonium perhibeam veritati*, dicendo et radicando veritatem de divinis in cordibus fidelium. Et ideo, *omnis qui est ex veritate* prima, quæ Deus est, non solum per creationem, sed etiam per imitationem et subjectionem, *audit vocem meam*, verba mea credendo, et opere adimplendo ; et per consequens in talibus spiritualitur regno. *Dicit ei Pilatus : Quid est veritas?* Et hujus quæstionis responsum non exspectavit, quia Judæorum malitiam, et Christi innocentiam percipiens, ad ejus liberationem festinavit ; vel, quæstionem de veritate tantum facere potuit, sed responsum finale audire non meruit, quia judicium suum a veritate inchoavit, et non in veritate, sed in perversitate finivit. Legitur tamen in Evangelio Nazaræorum, et etiam videtur dicere *Augustinus,* quod Christus respondit, quod veritas est de cœlo, et non erat in terra ; sed Pilatus non audivit : vel, quia exivit ad Judæos ; vel, propter tumultum clamantium. Pilatus quæstionem de veritate fecit, sed de responsione non curavit. Veritas enim est sicut aqua benedicta, ad quam omnes currunt, tamen manus faciei apponunt, ne super faciem aqua cadat. Sic multi quærunt de veritate, nolunt tamen quod eis veritas de suis defectibus dicatur, etiam pro eorum salute.

12 Pilato non inveniente in Christo causam, Judæi denuo et fortius eum accusant. — *Et cum hæc dixisset,* quærendo quid est veritas, *iterum exivit ad Judæos,* ut pro innocentia Domini loqueretur, *et dixit eis : Ego nullam invenio in eo causam*, scilicet morte dignam. Quia enim Pilatus, et Imperator dominus suus, non curabant nisi de regno terreno, ideo Pilatus habuit Jesum excusatum, dicens se nihil criminis invenire in eo. Judæi ergo invidia stimulati sunt, qui justum mendaciter damnare laboraverunt. Sed hic est modus malorum, quod per mendacia quærunt condemnationem justorum. Ex hoc etiam patet quod aliquando justius agitur in curia laicali, quam in clericali ; principes enim sacerdotum Christum condamnaverunt tamquam mortis reum, quem Præses Romanus pronuntiat innocentem et justum. Sic et hodie fit in pluribus locis, quod malefa-

ctores, qui per seculares judices punirentur, per ecclesiasticos viros, in magnum scandalum populi, tuentur. Judæi vero, cum nihil aliud facerent calumniæ eorum, recurrebant ad subsidia clamorum. Unde legitur in Luca : *At illi*, quia deficiebant rationibus, *invalescebant* vocibus, *dicentes : Commovit populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Quasi dicerent : Pervertit populum, et turbavit pacem communem, nec in una parte tantum, sed a Galilæa incepit, et huc usque pervenit. Hic accusantium sermo, secundum *Bedam*, magis et eum qui accusatur docet innoxium, et eos qui accusant docet esse perversos : docuisse enim populum, non criminis, sed virtutis constat esse indicium ; nec commovit populum, qui pacis condidit testamentum. Mystice, commovit populum salubri commotione viam veritatis docendo, de qua commotione dicitur in Psalmo : *Commovisti terram et conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est.* Clamoribus igitur *invalescebant*, qui in rei veritate deficiebant, ut sit clamorosa, non justa accusatio, quia per clamorem voluerunt obtinere, quod non poterant per rationem habere. Sic faciunt maligni, quærentes obtinere per verba et contentionem, quod non possunt per justitiam et veritatem. Nunc considera in quantum se humiliavit Judex totius creaturæ constitutus a Patre, ut acquiesceret stare ante judicem terræ Judææ. Et sicut Christus, cum ante Præsidem statueretur, et iniquis accusationibus false urgeretur, omnem mansuetudinem et patientiam ostendit ; sic verus Christi imitator non murmuret, aut reclamet, nec contradicat, cum indebite ab æmulis læditur, aut impugnatur.

13 Documentum morale ex accusatione Christi, actus conformationis et oratio. — Ex isto articulo, accusationis Christi de falsis, datur documentum, quod caveamus ne et nos de falso vel false accusemus Christum. Isti enim accusant Christum de falso, qui sibi falsum imponunt, sicut Judæi, pagani, hæretici, ac consimiles qui de ipso Christo aliter quam debent, sentiunt. Sunt et alii, qui accusant eum de vero, sed false, sicut mali Christiani, qui retorquent peccata sua in Deum, dicentes : Deus hoc voluit, vel stellæ fecerunt me peccare ; Deus autem fecit stellas, et sic Deus fecit me peccare. False sic imponis peccatum tuum Deo. Verum quidem est quod Deus fecit et te et stellas, et hæc omnia bona ; sed quod Deus creavit non te cogit ad peccandum, sed malitia voluntatis tuæ ; ergo imputando Deo peccatum tuum, tu accusas Deum false. Item, alio modo quidam accusant Deum false, mali scilicet Christiani, habentes quidem fidem veram, sed informem, qui cognoscunt Christum per fidem, sed non glorificant eum per vitam. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo, quomodo ille qui est ipsa Veritas, propter nos falsitatibus calumniari dignatus est, ut nos inveritate fundaret, tuncque sic oret : *Jesu, qui coram Pilato de multis falsis a Judæis accusari voluisti, doce me iniquorum fallacias evitare, et fidem Christianam bonis operibus veraciter profiteri.*

14 Derisio Christi apud Herodem, documentum morale ex ea, actus conformationis et oratio. — *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si* Jesus *homo Galilæus esset. Et, ut cognovit quod de Herodis* Tetrarchæ *potestate esset,* quia in Galilæa nutritus et multum conversatus fuit, habens occasionem dimittendi eum, *remisit eum ad Herodem*, præpositum Galilææ, *qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus*, propter solemnitatem paschalem, quia Judæus natus erat. Pater enim suus amore uxoris suæ, quæ Judæa erat, transiens ad ritum Judaismi, se circumcidi fecerat. Misit, inquam, eum volens Herodi honorem deferre, ut ipse dominus Galilææ, hominem Galilæum, vel absolveret, vel damnaret : dans exemplum ne quis falcem in messem et potestatem alterius, etiam inimici, immittat, et quia credebat quod libenter hominem de terra sua et maxime innocentem liberaret, et ne contra eum, quem insontem et per invidiam traditum cog-

noverat, sententiam dare coactus esset. Et dum mittitur, fit concursus magnus populorum eum sequentium. O Domina qualiter ibas, vel quis te juvabat, ut ires in tanta pressura! Certe exemplum doloris eras omnibus Christum amantibus. Tu autem, carissime, cogita quam libenter juvares eam et associares sic tristem et mœstam. *Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore*, scilicet ex tempore decollationis Joannis Baptistæ, *videre eum*, Jesum scilicet, *eo quod audierat multa de eo*, de miraculis et doctrina ejus, *et sperabat signum aliquod*, seu miraculum, *videre ab eo fieri*, et ab ore ejus quædam insolita audire. *Interrogabat autem eum multis sermonibus* : non sicut studiosus, sed sicut curiosus; non sicut veritatis amator, sed sicut tentator; non tamquam lucraturus inde aliquam utilitatem, sed patiens novorum cupidinem : *at ipse* propter hoc, *nihil illi respondebat*, nec etiam signum aliquod coram eo faciebat. Stans quidem Jesus sicut agnus mansuetissimus ligatus coram eo, inquisitus tacuit, et exspectatus miracula adhibere contempsit, quia Herodis incredulitas et curiositas divina non merebatur audire vel videre, et Dominus suam jactantiam et ostentationem declinabat, suamque nolebat Passionem impedire. Unde, secundum *Glossam*, quia Herodes non reputabat Christum Salvatorem, sed incantatorem, ideo non erat dignus nec verbis, nec miraculis Christi. Et, secundum *Ambrosium*, Herodes ex quadam curiositate miracula fieri petiit, quod Christus renuit, docens nos per hoc jactantiam declinare. Per hoc etiam quod Christus coram Herode incestuoso et homicida noluit miracula facere, nec suis interrogationibus respondere, significavit quod tales et omnes impii non sunt digni opera divina videre, nec ejus responsa habere. — Ex hoc articulo derisionis habetur documentum, secundum *Gregorium*, ut quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, et eorum quæ erat culpa esse non desinat, et nostra quæ non erat fiat. Multa autem sunt quæ audientis animum produnt, maxime si auditores nostri et semper laudant quod audiunt, et numquam quod laudant sequuntur. — Ad conformandum se huic articulo, rememoretur homo factum articuli, et oret dicendo : *Jesu, qui ab Herode derisorie multis interrogari sermonibus voluisti, nec ei ad ullum verbum respondere curasti, da mihi amore tuo, quando oportet, sermones derisorios patienter audire, meamque jactantiam cum silentio declinare.*

15 Accusatur Christus apud Herodem, documentum ex ejus silentio, actus conformationis et oratio. — *Stabant autem et principes sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum*, coram Herode. De quibus vero ibi eum accusaverunt, Evangelistæ non exprimunt, sed forte de eisdem tribus, de quibus coram Pilato eum accusaverant, maxime hoc coram Herode aggravantes, quomodo commovisset universum populum, incipiens a Galilæa, scilicet dominio Herodis, ut ex hoc magis sibi animo assumeret, quia in suo dominio commotionem suscitasset; unde ad istas accusationes Christus nil respondit, nec Herodi nec accusatoribus, sed tacuit : non concedendo eorum accusationes taciturnitate, sed despiciendo tamquam indignas responsione. Ad commendandam quippe patientiam tacuit, et nihil respondit, secundum illud Isaiæ : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.* — Ex hoc articulo accusationis trahitur documentum, quod non omni loco, et tempore, et coram quibuslibet, veritas est manifestanda, sed plerumque silentium divinum est. — Ad conformandum se isti articulo, memoretur homo gravitatem articuli, et oret, dicens : *Jesu, qui coram Herode constitutus falsas incriminationes, nec verbo refellere voluisti, da mihi iniquorum non frangi injuriis, nec sacra mysteria propalare indignis.*

16 Despectio Christi, documentum ex ea et oratio. — *Herodes autem* videns, quod Christus nullum signum faceret, nec verbum aliquod ad inter-

rogata responderet, nec contra accusatores suos aliquibus responsionibus se defenderet, reputavit eum idiotam ac fatuum, et non sanæ mentis, ac per hoc *sprevit illum, cum exercitu suo,* ut omnes in eadem culpa monstrarentur esse pares. Sic hodie sectatores Christi a malis hominibus spernuntur, et ab eis fatui reputantur. Jesum hodie multi cum Herode spernunt, qui signa fieri quærunt, conquerentes quod modo miracula ab eo non fiunt, cum modo non sit tempus signorum, sed operum. Unde Dominus : *Habent Moysen et Prophetas, audiant ipsos :* modo autem præter hæc habemus et Evangelium, et Apostolum, et adhuc signa quærimus, non Evangelium implemus, sed spernimus. — Ex hoc articulo despectionis trahitur documentum, quod nos potius velle debemus a malis despici, quam ab adulatoribus laudari, sicut Dominus noster ; qui, ut ait *Gregorius,* magis eligebat aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. *Jesu, qui ab Herode et exercitu suo sperni non sprevisti, da mihi mundanum fastum despicere, et iniquorum despectus pro justitia non curare.*

17 Veste alba Christus induitur, et quid per hoc signatur. — Non solum autem Herodes eum sprevit, sed *et illusit indutum veste alba*, et hoc in derisionem et signum illusionis, sicut fatui solent aliqua veste ludicra indui, qua cognoscantur ab aliis; et forte tunc temporis derisorium fuit portare desuper vestem albam, eo quod sic illuderetur tunc fatuus. Hæc autem vestis erat, ut dicitur, ad modum scapularis religiosorum, sine caputio, dependens a collo ante et retro. Forte subito peciam panni albi accipientes foramen in medio ejus fecerunt, et sic collo suo imposuerunt. Sed quantumcumque Herodes hoc in illusionibus fecerit, non tamen a mysterio vacat, sicut et omnia alia circa Christi Passionem gesta. In veste enim alba, innocentia et castitas assumptæ humanitatis et gloria regni immortalis, quam per Passionem accepit designatur; et quod pro peccatis totius mundi in carne casta et innocente immaculatus Agnus est passus. Tu quoque non nisi in veste alba, scilicet sine macula et causa illudaris et sperparis, alioquin illusio erit tibi pœna peccati; et magis dolendum de causa et materia irrisionis, quam de irrisione ipsa. Designavit ergo Herodes suo facto, nesciens forte quid agebat, quod Christus albedine puritatis et innocentiæ indutus erat. Unde *Ambrosius :* « Non otiosum quod veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia Passionis, quod Agnus Dei sine macula cum gloria peccata mundi susciperet. » Hanc autem vestem albam repræsentat hodie alba sacerdotalis. Unde mystice notandum, quod Pontifex noster in sua Passione habuit omnia pontificalia. Amictum suscepit, cum velatus est coram Caipha a Judæis. Albam habuit, cum veste alba indutus est ab Herode. Casulam accepit, cum milites circumdederunt ei purpureum vestimentum, coram Pilato. Et, ne quid sibi desit, cingulum habuit, cum ad columnam ligatus est. Stolam habuit, quando ad collum ligatus fuit. Manipulum habuit, quando cum fune manus ejus ligaverunt; sed hunc solverunt, quando ei arundinem in dextera manu dederunt, et funis mansit pendens in sinistra, ad quod designandum manipulus ponitur in brachio sinistro. Coronam spineam super caput habuit pro mitra pontificali, et arundinem in manu pro baculo pastorali. Chirothecas autem habuit et sandalia, cum manus ejus, et pedes toti fuerunt sanguine rubricati ; ad quod designandum sandalia debent habere aperturam, cum aliquo rubro sericeo panno. Chirothecæ habent etiam desuper aliquod monile rotundum, quod debet similiter habere aliquid de colore rubro, ad designandum stigmata Christi. Hæc omnia sunt insignia pontificalia, quæ in memoriam Passionis Christi gestat pontifex, in consecratione ecclesiæ vel altaris; in cujus etiam memoriale conficitur sacramentum altaris. Patet ergo ex dictis, quod illusus fuit Dominus in omni veste et ornamento, tam sacerdotali, quam pontificali ; et quod pejus est, hodie illuditur ei in

omnibus vestibus prædictis, non minus quam tunc : a majori nempe multitudine, et longiori tempore, et modo fraudulentiori, quia isti vere, illi quasi figurate. Illa enim multiplex illusio quæ facta fuit ei tunc, figura erat et signum illusionis futuræ, quæ a multis impletur nunc. Notandum etiam, quod ille qui eis utitur, debet ea habere : in intellectu, per meditationem; in memoria, per recordationem; in affectu, per compassionem, et se Domino pro posse in apparatu conformare. Cum enim aliquid talium accipit, nihil aliud protestatur facto suo, quam si verbo diceret : Ita credo Dominum nostrum fuisse indutum, et in talibus illusum, in cujus signum et memoriam sic induo meipsum; et ut in me sentiam quod et in ipso Christo Jesu. Qui ergo talia ferunt exterius nihil sentientes vel compatientes interius, profecto Christo illudunt; faciunt enim ac si dicerent : Signo tibi compatimur, et tuas illusiones in nobis ostendimus, sed in nullo tibi compatimur. — Moraliter, amictus capitis significat spem, quam Paulus Apostolus vocat galeam salutis; spes autem æternorum facit contemptum terrenorum. Cum ergo sacerdos se velat amictu, ostendit se terrena contemnere; et si ita non est, Christo illudit. Alba autem longa et lata mentis et corporis significat castitatem; cingulum vero, et stola, et manipulus, et hujuscemodi ligamenta, præcepta et consilia, et religionem cui se obligat, qui tales ordines assumit; obligatos enim se ostendunt, qui talia induunt. Casula desuper tegens per totum, et ceteris supereminens ornamentis, caritatem significat, quam Apostolus supereminentiorem viam vocat; et ideo, qui non diligit Deum plus quam sua, vel suos, vel se, non est dignus tali officio. Mitra vero Episcopi significat ipsum habere scientiam duorum Testamentorum, propter duo cornua; quam, inquam, scientiam debet habere, non tantum in corde per habitum, sed etiam in ore et manu per usum; unde duæ linguæ dependentes a mitra super humeros significant ipsum Episcopum debere habere duplex documentum, scilicet verbi et exempli. Baculus vero pastoralis in manu significat exsecutionem officii pastoralis; quod consistit in tribus, quæ significantur per triplicem partem baculi : primum est vocatio peccatorum; secundum, directio vocatorum; tertium est exhortatio directorum, unde est versus :

*Attrahe per primum, medio rege,*
*[punge per imum.*

Sic itaque vides, qualiter Dominus non solum malefactor, sed etiam stultus est reputatus. Ipse autem omnia patientissime tolerabat. Patientiam ergo habeas et tu, si malefactor vel stultus injuste fueris reputatus. Nam sicut divina Sapientia, tamquam fatuus spernitur et irridetur ab Herode et exercitu suo; sic omnes irrisiones quæ solent a vanis mundi hujus hominibus Deum præ oculis non habentibus, homini spirituali irrogari, debent patienter sufferri.

18 Tria documenta ex veste alba, qua indutus est Christus, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo illusionis sumuntur tria documenta. Primum est, quod omnes qui pie et innocenter volunt vivere, secundum novum hominem, ab his qui vivunt secundum hominem veterem illuduntur, et ab eis pro fatuis habentur. Sed propter hoc non debent turbari viri spirituales, imo potius gaudere; quia novus homo Salvator noster Christus indutus alba veste, quæ innocentiam significabat, illusus et derisus est a filiis hujus seculi, apud quos alba vestis exprobrabilis est. Sed sicut crux, ante Passionem Christi, exprobrabilis fuerat, quæ postea facta est honorabilis, ita ut etiam portetur in frontibus regum; sic alba vestis post Christi Passionem facta est valde honorabilis, et innocentiæ signum. Unde quilibet post Baptismum renovatus induitur veste alba, in signum innocentiæ quam confert Baptismus, in cujus etiam signum Christo passo Angeli in vestimentis albis apparuerunt in ejus Resurrectione et similiter in ejus Ascensione. — Secundum do-

cumentum est, quod pro tempore et loco expedit stultitiam simulare; unde quod Dominus ipse fons sapientiæ coram Herode pro stulto haberi dignatus est, ex incomprehensibili sapientia sua processit; quia, si Sapientiam verbis vel factis se ostendisset, Herodes utique Passionem ejus impedivisset. — Tertium est, quod homo nihil quærat in vestibus, non ornatum, non pretiositatem, sed solum necessitatem, quia Salvator noster in veste velut fatuus est illusus. — Ad conformandum se huic articulo, regratietur homo Deo, quod ipse nobis, cum sua illusione, vestem innocentiæ conferre dignatus est; item, recogitet qualiter ipse candidam vestem innocentiæ baptismalis denigravit, et oret, dicens : *Jesu, qui veste alba indui, et ut stultus ab Herode illudi voluisti, da mihi mundi hujus prudentiam, quæ stultitia est apud te, cautius declinare, et ad te, qui vera es Sapientia pervenire.*

19 Amicitiæ confœderatio inter Pilatum et Herodem quid signat? — Herodes autem, cum non inveniret in Christo causam mortis, illusum et indutum veste alba *remisit ad Pilatum*, ut eum honoraret, sicut Pilatus sibi detulerat. In quo ipse probatur in necem Domini consensisse; quia enim fuit sibi missus tamquam homo suæ ditionis, cum non invenit in eo causam, debuisset eum absolvere, et non alieno judici remittere. Remisit ergo eum Herodes Pilato, quasi diceret : Fac de eo quidquid volueris. Et forte similia verba sibi remandavit. Et sic Dominus cum nota illusionis portando vestem albam rediit, et Herodis consensum de sua nece secum detulit. Hic autem consensus apparuit signo et facto : signo quidem, in vestis albæ illusione; facto, in amicitiæ confœderatione, nam *et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die,* propter mutuam reverentiam sibi invicem factam. *Nam antea inimici erant ad invicem*, propter necem Galilæorum, qui de Herodis præpositura et dominio erant, quos Pilatus occiderat miscens sanguinem eorum cum sacrificiis quæ offerebant; sed nunc super hoc reconciliatus est Pilatus Herodi, quia pro bono habuit Herodes quod Pilatus sibi detulerat, mittendo sibi hominem, quem ipse videre diu desideraverat. Sic multi frequenter amici et concordes in condemnatione vel nocumento innocentium fiunt, qui antea sibiipsis invicem contrarii fuerunt. Hæc autem amicitia Pilati et Herodis fuit signum, quod Judæi et Gentiles convenirent in persecutione Christianorum. Unde *Beda* : « Hoc nefandissimum Herodis et Pilati fœdus, quod in occidendo Christo pepigerunt, hactenus eorum velut hereditario jure successores custodiunt, quando Gentiles et Judæi sicut genere et religione, ita etiam mente dissidentes, in Christianis tamen persequendis, Christique in eis fide perimenda, consentiunt : » hæc *Beda*. Potest etiam hæc amicitia in bono accipi, et per concordiam Herodis et Pilati, concordia populi Judaici et Gentilis significari. Sicut enim Pilatus primo misit Jesum ad Herodem, et Herodes postea ei remisit; sic verbum salutis primo recepit populus Gentilis et annuntiavit Judæis; in fine autem mundi iterum Judæus remittet ad Gentilem, quando per Eliam et Henoch multi convertentur. Isti duo populi ante mortem Christi erant inimici sibi invicem et discordes, sed post mortem Christi facti sunt amici et concordes in fide ejus; quia *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*. Unde *Ambrosius* : « In typo etiam Herodis atque Pilati, quia amici ex inimicis per Jesum Christum facti sunt, plebis Israel et populi Gentilis figura servatur, quod per Domini Passionem utriusque sit futura concordia, ita tamen ut prius populus nationum capiat Dei verbum, et ad populum Judæorum fidei suæ devotionem transmittat : » hæc *Ambrosius*. O quanta humilitas et patientia Domini Jesu, qui de se quasi de fatuo permittebat malos ludere, mittere se et remittere, et quod volebant facere! Hanc autem missionem ipse Dominus fieri voluit ad majorem et evidentiorem suæ innocentiæ ostensionem. Intuere eum nunc bene, dum ducitur et reducitur, de-

misso vultu et verecunde incedentem, et omnium clamores, convitia et subsannationes audientem, et forte lapidum persecutiones et immunditiarum suscipientem. Et cogita quomodo habebat illos pedes sanctissimos confractos, quia cum magna festinatione duxerunt et reduxerunt eum, nudis pedibus incedentem. Intuere etiam Matrem et suos cum indicibili mœrore a longe sequentes et ista videntes, et cogita quam libenter tu juvares et associares sic tristes et dolentes.

20 Documentum ex hac reconciliatione, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo habetur documentum, quod tantam vim habet natura boni, quod respectu sui confœderat etiam malos. Inimicitia enim respectu boni, parit amicitiam inter malos. Non timeat ergo justus, si viderit malos contra se colligari; quia hoc testatur in eo aliquid esse boni, et per hoc ipse conformatur Christo, contra quem omnes convenerunt in unum, etiam inimici.— Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo si habeat inimicitiam cum aliquo; et dimittat eam de corde, amore Christi, qui pro nobis in sua Passione etiam malos adversum se concordavit. *Jesu, qui contra te inter Herodem et Pilatum amicitiam fieri voluisti, da mihi iniquorum adversum me colligantiam non timere; sed eorum potius exercitatione me proficere, quatenus tibi merear sic conformari.*

21 Fatigatio et documenta quatuor ex ductione et reductione Christi de judice ad judicem, actus conformationis et oratio. — Considera nunc quanta fatigatio fuerit Christo sic duci et reduci de judice ad judicem, quia magna pœna est cuilibet homini mitti de uno judice ad alterum : fuit enim primo præsentatus Annæ; secundo, Caiphæ; tertio, ductus ad Pilatum; quarto, missus ad Herodem; quinto, remissus ad Pilatum; quæ omnia ad unum possunt reduci articulum, ex quo plura sumuntur documenta. -- Primum est, quod non debemus formidare præsentari potestati temporali, vel ad malos judices trahi propter Christum, quia quanto potestas iniquior, et judices nequiores, tanto faciunt Mrrtyres gloriosiores. — Secundum est, quod nos omnes actus, voluntates et desideria nostra antequam perficiamus, debemus ad examen rectæ rationis, quæ per judicem intelligitur, præsentare, et nihil præcipitanter agere; omnia quoque mala, quæ fecimus, debemus conspectui conscientiæ nostræ præsentare, et sic eam coram Christo judice examinandam statuere. — Tertium est, quod religiosi, qui specialiter debent esse imitatores Christi, non debent turbari, si interdum sub obedientia mittantur de loco ad locum, de prælato ad prælatum : quia Christus propter nos, sub obedientia Patris, dignatus est mitti de judice ad judicem. — Quartum documentum est, quod sicut Christus stabat ante judices, et nullum irreverentiæ verbum est locutus; sic et nos cum reverentia stare debemus coram prælatis nostris et judicibus, etiam malis. — Ad conformandum autem se isti articulo, formet sibi quilibet homo imaginem Christi in mente sua, statuens coram eo conscientiam suam misericorditer examinandam, pro eo quod Christus coram judicibus malitiose fuit examinatus. Recogitet etiam homo, quomodo oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi; et idcirco ipse pius pro nobis impiis exhiberi voluit ante tribunal iniqui judicis, ut nos injusti ante tribunal justi Judicis fiducialiter comparere possemus. *Jesu, qui de judice ad judicem mitti, et coram eis examinari voluisti, da mihi amore tui nominis, malorum judicum versutias non metuere, et in conspectu tuo me tuta conscientia comparere; ac bono animo majorum imperiis me subdere, et alacri corde ad obedientiam sine mora concurrere.*

## ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora diei prima, permisisti te ligatum adduci in concilium Judæorum, ac post multas injurias et convitia de Caipha duci ad

Pilatum, ubi a Judæis reus mortis et malefactor fuisti judicatus, et in multis false accusatus; ac deinde a Pilato ad Herodem te mitti, et ibidem accusari et fatuus reputari, ac sperni, et in veste alba illudi pertulisti, tandemque sic illusus et in veste alba indutus, ad Pilatum es remissus; fac me, quæso, injurias et convitia patienter et gaudenter pro tui nominis gloria tolerare, et in conspectu tuo cum gaudio apparere, ac vultum tuum desiderabilem semper respicere. Amen.

# CAPUT LXII

## DE TERTIA, IN PASSIONE DOMINI.

1 Pilatus, sciens Christum esse innocentem, omnia tentat, ut ipsum liberet. — Hora tertia cogitabis mœstus et tristis qualiter reducto Domino ad Pilatum, illi canes lætantes de fœdere Herodis et Pilati, cum audacia magna prosequuntur accusationes suas, quamvis, neque Pilatus, neque Herodes diligenter eum interrogando et examinando invenirent in eo causam mortis. Unde, ad exprobrandam duritiam Judæorum et Gentilium, Pilatus fatetur nec se, nec Herodem, neque in occidendo, neque in illudendo, in Christo causam seu aliquid dignum morte invenisse. Ubi ait *Beda* : « Hoc dicendo Pilatus absolvit quidem Jesum, quem probavit insontem; sed quem absolvit judicio, crucifigit ministerio. Audi, cæce Judæe, audi, crudelis pagane. Pilatus ipse fatetur neque se, neque Herodem dignum quid morte in Christo reperisse; sed tantummodo in occidendo vel illudendo innoxio, alienæ crudelitatis obtemperasse clamoribus : » hæc *Beda*. Magnum dimittendi Jesum studium gerebat Pilatus. Sed, quanto curiosius dimittere quærit, tanto criminosiores ad mortem ejus invenit. *Et cum accusaretur* Dominus, mendaciter, *a principibus sacerdotum et senioribus*, *nihil respondit*, nec ad sui excusationem, nec ad dictorum refutationem, nec ad dicentium improperationem; sed magis accusationes viriliter sustinuit, et tacuit. Et, *tunc*, cum sic accusaretur ab eis, *dixit illi Pilatus* : *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* Ideo, secundum *Chrysostomum*, hoc dicebat, quia volebat liberare eum, dum se excusando responderet. Sed *et* Dominus *non respondit ei ad ullum verbum*, *ita ut miraretur Præses vehementer*, de ejus patentia et constantia, quod ille quem in Lege peritum et ad omnia respondere potentem audierat, nihil responderet, et quod exhibitus ad criminale judicium, et stans ante mortem, quæ apud omnes homines æstimatur terribilis, ipse imperturbabilis remaneret. In hoc autem docet accutiones et criminationes patienter esse sustinendas, hoc enim magis mirabilem facit Sanctorum patientiam, quam defensio. Unde ait *Ambrosius* : « Accusatur Dominus et tacet quia defensione non indiget; nec accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo. Ambiunt defendi, qui timent vinci. Melior est causa quæ non defenditur et probatur. Suzanna tacuit, et vicit : » hæc *Ambrosius*. Judex ergo omnium ante tribunal judicis vilis et indigni, mansuetus et tacitus stetit, et accusatus nihil respondit. Sunt autem quatuor rationes hujus silentii et taciturnitatis Christi : tacuit enim Christus primo juste, quia propter falsitatem accusationum et corruptum judicium indigni erant audire; secundo misericorditer, ne scilicet ex responsione sua pejores fierent, si sibi non crederent, vel non obedirent; tertio dispensative, ne si se excusaret dimitteretur, et crucis utilitas, scilicet nostra salus et red-

emptio, differretur; quarto exemplariter, ut daret nobis patientiæ exemplum, et impleret illud Isaiæ de se scriptum : *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Igitur, ut dicit *Anselmus*, vide attente quomodo stat ante Pilatum Præsidem, inclinato scilicet capite, demissis oculis, vultu placido, sermone raro, paratus ad opprobria, promptusque ad verbera. Quandoque Dominus respondet, quandoque non respondet : ubi respondet, quasi pastor bonus docet, et pro creditis sibi ovibus contra luporum latronumque insidias pugnat; ubi vero non respondet, quasi agnus pro toto grege immolandus silet, et patientiam præstat. Et utinam modo innotesceret, quando quasi agnus et quando quasi pastor quivis esse deberet, ut sciret quando tacere et respondere haberet! Quamvis ergo quibusdam interrogationibus sæpe responderit, quando tamen respondere noluit, non sicut reus et male sibi conscius, qui de peccatis convincebatur suis, sed sicut innocens et mansuetus, qui pro peccatis immolabatur alienis. Et ideo similitudo de agno data est, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur.

2 Mos liberandi malefactorem in festo Paschæ. — *Per diem autem solemnem* festum Paschæ, *consueverat Præses populo*, id est ad petitionem populi, *dimittere unum vinctum, quem voluissent,* sine meritorum discretione, in memoriam liberationis filiorum Israel de Ægyptiaca servitute, cujus beneficii memoria in solemnitate paschali fiebat, quod ea die de servitute Pharaonis egressi erant; in aliis autem festis non sic fiebat. Quia enim in nocte Paschæ Angelus Domini salvavit Hebræos, et percussit primogenita Ægyptiorum, ideo ad hoc repræsentandum, et memoriam hujus beneficii, in hac solemnitate salvabant unum morti propinquum, et aliquos interficiebant de vinctis qui custodiebantur ad occidendum; vel, hoc faciebant in memoriam transitus maris rubri, in quo filii Israel fuerunt liberati, et Ægyptii submersi. Et istam consuetudinem eis conservari impetraverant ab Imperatore Romanorum, sicut fuerat observata antequam Judæa esset Romanis subjecta. Si adhuc singulis annis aliquem occidunt, Deus scit, et ipsi sciunt. *Habebat autem tunc,* in carcere, *vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas.* Pilatus ergo sciens eos cupidos de observanda illa consuetudine, et ex altera parte quod Barrabas esset pessimus, et populo odiosus, proposuit eis sub distinctione optionem dicens, quod ad honorem festi liberaret eis Barrabam vel Jesum, et nullum alium. *Congregatis ergo illis dixit Pilatus, quem vultis dimittam vobis : Barrabam an Jesum, qui dicitur Christus ?* Per hoc subtiliter credebat liberare Jesum de consensu ipsorum, quia non credebat aliquo modo, quod peterent liberationem Barrabæ, *qui erat* et *propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem*, et ideo pessimus et insignis, non nobilitate generis, sed ex famositate sui criminis, quia *erat latro* publicus et in malitia vulgatus et famosus; et ideo Pilatus credebat merito Jesum esse præeligendum, *sciebat* enim eum innocentem, et *quod per invidiam tradidissent eum*, quia publice arguebat vitia eorum. Magnam, ut dictum est, diligentiam Pilatus ostendit, ut Christum liberaret : primo, per innocentiam, quia manus Herodis evaserat; secundo, per consuetudinem, quia eum præeligendum credebat; in quo datum est exemplum laborandi ad liberationem innocentum. Unde ait *Chrysostomus :* « Et intuere sapienter, non enim dixit, quia peccavit et dignus est morte, donari eum ex festo; sed primum eum excusans et eruens a causa omni, tamen rogat ex superabundanti, ut si nollent innoxium dimittere, saltem ut obnoxium donarent festo vel tempori : » hæc *Chrysostomus.*

3 Visum uxoris Pilati. — Tunc, *sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus,* nomine Procula, *dicens : Nihil tibi et justo illi* sit causæ, vel contra justum illum. Quasi diceret : Nihil habeas causæ, nec intromittas te ad interficiendum homi-

nem illum, quoniam justus est. *Multa enim passa sum hodie per visum*, et in somniis, *propter eum.* Uxor itaque Gentilis viri hoc in visionibus et somniis intellexit, quod Judæi vigilantes neque credere, neque intelligere voluerunt. Diabolus quippe apparuerat ei, movens eam terroribus, ad liberationem Christi. Nunc enim demum diabolus intelligens per Christum sua spolia, sive in mundo, sive in tartaro, se amissurum, pœnituit quod fecerat comprehendi eum, et ideo immisit visiones huic mulieri, ut per eam impediretur mors Christi ; et sicut prius per mulierem intulerat mundo mortem,ita modo satagit Christum, de manibus Judæorum liberare per mulierem, ne per Christi mortem mortis amittat imperium. Jam quidem Dei nutu et virtute poterat mysterium crucis cognoscere, et ideo laborabat ne Christus moreretur. Forte jam Sancti in inferno gaudebant, unde hoc noverat. Nam, ut ait *Augustinus*, anima Lazari revocata ad superos, animæ in inferno cognoverunt Dominum de proximo descensurum ad inferos, unde ex tunc lætabantur ; et maxime diabolus hoc cognovit, cum Dominus clamore valido animam exhalavit ; vel, etiam per Scripturarum impletionem hoc perpendit, quia in Domino eas impleri vidit. Quod ergo uxor Pilati et ipse Pilatus fecerunt tantum pro liberatione Christi, totum putatur fuisse ex instinctu diaboli, qui per Pilatum et ejus uxorem nitebatur impedire nostram redemptionem ; sicut olim per Adam et Evam fecit nostram damnationem.

4 Judæi Christo Barrabam præferunt ; quinam eis similes ? — Pilatus ergo quærebat ab eis, quem vellent propter honorem festi sibi dimitti de duobus prædictis, et quasi exhortative expressit Christum, quærens, si vellent dimitti regem Judæorum. Ipsi vero nimio odio contra Christum moti, et obstinato corde in malitia perdurantes, ne Christus liberaretur, præelegerunt, et petierunt Barrabam hominem pestiferum dimitti et liberari ; Christum vero innocentem tolli de medio et crucifigi. Putabant enim, ut dicit *Chrysostomus*, hoc se posse astruere, quod Jesus deterior esset latrone, et adeo nequam, ut neque pro festi prærogativa deberet liberari. In quo facto eorum ostenditur futuræ infidelitatis arcanum, scilicet antichristum Christo præferendum. Latrones latronem petierunt, et homicidam Auctori vitæ prætulerunt. Quod improperans eis beatus Petrus postea dicebat : *Vos sanctum et justum negastis, et petiistis virum homicidam donari vobis, Auctorem vero vitæ interfecistis.* O quanta infelicium Judæorum iniquitas et malitia, qui ad procurandum Christi mortem petierunt latronis publici liberationem, contra bonum publicum et justitiam : mortem vitæ, tenebras luci, filium diaboli Filio Dei tam stulte quam impie præferentes ! Unde ait *Augustinus :* « O cæcitas Judæorum, o furia phreneticorum ! Noli dimittere hunc, sed Barrabam, quid fuit aliud dicere, quam occidatur ille, qui suscitavit mortuos, et dimittatur latro ut iterum occidat vivos? » Unde et *Anselmus :* « Adhuc autem et animam tuam incircumciso cani glutiendam tradiderunt ; vinctum siquidem ante faciem Pilati præsidis te perduxerunt, postulantes supplicio crucis interimere, qui peccatum non feceras, et virum homicidam donari sibi : agnum lupo, aurum luto postponentes. O indignum et infelix concambium ! » Unde etiam *Beda :* « Hæret autem Judæis usque hodie sua petitio quam tanto labore impetraverunt. Quia etenim data sibi optione, pro Jesu latronem, pro Salvatore interemptorem, pro datore vitæ elegerunt peremptorem, merito salutem vitamque perdiderunt, et latrociniis se ac seditionibus in tantum submerserunt, ut et patriam regnumque suum, quod plus Christo amavere perdiderint, et hactenus eam, quam vendidere, vel animæ vel corporis libertatem recipere non meruerint ; atque ideo Judæi pacem habere non possunt, quia seditiosum principem, id est diabolum, qui usque hodie regnat in eis, magis quam Dominum eligere, malue-

runt : » hæc *Beda*. Similiter adhuc hodie aliqui magis nituntur salvare et etiam promovere malos homines quam bonos, et in multis electionibus ac provisionibus Jesus, id est vir bonus ac dignus, et Dei amicus, qui se et alios salvare vellet, reprobatur, et Barrabas latro insignis, id est malus ac indignus et Christi hostis, qui se et alios in anima perimit, eligitur. Unde, qui in talibus promotionibus faciendo vel consentiendo culpabiles sunt, ipso suo facto vel consensu condicunt Judæis : Non hunc, sed Barrabam. Jesus vero ad omnia tacet patienter canes oblatrantes tolerans, et sua patientia nos armans. Considera hic quantum Christi animum sauciare potuit, quod tam sceleratus et vilis homo præferebatur sibi homini-Deo in tantum, ut peterent illius vitam et istius mortem. Peccaverunt autem in duobus, scilicet : quia reum petebant liberari, et quia innocentem damnari, unde in libro Proverbiorum : *Qui justificat impium, et condemnat justum; uterque abominabilis est apud Deum.*

5 Duo documenta ex prælatione Barrabæ, actus conformationis et oratio. — Ex isto articulo trahuntur duo documenta. Primum est, quod nos æquanimiter toleremus, si aliquando præferantur nobis personæ infirmiores et humilioris conditionis; quia latro Christo fuit prælatus. — Secundum est, quod caveamus ne et nos Barrabam Christo præferamus. Multi enim adhuc hodie desiderant Barrabam sibi solvi, et Christum vinctum esse; quia, ut dicit *Origenes:* « Omnes qui Judæis sunt similes, sive in dogmate, sive in vita, Barrabam sibi solvi desiderant. Quicumque enim male agit, solutus est in corpore ejus Barrabas, Christus autem vinctus; qui autem bonum agit, Christum habet solutum, Barrabam vinctum. Et ideo, sicut Judæi postquam pro Christo elegerunt Barrabam latronem, latrociniis et seditionibus sunt subversi; sic et nunc quæcumque anima præelegit Barrabam, illa semper latrociniis diabolicis exterminatur. Ubi enim non est Jesus, ibi lites et prælia sunt; ubi autem est Jesus, ibi sunt omnia bona et pax : » hæc *Origenes*. Spiritualiter homo vinctus est per peccatum et positus in carcere secundum corpus et animam, ita quod sint duo vincti : corpus et anima. Sed de his unus tantum, in hoc mundo liberari potest : anima scilicet poterit liberari, si tamen corpus pœnitentiæ et flagellis exponatur, sic enim animam a culpa et a pœna liberat; si vero corpus liberetur, adhuc manebit vincta anima, et suppliciis ac flagellis exponetur æternis : et ideo melius est quod anima liberetur quam corpus, quia si corpus suspenditur in cruce pœnitentiæ, tunc animam liberabit a morte. Unde *Gregorius* : « Si magnæ mercedis est eripere a morte carnem morituram, quanti meriti est liberare animam in cœlo sine fine victuram ? » — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo, si ipse umquam Barrabam Christo præelegit, et doleat ac oret, dicens : *Jesu, qui non dedignatus es a Judæis reprobari petentibus sibi Barrabam latronem dimitti, te vero auctorem vitæ tolli et crucifigi, da mihi te Creatorem meum semper eligere præ omnibus, et pro nulla re creata te umquam reprobare.*

6 Pilatus frustra manus lavat. — Pilatus autem volens dimittere Jesum, iterum locutus est ad illos, quærens quid faceret de Jesu rege Judæorum, et quid mali fecisset, et asserens quod nullam causam mortis in eo invenerit; sed quanto plus videbant quod Christum liberare vellet, tanto magis iterum et iterum clamabant. *At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur ; et invalescebant voces eorum.* Mala fuit Barrabæ præelectio, sed pejor hæc sententiatio. *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret,* ad liberationem Christi, salvo favore populi, *sed magis tumultus*, et strepitus *fieret* populi clamantis ad contrarium per seductionem sacerdotum, volentium per clamorem et tumultum populi obtinere quod non poterant per rationem habere ; et *volens populo* placere et *satisfacere, dimisit illis Barrabam,* quem

petebant, quamvis Christum præferendum non dubitaret. Ecce quod Christus innocens damnatur, et Barrabas latro liberatur. Ita contingit hodie in curiis principum et prælatorum : quia innocentes damnantur, et perversi peccatores liberantur; minora puniuntur, sed majora dissimulantur; puniuntur transgressores decretalium et statutorum, et dimittuntur impuniti transgressores divinorum mandatorum. Et, ut Judæi de morte Jesu totum peccatum super se acciperent, et ipse immunis esset a peccato, *accepta aqua, lavit manus suas coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine*, id est a sanguinis effusione, *justi hujus*, et sicut lavo manus, sic et conscientiam, quia ego volui liberare innocentem, et solum minister legis sum; *vos videritis*, quid continget vobis quantum ad supplicium pro culpa quam committitis, vox enim vestra sanguinem justi fundit, unde pœnam sentietis. Mos quippe erat apud antiquos, ut cum quis vellet se ostendere immunem a crimine aliquo, accepta aqua, lavaret manus suas coram populo. Lavit ergo manus suas coram populo; ut quos non poterat movere suasione, moveret significatione, qua significabat, inquam, mortem Christo inferre, et se innocentem a tanto scelere. Lavit manus suas, imponens peccatum de morte Christi Judæis, ipsis hoc recipientibus, quamvis non esset per hoc secundum veritatem excusatus; quia non lotus fuit aqua suus reatus, mentiebatur ergo dicendo se innocentem : quia *sciebat quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes*, et quod justus ac innocens erat, et ut ipsemet confitebatur, eum liberare poterat. Particeps ergo erat criminis; sed innocentior illis. Unde *Leo* Papa : « Excessit ergo Pilati culpam facinus Judæorum; sed nec ipse evasit reatum qui reliquit proprium judicium, et in crimen transtulit alienum. » Huic Pilato similes sunt excusantes se a criminis consensu, cum possint reclamare cum effectu. *Et respondens universus populus dixit : Sanguis ejus*, id est culpa et pœna, seu ultio et vindicta effusionis sanguinis ejus, *super nos, et super filios nostros*. Optimam hereditatem reliquerunt Judæi filiis suis; perseverat enim usque hodie super Judæos hæc imprecatio pœnæ et criminis, et sanguis Christi non aufertur ab eis, unde in singulis lunationibus, ut dicitur, fluxum patiuntur sanguinis. Percussit enim eos Dominus in posteriora, et opprobrium sempiternum dedit illis, suntque vagi et profugi sub servitute, et nisi laverint manus suas per Baptismum, ab isto sanguine pœnam criminis sustinebunt continue. Ut autem dicit *Hieronymus*, verbum optimum et salutiferum responderunt Judæi; sed intentione pessima. Optandum est ergo ut sanguis ille veniat super nos; sed in peccatorum ablutionem, secundum illud Apocalypsis : *Lavit nos a peccatis nostris, in sanguine suo*.

7 Jubet Christum flagellari. — Pilatus itaque causam mortis in eo non inveniens, nitebatur eum dimittere; non enim in eo, sed in nobis causa mortis ejus fuit, passus est pro nobis, non pro se, non habens culpam et sustinens pœnam, ut et culpam nostram solveret et pœnam. Unde *Bernardus* : « O piissime Jesu, quid tibi et morti? Nos peccavimus et tu luis, nos debuimus et tu solvis. » Nullam itaque causam mortis in eo inveniens, dixit illis : *Corripiam ergo illum*, scilicet flagellando, ut si qua in vestris ceremonialibus commisit, vel in aliquo deliquit, pro ipsis correptus emendetur, *et* sic *emendatum* et disciplinatum *dimittam* a morte liberum; flagris et ludibriis eum afficiam quantum ipsi jubetis, dummodo innoxium sanguinem non sitiatis vel fundatis. Videns enim ex clamore eorum quod nullo modo poterat dimittere Jesum omnino liberum cum pace ipsorum, et ex altera parte durum sibi erat interficere innocentem, ideo ad satisfaciendum eis fecit Christum flagellari et illudi, ut videntes eum sic punitum et illusum ultra condignum, pœnis ejus et opprobriis crudelitas eorum satiaretur, ac mitigaretur; et sic sufficere sibi æstimantes ultra sævire desisterent, et mortem ejus non siti-

rent. Unde *Augustinus :* « Non persequendo Dominum flagellavit, sed illorum furori satisfacere volens, ut vel sic jam mitescerent, et silerent, et desinerent velle occidere eum quem flagellatum viderent : » hæc *Augustinus.* Unde etiam propter hoc cohortem suam ei illudere permisit, aut forte jussit, ut eorum iram molliret, et a morte ejus desisterent. Naturale enim est, ut ira quiescat, si eum contra quem irascitur humiliatum et punitum videat. Quod quidem verum est in ira, quæ cum mensura quærit proximi nocumentum, sed non in odio, quod totaliter quærit ejus quem odio habet exitium. Isti autem ex odio movebantur contra Christum ; et ideo flagellatio ejus non sufficiebat, nisi viderent et ejus interitum. O Pilate, Pilate, tu vis Dominum castigare. Nescis quid agis : quia nec flagella meretur, sicut nec pœnam mortis; rectius ageres, si te ad suum nutum corrigeres. Unde, intentio non excusat Pilatum in toto, quia nullum per se malum potest propter bonam intentionem effici totaliter bonum, nec facienda sunt mala ut veniant bona ; affligere autem innocentem, et præcipue Dei Filium, est maxime malum, et ideo nulla intentione est excusabile, et cum judex esset, non debebat ei quem innocentem sciebat etiam minimam inferre pœnam. Ob hoc etiam, secundum *Hieronymum*, cum flagellari voluit, ut Romanis legibus serviret, quibus sancitum erat ut crucifigendus flagellaretur prius, forte ad extorquendum ab eo socios sceleris ; et sic Christus, si crucifigi deberet, jam flagellatus esset. Ipse quoque Dominus flagellari voluit, ut quia scriptum est : *Multa flagella peccatoris*, nobis parceretur, et nos suo flagello a perpetuis flagellis liberaremur ; sicut pia mater, quando videt patrem velle flagellare aliquem de filiis suis, extensis occurrit brachiis, et eum protegit, exponens se pro eo flagellis. Homo enim Deum offenderat, et ideo disciplinari debebat ; Christus ergo disciplinari voluit, et sic Deum placavit, et ideo dicitur : *Disciplina pacis nostræ super eum.* Et si tam graviter flagellatus est innocens pro peccatis alienis, quam graviter putas noxios, nisi se correxerint, flagellandos pro peccatis propriis ?

8 Dominus vestimentis exuitur, duo documenta, actus conformationis et oratio. — Cum ergo Dominus flagellari jubetur, spoliatur per milites apparitores Præsidis, et vestibus, quibus indutus erat, exuitur, et coram omnibus denudatur. Est autem intelligendum, quod sicut remissus fuerat ab Herode cum alba veste, sic remansit in eadem veste usque ad horam flagellationis, et tunc exuerunt eum hac veste et suis aliis vestimentis. Ex hoc articulo exutionis vestium habemus duo documenta. — Primum est, ut caveamus nos a nuditate, tam corporali, quam spirituali, ne forte umquam nudi appareamus coram Deo et Angelis et hominibus ; nam etsi homo interdum non videatur ab hominibus, erubescat tamen nuditatem suam coram Deo et Angelis. Unde primi parentes erubuerunt a facie Dei, qui ubique apud nos est cum Angelis suis. De nuditate vero spirituali est illud Apostoli : *Si tamen vestiti, et non nudi inveniamur* ; item, est illud Apocalypsis : *Vestimentis albis induaris, ne appareat confusio nuditatis tuæ.* Ubi per vestimenta alba intelligitur candor sanctæ conversationis, quæ instar vestimenti multis debet esse contexta filis ; his vestimentis semper induta debet esse anima fidelis, ne confusio nuditatis ejus a virtutibus, appareat coram Deo et Angelis et hominibus. — Secundum documentum est, quod sicut exutus fuit vestimentis suis, sic et nos exuamus veterem tunicam, et nudemus conscientias nostras coram Deo, per nudam et puram confessionem peccatorum, deponentes omne pallium excusationis, quia *nuda et aperta sunt omnia oculis ejus.* — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo quam miserabiliter, et cum quanta injuria et verecundia Christus fuit exutus vestibus suis, et denudatus pro nobis, ut nos vestiret virtutibus, et oret hoc modo : *Jesu, qui vestimentis tuis exui, et ad flagella nudari voluisti,*

*da mihi nuda et sincera peccatorum meorum confessione veterem hominem cum actibus suis exuere, et in conspectu tuo nudum a virtutibus me nequaquam apparere.*

9 Christus flagellis cæditur. — Deinde, Dominus ad columnam dirissime ligatur, ille qui solvere compeditos solet ; et plena Deo membra verberibus subdens immanissime flagellatur, et undique flagellis atteritur, verberibusque cruciatur. Stat nudus coram omnibus amantissimus juvenis, elegans et verecundus, et silet ad omnia, quasi agnus. Speciosus forma præ filiis hominum, suscipit dura, aspera et dolorosa flagella spurcissimorum. Caro illa innocentissima et tenerrima, mundissima et pulcherrima, flos omnis carnis et totius humanæ naturæ, repletur plagis, livoribus et fracturis ; vulneratur per totum corpus illud sanctissimum, a planta pedis usque ad verticem ejus non remanet in eo sanæ partis vestigium, et totum fit rubrum vestimentum suum. Fluit undique regius et pretiosissimus sanguis de omnibus partibus corporis, et ejus corpus candidissimum cruore ejus roseo rubricatur per totum. Superadditur, reiteratur et spissatur plaga super plagam, livor super livorem, fractura super fracturam, sanguis super sanguinem, quousque tam tortoribus quam inspectoribus fatigatis, solvi jubetur a columna, cui fuit alligatus. Cujus columnæ aliqua pars ostenditur Romæ in ecclesia sanctæ Praxedis, major autem pars fertur esse in ecclesia montis Sion, in loco ubi pronuntiatur evangelium ; quæ, secundum *Bedam,* Dominici cruoris usque hodie cernentibus vestigia certa demonstrat. Quot autem et quantæ plagæ, vel vulnera in hac flagellatione sibi infligebantur, pro certo sciri non potest, nisi per revelationem, ut supra dictum est ; sed oportuit ea esse quasi innumerabilia. Si enim, ut dicitur in Deuteronomio : *Pro mensura peccati erit plagarum modus,* Christus autem flagellabatur pro peccatis nostris, quæ utique sunt innumerabilia ; quare et plagæ innumerabiles. Et hoc est quod dicitur in Isaia : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Tunc impletum est quod ibidem dicitur : *Non est ei species neque decor ; et vidimus eum, et non erat aspectus ; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, et reputavimus eum quasi leprosum, percussum a Deo et humiliatum.* Unde ait *Augustinus :* « De vultu illius pulchritudo effluxerat omnis, et qui erat præ filiis hominum speciosus, videbatur omnium indecorus ; quia iniquorum livor sacrum illius vultum fœdaverat verberibus. » Hæc autem recensens *Anselmus* sic habet : « Et quidem non ignorabat impius ille Pilatus per invidiam omnia in te fieri, nec tamen abstinuit temerarias a te manus ; sed amaritudine replevit animam tuam sine causa. Illudendum te misit Herodi, illusum recepit, nudum in conspectu irrisorum stare te jussit ; nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagas plagis, livores livoribus infligens. Electe Puer Domini Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras ? Prorsus nihil. Ego homo perditus totius contritionis, totius confusionis tuæ causa exstiti ; ego, Domine, uvam acerbam comedi, et dentes tui obstupuerunt, quia quæ non rapuisti tunc exsolvebas. Amor tuus et iniquitas nostra sic te fecit imbecillem. Maledicta sit tanta iniquitas, pro qua sic affligeris ! In omnibus his non est satiata perfidorum Judæorum impietas : » hæc *Anselmus.* Vide nunc attente, quanta et qualia ab impio Pilato et a suis, sine causa Dominus passus est pro te, et exemplo ejus ad patientiam in laboribus et adversitatibus confortare. Sicut enim Christus verberatur et flagellis nodosis caro illa sanctissima et membra delicatissima acerrime dilacerantur, ac corpus ejus formosum plagis livet et sanguine undique rubet ; sic miles Christi strenuus debet corpus suum per asperitates et duritias debitas castigare, ne inobedienter incipiat recalcitrare. Considera eum hic diligenter per longuam moram et spatiose, et si hic ei non compateris,

cor lapideum reputa te habere. Et tunc exclamabis : *O bone Jesu, quomodo tu denudaris qui nudos vestis ? Quomodo tu ligaris, qui compeditos solvis, et ligatos a dæmonibus et ab infirmitatibus detentos liberas ? Quomodo tu flagellaris, qui nos a flagellis eruis ? Quis fuit ille tam audax, qui te spoliavit ? Quis tam temerarius, qui ad columnam te ligavit? Quis tam sacrilegus, qui te flagellavit ? Sed tu,* Sol justitiæ, *tuos radios subtraxisti, et ideo sunt tenebræ ac tenebrarum potestates ; omnes sunt te potentiores ; nobis debebantur flagella æternæ afflictionis, tu flagellari voluisti pro nobis, ut nos sic misericorditer erueres ab illis.*

10 Flagellationis Dominicæ figuræ. — Flagellatio Domini præfigurata fuit per Achior principem ligatum ad arborem. Achior ligatus fuit ad arborem per Holophernis satellites, Christus ad columnam per Pilati milites ; Achior propter veritatem quam dixerat fuit ligatus, Christus propter veritatem quam prædicaverat, fuit flagellatus ; Achior ligabatur, quia noluit Holopherni loqui placentia, Christus, quia reprehendit Judæos cum eorum displicentia ; Achior ligatus est, quia gloriam Domini magnificabat, Christus flagellatus est, quia nomen Patris sui manifestabat. — Flagellatio etiam Christi in flagellatione Jeremiæ præfigurata fuit, quem Phassur flagellavit.

11 Solvitur Christus a columna, duo documenta ex ipsius flagellatione, actus conformationis et oratio. — Soluto autem Domino a columna flagellationis, ducunt eum sic nudum, sic flagellatum, per domum, pro pannis suis colligendis, qui sparsim per domum ab exspoliatoribus projecti fuerant. Intuere bene eum sic afflictum, sicque trementem propter frigus, quia hiems erat. Attende diligenter, et considera statum ejus in actibus singulis, ut intime compatiaris, ac simul pascaris ; averte autem parumper oculos a divinitate, et eum purum hominem considera, et videbis juvenem elegantem, nobilissimum, innocentissimum et amantissimum, totum flagellatum, et sanguine livoribusque respersum, pannos suos undique sparsim projectos de terra recolligere, et cum quadam verecundia et rubore nudum coram illis semper ipsum deridentibus se revestire, ac si foret omnium infimus, a Deo derelictus, et omni auxilio destitutus. Intuere ergo eum diligenter, ac pietate et compassione movearis. Redeas postea ad divinitatem, et considera illam immensam, æternam et incomprehensibilem, et imperatoriam majestatem incarnatam, se flectentem, et humiliter ad terram inclinantem, pannos recolligentem, et se cum reverentia et rubore similiter revestientem, ac si esset homo vilissimus, imo quidam servus emptitius, sub illorum dominio constitutus, et ab eis pro aliquo excessu correptus et castigatus. Intuere et nunc eum diligenter, ac humilitatem suam admirare, et pro posse imitare. Secundum eamdem etiam considerationem intueri potes eumdem, cum post coronationem purpura spoliatus se vult revestire. Ex hoc articulo flagellationis habentur duo documenta. — Primum est, quod nos flagella Dei libenter debemus sufferre, ut unusquisque nostrum possit cum Psalmista dicere : *Quoniam ego in flagella paratus sum* ; et merito, quia, si unicus Dei Filius paratus fuit suscipere in se nostra flagella ex obedientia Patris, cur et nos adoptivi, non essemus parati sufferre flagella ejusdem Patris, quæ ipse per se vel per ministros, seu instrumenta sua media nobis misericorditer infligere dignatur, ad emendationem nostram? Nam, secundum Sapientem et Apostolum : *Quem diligit Deus, castigat ; flagellat autem omnem filium quem recipit.* — Secundum est, quod diligenter caveamus, ne et nos iterato Christum flagellemus, quot fit quotiescumque mortaliter peccamus. Cum enim Christus flagellatus sit pro peccatis nostris, quandocumque peccamus, tunc Christo unum ictum flagelli, quantum in nobis est, incutimus ; sicut Apostolus de quibusdam dicit : *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei.* — Ad conforman-

dum se huic articulo, poterit homo flagello vel virga seipsum cædere, si gratiam habet; vel saltem compatiendo flagellato Christo, mentaliter se flagellet, et sic oret: *Jesu, qui pro nobis flagellari undique voluisti, da mihi flagella tuæ paternæ correptionis libenter suscipere, et te peccatis meis numquam denuo flagellare.*

12 DOMINUS CHLAMYDE COCCINEA INDUITUR. — Cum igitur post flagellationem Jesus revestire se vellet, contendunt impiissimi quidam Pilato, dicentes: Domine, hic se regem fecit, vestiamus et coronemus eum more regio. Miseri, ad plenum sibi illudere volebant, antequam eum morti traderent! Unde *Anselmus*: « Novissime autem, Domine Jesu, in manus incircumcisorum militum devolutus es, morte turpissima consummandus; parum erat sacrilegis manibus suis crucifigere te, nisi prius replevissent illusionibus animam tuam: » hæc *Anselmus*. *Tunc*, consentiente ad hoc Pilato, *milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium congregaverunt ad eum universam cohortem*; in prætorium, quia ibi sedebat Præses et senatus, ut omnes interessent tali spectaculo, et ut magis illuderent in loco patenti, et coram multitudine. *Et* eum vix revestitum, *exuentes* vestimentis suis induerunt *eum* veste, seu tunica purpurea, et *circumdederunt ei chlamydem coccineam*, id est pallium sive mantellum, non consutum, sed fibula infrenatum coccinei coloris, qui est inter rubeum et purpureum, in opprorium regii nominis, quod ipse, ut Judæi asserebant, indebite usurpabat; et ad deridendum eum, sicut regem falsum, acceperunt purpuram et chlamydem, non novam, sed veterem, in confusionis augmentum: quia enim rex dicebatur, induunt eum vestibus, quibus reges veteres utebantur. Christus illa die fuit indutus triplici veste, scilicet: alba, rubea et coccinea, ad designandum quod qui vult esse de Christi familia, debet portare vestem albam innocentiæ, rubeam caritatis et obedientiæ, et coccineam pœnitentiæ. Sic ergo nunc purpura et chlamyde induerunt eum, et unus Evangelista exprimit unum, alius aliud; quia si tantum chlamydem ei circumdedissent, non eum nudassent, sicut non legitur nudatus ante Herodem, ubi imposuerunt sibi albam vestem. Et bene conveniebat vestis alba et rubra tali corpori, utpote toti sanguine rubricato ex flagellatione, ut impleretur illud Isaiæ: *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimentum sicut calcantium in torculari?* Et hæc quæstio, secundum *Glossam*, fuit Angelorum videntium et mirantium quod Christi corpus, quod de utero virginali, tantum candorem habuit, quantum fullo non potest facere super terram, in tantum fuit sanguine rubricatum. Ad quam quæstionem ipsemet ibidem respondit, dicens: *Torcular calcavi solus.* Quasi diceret, secundum *Glossam*: Ego solus sustinui pressuram crucis, flagellorum et omnium tormentorum passiones, in quibus quasi prælo pressus sum, sanguine proprio per totum corpus meum pro salute mundi aspersus. In purpureo ergo vestimento caro ejus passionibus objecta significatur, per hoc etiam significatur passio Martyrum, qua totum corpus Christi mysticum, id est Ecclesia rubricatur; et sic etiam purpura vestitur, cum de triumphis sanctorum suorum Martyrum gloriatur.

13 DOCUMENTA DUO EX VESTE PURPUREA, ACTUS CONFORMATIONIS ET ORATIO. — Ex hoc autem articulo trahuntur duo documenta. Primum est, quod nos peccata nostra operire debemus operibus caritatis, ut sicut Christus nostrorum peccatorum flagellis cruentatus purpura cooperiri voluit, sic et nos opera nostra cruenta, id est peccata nostra, cooperiamus purpura vernantis caritatis, quoniam, ut ait Petrus: *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Sed etiam per purpuram significatur memoria Dominicæ Passionis, unde in Canticis: *Comæ capitis sponsæ*, id est animæ fidelis, dicuntur esse *sicut purpura ejus*; quia cogitationes mentis nostræ, quæ per comas capitis intelliguntur, versari debent assidue circa Passionem Red-

emptoris, vel etiam circa opera caritatis. — Secundum documentum est, quod per hoc quod Dominus noster veste regali indui voluit, secundum *Theophilum*, docemur, quod et nos habitu mentis veste regia induamur, et simus vere reges calcantes super serpentes et scorpiones, id est omnia vitia suppeditantes; unde dicimur Christiani, id est uncti quasi reges. — Ad conformandum se isti articulo et septem sequentibus illusionum articulis, recogitet homo factum cujuslibet articuli cum aggravationibus suis, et oret sicut in quolibet articulo devotio ministrabit. *Jesu, qui veste purpurea illusorie indui voluisti, da mihi jugem tuæ Passionis memoriam induere, et peccata mea caritatis purpura operire.*

14 Coronatio Christi cum diademate spineo, tria documenta ex ea et oratio. — *Et* pro diademate seu corona regali milites *plectentes* complicando, seu plicantes, id est componentes connectendo *coronam*, id est sertum ad modum coronæ capitis, *de spinis*, hoc est de juncis spinosis et aculeatis valde acutos angulos habentibus, *posuerunt super caput ejus*, reverendissimum et tenerrimum, aculeis ad caput versis, ut pœna punctionis cumularetur probro irrisionis. Qui attentius considerasse se dicunt, spinas illas juncos fuisse marinos asserunt; quorum acies non minus dura et acuta, aspera et pungitiva ac penetrativa spinis esse dicitur, in tantum ut etiam homines calceati desuper calcantes inde vulnerentur, unde Poeta:

..... *Et acuta cuspide junci.*

Suavissimum mihi cervical sit illa spinea corona, Domine, capitis tui, super quam dulciter caput meum requiescat. Ex hoc articulo tria habentur documenta. — Primum, quod nos peccata nostra per recordationem semper in mente portemus, sicut Christus spinas peccatorum nostrorum in suo capite portavit; quia, secundum *Bedam*, in corona spinea quam portabat, nostrorum susceptio peccatorum ostenditur, quorum spinas removit, per spinas quas portavit. De his spinis dictum erat primo homini: *Terra spinas et tribulos germinabit tibi*; quia terra nostri corporis peccata germinat, quæ suis aculeis conscientiam nostram sicut spinæ pungunt. Has ergo spinas Christus suscepit portandas pro corona victoriæ. Solent enim victores arma devictorum hostium pro signo victoriali gestare, et de his gloriari. Arma diaboli sunt peccata nostra, quibus armatur contra nos, quæ Dominus in Passione sua abstulit, ipse enim est *Agnus Dei, qui abstulit peccata mundi.* Idcirco spineam coronam, utpote victorialem in suo capite gestare dignatus est. In ista corona videre Regem nostrum desiderabile est omni animæ amanti; unde ad hoc sponsa in Cantico Canticorum, omnes fideles animas evocat, dicens: *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua*, scilicet: synagoga, quantum ad litteram; vel, *mater sua*, id est caritas, quantum ad tropum præsentem. — Secundum documentum est, juxta *Theophilum*, ut et nos sumamus coronam spineam, id est festinemus coronari vita arcta, abstinentiis et puritate conscientiæ; hæ enim sunt quædam spinæ propter austeritatem quam habent. — Tertium documentum est, ut et nos conemur coronari spinis tentationum. Quælibet enim tentatio nos impugnans est quasi quædam spina caput mentis nostræ pungens, quam dum homo superat, spina illa cedit sibi ad coronam. Unde quot spinas tentationum homo in hac vita sustinet et superat, tot gemmas pretiosas ad coronam suam comparat. *Jesu, qui spinis coronari voluisti, fac me pœnitentiæ spinis sic digne compungi, ut a te merear in cœlestibus coronari.*

15 Datur ei sceptrum arundinis, documentum ex eo et oratio. — *Et* pro sceptro quoque regali, dederunt *arundinem in dextera ejus*, dehonestantes arundine dexteram, quæ cœlum regit et terram; et per hoc significantes regnum quod sibi usurpavit dicendo se Regem, ad modum arundinis esse vacuum et infirmum,

ac ipsum regno vacuum : non attendentes, quod ipse dixerat regnum suum non esse de hoc mundo, sed in alio mundo, scilicet æternitatis, ubi regnum est firmissimum. — Ex hoc articulo trahitur documentum, quod nos attendere debemus, nos ex nobis esse infirmos et fragiles, ac omni bono vacuos, nisi dextera Dei nos manu teneat ; sicut arundo in se habet vacuitatem et imbecillitatem, sed manu Christi apprehensa firmatur. Idcirco ergo, ut dicit *Hilarius*, Dominus noster arundinem in dextera tenere voluit, ut per hoc ostenderet se nos fragiles, vacuos et infirmos manu tenere, et omnibus bonis implere. Item, arundo sive calamus, est instrumentum scribendi, et idcirco, secundum *Hieronymum*, Christus calamum in manu dextra tenere voluit, ut sacrilegium Judæorum scriberet, et ostenderet se illum esse, qui electos suos scriberet in libro vitæ. *Jesu, qui arundinem pro sceptro in dextera tibi dari voluisti, imbecillitatem, quæso, meam dextera tuæ potentiæ sic sustentare digneris, quatenus in me regnum tuum jugiter conformetur.*

16 Tria illusionis instrumenta in Christo, quid signent ? — Sic ergo tria instrumenta illusionis introducuntur, scilicet : vestis purpurea et coccinea, corona spinea, arundo vacua. Vestis corpori, corona capiti, et arundo pro sceptro manui imponitur. Ad litteram hæc sunt tria regalia insignia contumeliose et in derisionem sibi impensa, ut reus ostendatur læsæ majestatis, eo quod regnum vellet sibi usurpare, nec posset obtinere. Moraliter autem, sicut Christus illusus fuit tripliciter ; sic tripliciter anima frequenter illuditur et per peccatum capitur : primo, in ostentatione humanæ potentiæ, quæ significatur per vestem purpuream et coccineam, quæ est vestis regum et potentum ; secundo, in cupiditate affluentis opulentiæ, quæ notatur per coronam spineam, divitiæ enim spinis et curis sunt plenæ ; tertio, in vanitate mundanæ sapientiæ, quæ significatur per arundinem, quæ pulchra, sed vento plena et vacua est ; mundana enim sapientia in qua confidunt homines, in qua quis non ad Dei laudem, sed ad gloriam suam utitur, est quasi baculus arundineus et confractus. Vide hic quomodo Christus in omnibus non tantum Patri, sed suis etiam illusoribus obedit. Purpuram suscipit, caput coronæ parat, arundinem manu tollit. Sicut ergo Christus Rex gloriæ spinea corona coronatur, purpura ac sceptro subsannatorie deluditur ; sic etiam, cum servus Christi in hoc mundo vilipenditur, et velut omni honore indignus abjicitur, et a præsumptuosis despicitur, et illusionibus molestatur, cogitet, quod servus non est major Domino suo, nec pro malo habeat si patiatur similia Regi summo.

17 Flexio genuum ante Christum, documentum ex ea et oratio. — Deinde, cum signa regalia ei adhibuissent, flectebant genua coram eo, ac derisorie, ut Deum *adorabant eum, et genu flexo ante eum*, ut regem salutantes, *illudebant, ac* irridebant *ei*, tamquam regnare volenti et non valenti; *dicentes : Ave, Rex Judæorum.* Quasi dicerent : Voluisti regnare, sed non potuisti. Regem Judæorum eum vocantes, verum dicunt, etiam nolentes et irridentes. Et sic, secundum *Bedam*, adorabant illum, quasi qui Deum seipsum falso dixisset, et salutabant eum, tamquam qui seipsum falso Regem fecisset ; quod fecerunt, ut eorum illusio responderet Judæorum accusationi, quia de utroque accusabatur a Judæis. Detestabilis mentis affectu hæc faciunt, quia compungentes coronant, ac illudentes adorant et salutant. Et licet Gentiles hoc facerent, tamen Judæi hoc luunt, qui tanti criminis auctores erant ; et ideo in Parasceve cum pro perfidis Judæis oratur, genua non flectimus, cum forte Judæi hoc agebant cum Gentilibus. Ubi *Chrysostomus* dicit, quod milites pecunia corrupti hoc ad gratiam Judaicam faciebant. *Augustinus* autem dicit, hoc esse factum mandato vel permissione Præsidis, ut scilicet magis Judæorum odia saturarentur, et facilius eum eriperet. — Ex hoc articulo habetur documentum, quod

nos caveamus ne Christum falso adoremus, vel salutemus. Mystice, falso Christum adorant et salutant, qui in eum credunt, sed perversis actibus despiciunt; ore eum confitentur, sed factis negant. Item, falso adorant, vel salutant, qui inter orandum aliquid quod est contra divinum honorem mente pertractant. Item, falso adorant et salutant, qui in ecclesiis signa devotionis ostendunt, et postea injurias Christo graves in membris suis faciunt. Item denique, falso Christum adorant et salutant omnes pseudo christiani. *Jesu, qui irrisorie adorari et salutari voluisti, da mihi te Deum meum verum adorare in spiritu et veritate, et te solum verum Regem venerabiliter salutare.*

18 Christus denuo alapizatur et conspuitur. — *Et*, ut illuderent factis, sicut illuserant signis et verbis, *dabant ei alapas*, in augmentum illusionis, et hoc ideo, ut ipso opere ostenderent illusorium esse quod ei talem honorem exhibebant. In hoc enim illusionem suam magis despectivam fecerunt, quod velut adorantes Deum, et salutantes regem, eum alapizaverunt. Et differt ista alapizatio ab illa, quæ in domo Annæ fuit facta : quia ibi una alapa ab uno ministrorum, hic autem plures alapæ a diversis dabantur; et illa dabatur causa ultionis, istæ causa illusionis. — Documenta autem ibi posita possunt hic accipi. *Jesu, qui alapis cædi voluisti, fac me ore et vita tibi semper plaudere, et aliorum opera, licet mala sint, mihi in bonum cooperari concede.* Addit Marcus : *Et conspuebant eum*, seu in faciem ejus, sicut personæ viles et contemptibiles. O quam vilis actus militum ! Ex hoc apparet, quod isti dicuntur milites, non secundum nomen militiæ præsentis temporis, quo generosi et nobiles, qui equites nominantur de calcaribus deauratis : tales enim nobiles personæ non illuderent, non conspuerent, nec crucifigerent, nec vestes crucifixi sibi dividerent, quod ad carnifices potius pertinet; sed dicuntur milites, secundum antiquam consuetudinem, stipendiarii et servientes pedites, sicut patet in gestis Julii Cæsaris, ubi milites ab equitibus distinguuntur. et in Actibus Apostolorum, ubi dicitur, quod Paulus cum militibus ducentis, et equitibus septuaginta de Jerusalem missus est Cæsaream. Ergo milites in hoc loco intelligimus viles stipendiarios carnifices, quales nullam perhorrescunt insolentiam ; qui dicti sunt milites, non a nobilitate, sed a fortitudine, erant enim robusti corpore, et, ut dicit *Chrysostomus*, ad omne malum expositi; de quibus etiam dicit *Theophilus*, quod in istis illusionibus militaris vana gloria semper inordinatis gaudens opprobriis sibi propria ostendebat. — Documenta hic possunt sumi sicut supra de consputione in domo Caiphæ facta. *O Jesu, qui in deliciosissimam faciem tuam conspui voluisti, da mihi faciem tuam sacramenti Eucharistiæ sumptione indigna non polluere, et conscientiam meam immundis cogitationibus non fœdare.*

19 Percussio capitis Christi cum arundine, documentum ex ea et oratio. — *Et acceperunt arundinem* de manu ejus, *et percutiebant* sacrum *caput ejus* : et ratione doloris infligendi, ut aculei spinarum fortius infigerentur capiti; et ratione contemptus, in signum vacuitatis et nihil. Non enim tantum causa lædendi eum per puncturas spinarum et per ictus baculi, quantum causa illudendi et vilificandi hoc fecerunt, nam viles personæ baculis sicut bestiæ percuti consueverunt. Quasi ergo dicerent ad eum : O tu homo vilis, utquid te Regem facis? In hoc fiebat ei sicut furi, qui fune capiti circumposito, torquetur, ut recognoscat mala quæ fecit ; et sicut funis constringitur, ut se amplius profundet vel gravius torqueat, sic et Jesum coronatum arundine percutiebant. Percutiebant arundine caput pavendum, dæmonibus tremendum, ac reverendum cunctis cœlorum Virtutibus, et venerandum Sanctis omnibus; caput benedictum in secula, a quo omnis benedictio non solum in barbam, verum etiam in oram vestimenti totius Ecclesiæ manat. O miseri ! quomodo vobis ad-

huc tremendum apparebit caput illud, quod nunc sic percutere non formidatis? Et tunc sanguis per aculeos coronæ de capite extractus, et largiter fluens, tinxit caput et genas ejus, ita ut appareret quasi leprosus, quia sanguis et sputa apposita faciebant eum leproso similem. Tinxit ergo sanguis totum caput ejus, sicut cruor flagellis extractus, et sudor sanguineus tinxit omnes alias partes corporis, ut non tantum manus et pedes et latus dicamus sanguine respersa; sed tota veste tincta, Christum ascendisse de Bozra. Cerne igitur eum, cum cordis amaritudine in singulis suis afflictionibus, quia omnia sustinet, quæ ipsi volunt quasi eorum servus; et ad omnia tacet quasi mutus. Et maxime cerne eum, cum caput ejus spinis plenum, arundine graviter et sæpe percutitur, quomodo depresso collo patienter, cum dolore tamen magno, acerbos ictus suscipit et patitur. Perforabant namque caput sacratissimum acerbissimæ illæ spinæ, ac totum madefaciebant sanguine. — Ex isto articulo trahitur documentum, quod caveamus ne et nos caput Christi cum arundine percutiamus. Caput quidem percutiunt, qui divinitatem ejus impugnant, et eum, Deum esse verum denegant, namque secundum Paulum Apostolum : *Caput Christi est Deus,* id est divinitas creans est caput creaturæ assumptæ. Arundo autem vel calamus significat Scripturam divinam, calamo Spiritus Sancti scriptam, de qua in Psalmo dicitur : *Lingua mea calamus scribæ.* Calamo igitur, ut dicit *Beda,* caput Christi percutiunt, qui divinitati ejus contradicentes, errorem suum auctoritate Sacræ Scripturæ, quæ calamo scribitur, confirmare conantur : quales sunt, qui eum purum hominem fuisse dicunt. Item, arundine caput Christi percutiunt, quando propter aurum mundani favoris, qui per arundinem significatur, Deus offenditur. Item, caput Christi calamo percutiunt, qui ex Scriptura divinitatem, plus quam oportet investigare satagunt, unde et interdum sanguinem erroris eliciunt. Item, cum arundine Christum in capite percutiunt, qui per vacuam, id est per otiosam vitam, Christum offendunt, qui est caput nostrum, a quo in omnes sensus nostros vitales operationes defluunt, qui et operum nostrorum exempla nobis præbuit. Unde, in quolibet otio, cum adest nobis opportunitas bonum faciendi, homo otiosus Christum quasi in capite percutit; ita ut ex tali percussione et spinarum punctione sanguis de capite Christi emungatur, hoc est quia Christus dolet et pungitur usque ad sanguinem de otio nostso, quia videt quod exempla sua non fructificant in nobis. *Jesu, qui nobile caput tuum arundine percuti voluisti, da mihi te caput nostrum per inanem vitam non offendere, sed tibi placitis moribus deservire.*

20 Dominicæ coronationis et illusionis figuræ. — Coronatio et illusio Christi, ac ejus patientia præfigurata fuit in rege David, quando ab inimico Semei, tanta mala patienter toleravit. Semei projecit super David lapides, ligna et lutum; sic synagoga injecit in Christum palmas, spinas, et sputum. Semei David virum sanguinum, et virum Belial vocavit; synagoga Christum seductorem, et maleficum appellavit. Sed cum Abisai voluisset Semei occidere, David prohibuit; et Angeli occidissent derisores Christi, sed ipse non permisit. — Christum etiam præfiguraverunt nuntii regis David, quos Hanon rex Ammonitarum tam turpiter dehonestavit. David misit Hanon nuntios ad pacem instaurandam, quorum vestes ipse præcidit usque ad nates, et radi fecit mediam barbam; sic Deus Filium suum ad pacem faciendam in mundum misit, quem synagoga nudans vestibus, barbam ipsius sputis maculavit.

21 Mysteria illusionum Christi et superbiæ exsecratio. — De præmissis autem Domini contumeliis dicit *Augustinus* : « Sic enim implebantur quæ de se dixerat Christus; sic Martyres informabantur ad omnia, quæ persecutores libuisset facere, perferenda; sic paulisper occultata tremenda potentia, commendatur prius

imitanda patientia; sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat; sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria : » hæc *Augustinus*. Væ igitur semel, væ væ bis, et væ iterum, his, qui post tam præclarum humilitatis speculum superbia tolluntur in altum, opprobria refugiunt, et ad honores aspirant : rursus contemptui habentes Dei Filium, quem tanto ab hominibus amplius omni constat honorificentia dignum, quanto pro hominibus indigniora sustinuit! Unde ait *Chrysostomus :* « Tot autem talibus factis ipse instabat silens, tu vero audiens hæc in mente habe continue, et Regem orbis terrarum et Angelorum Dominum videns contumeliam patientem, et omnia ferentem silentio imitare.» Et iterum : « Quæ igitur erit nobis cura de cetero, si contumelias ab aliquo patiamur, postquam hæc Christus passus est? » Etenim quod fiebat in Christo, ultimus contumeliæ terminus erat ; nec una particula tantum, sed universum corpus patiebatur injurias : caput per coronam, et arundinem, et colaphos ; facies, quia conspuebatur ; genæ, quia alapis cædebantur; corpus totum, per flagella, et quia denudatum est, et per circumdationem chlamydis, et per fictam adorationem ; manus, per arundinem quam dederunt ei pro sceptro : ac si timerent ne prætermitterent aliquid gravissimæ præsumptionis. Unde ait *Anselmus :* « Regali purpura induitur ; sed plus in eo despicitur, quam honoratur. Sceptrum in manu gestat; sed eo ipso reverendum caput ejus feritur. Adorant coram ipso, positis genibus in terra, et regem conclamant ; sed continuo ad conspuendum amabiles ejus genas subsiliunt, maxillas palmis concutiunt, et honorabile collum exhonorant : » hæc *Anselmus*. Omnes vero istæ illusiones militum, et contumeliæ Judæorum Christo illatæ nobis tribuunt mysteria, licet alia intentione ab eis sint facta, prout sæpius tactum est supra. Hæc autem secundum Joannem ante sententiam Pilati facta sunt ; sed Matthæus et Marcus, post sententiam, ea quæ omiserant recordando, ponunt. Sic ergo, ut dictum est, Martyres informabantur ad perferenda omnia, quæ a persecutoribus inferebantur. Quod enim in veste duplici, scilicet alba et rubea Christus illusus esse perhibetur : in uno puritas suæ humanitatis; in altero veritas Passionis exprimitur. Hoc etiam significat duplex martyrii genus, quo in passionibus Ecclesia adornatur, ut sit candida virginitate, et rubicunda sanguine ; et ipsa Ecclesia variis membrorum suorum flosculis vernans in pace lilia gignit, in bello rosas, unde dicit admirando : *Dilectus meus candidus et rubicundus : candidus,* scilicet actione, et in pace, lilium virginum; *ac rubicundus* sanguine, et in bello, rosa martyrum. In utroque ergo habitu Domini potest omnis multitudo electorum intelligi : alba enim veste induuntur Virgines et Confessores, et rubea Martyres ; unde et Dominus alba veste induitur, cum munda justorum confessione circumdatur ; rubea vestitur, cum in triumphis victoriosorum Martyrum gloriatur. Si autem te nudum absque his vestibus inveneris, veste Christi rubea induere, et totus Christi passionibus adornare.

22 Christus coram populo a Pilato adducitur. — Sed, nec illis sufficiebat quod ad majorem illusionem totam cohortem militum congregaverant, sed et Pilato jubente, coram ipso et toto populo Judæorum foris exspectante, qui propter festum non introibant in prætorium, adduxerunt foras Jesum sic illusum, et ad derisionem et confusionem paratum omnibus demonstrandum. *Exivit ergo iterum Pilatus,* de prætorio, *foras* ad Judæos, *et dixit eis : Ecce adduco vobis eum foras*, postquam diligenter examinavi, et punivi, ad vobis satisfaciendum ; *ut cognoscatis quia nullam in eo causam,* scilicet mortis, *invenio,* licet afflictus et illusus sit ; et hoc ad voluntatem vestram innocenti fecisse sufficiat. In eo habitu

illum ostendit, in quo illusus est a ministris, ut saltem sic quiescant videntes eum plenum opprobriis. *Exivit ergo Jesus*, ex præcepto Pilati, *portans coronam spineam, et purpureum vestimentum*, et chlamydem coccineam, turpem et veterem, ac sceptrum arundineum. Ecce quam lamentabile spectaculum! Incedebat quasi in habitu regali, sed patebat undique despectui. Ecce quomodo Rex et dux tuus confusione repletur et humiliter sustinet, ut te ab æterna confusione eriperet, et a superbiæ peste sanaret. Hic ergo instruimur, ut opprobria omnia pro nomine Jesu Christi sustinere parati simus, et in omnibus humiliari studeamus. Unde *Anselmus :* « Attende, anima mea, quis est iste, qui ingreditur habens imaginem quasi regis, et nihilominus servi despectissimi confusione repletus est; coronatus incedit, sed ipsa ejus corona cruciatus est illi, et mille puncturis speciosum ejus verticem divulnerat : » hæc *Anselmus. Et,* tunc quasi despective loquendo, vel eos ad misericordiam provocando, *dicit eis* Pilatus : *Ecce homo*, ecce de quali homine creditis quod vellet sibi regnum usurpare. Quasi eis diceret : Etsi in aliquo male egisset, tamen ultra condignum punitus est, et ideo sufficere vobis hoc deberet : videte caput ejus perforatum, totum corpus laceratum, faciem consputam, et pro Deo compatiamini sibi, quia frater vester est. Volebat enim Pilatus ut sensibiliter viderent qualiter fuisset punitus et illusus, ut sic moverentur ad compassionem; qui animo liberandi eum fecit hanc ostensionem. Unde *Chrysostomus* : « Propterea coronatum Jesum eduxit ad eos, ut convitium quod a militibus factum erat in eum videntes parum respirent a Passione et vomant venenum. » Unde et *Augustinus* : « Hinc apparet, non ignorante Pilato, hæc a militibus facta : sive jusserit ea, sive permiserit, illa scilicet causa, ut hæc ejus ludibria inimici libentissime viderent, et ulterius ejus sanguinem non sitirent. Egreditur ergo ad eos Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum : non clarus imperio, sed plenus opprobrio, spinis punctus, sputis illusus, atque flagellis afflictus. Et dicitur eis : *Ecce homo*. Quasi dicatur : Si regi invidetis, jam parcite; quia dejectum videtis : flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris convitiis illusus est, sputis fœdatus est, alapis cæsus est, fervet ignominia, frigescat invidia. Sed non frigescit, inardescit potius et increscit : » hæc *Augustinus*.

25 Documenta ex illusione Christi et oratio. — Ex hoc articulo sumitur documentum, quod nos Christum illusum ante mentis nostræ oculos habeamus, et in vestitu aut exteriori apparatu non vane gloriemur; quoniam Dominus noster in vestitu illusus est. Et maxime in hoc sequi Christum debent religiosi et monachi, qui Christum illusum repræsentant in habitu, tonsura et ferulis : habitus enim monachalis despectibilis est, et quasi illusorius hominibus mundanis; corona autem capitis monachalis repræsentat coronam spineam; baculi seu ferulæ, quos antiquitus monachi portare consueverunt, repræsentant arundinem. Et sicut Christus non dedignabatur habitu illusorio populo Judæorum ostendi; sic non erubescant monachi et alii mundi contemptores, qui, secundum Apostolum, spectaculum facti sunt mundo, in habitu contemptibili et insigniis regalibus illusoriis prædictis, Christum Regem imitari. — Item, est hic documentum, quod istam ostentationem Christi repræsentat sacerdos in elevatione hostiæ, quasi diceret ipse: *Ecce homo*. Quoniam enim sacramentum altaris est memoriale Dominicæ Passionis, et quia Christus passus est secundum humanitatem, secundum divinitatem vero est impassibilis; ideo sacerdos ostendens Christum in Missa, congruentius dicit : *Ecce homo*, quam, ecce Deus, licet ipse sit et homo et Deus; sed homo patens fuit in illa ostensione, et Deus latens. — Item, est documentum, quod nos debeamus cum eisdem insigniis mystice acceptis, prout dictum est suis locis, ante conspectum Christi Regis

nostri in judicio apparere, cum quibus ipse dignatus fuit Judæis ostentari. *Jesu, qui cum illusionis insigniis Judæis ostentari voluisti, da mihi ostentationem vanæ gloriæ devitare, et cum eisdem insigniis mysticis ante conspectum tuum in extremo judicio comparere.*

24 CLAMORES JUDÆORUM CRUCIFIXIONEM DOMINI PETENTIUM, DOCUMENTUM EX EIS, ACTUS CONFORMATIONIS ET ORATIO. — Sed licet Pilatus hæc agat, insatiabilis tamen sacrilegorum furor non cessat, quinimo magis instat. Ecce magna pertinacia Judæorum, in procurando mortem Christi, nam obstinata nequitia non emollitur misericordia. Tunc enim *cum vidissent eum* sic punitum et illusum, illi Judæi filii diaboli, præsertim *Pontifices et ministri* et cognoscerent, quod Pilatus sic volebat dimittere eum, in nullo compatientes ei, ac punitionis correptione, et illusionum opprobrio non contenti, nec Pilati excusatione placati *clamabant*, tumultuose, et alios ad clamandum excitabant, *dicentes : Crucifige, crucifige eum.* Quasi dicerent : Hæc pœna nullo modo nobis sufficit, sed petimus quod moriatur. Videntes eum magis commovebantur, quia ex aspectu ejus qui odio habetur, magis contra eum cor odientis inflammatur. Ingeminant autem crucifige, propter desiderii vehementiam, et quia voluntate et opere crucifixerunt eum. Magna crudelitas, quia non sufficit eis alterum, scilicet vel flagellare, vel occidere, sed utrumque ; nec contenti sunt quacumque morte, sed turpissima et durissima se crucis desiderant occidere, clavis affigi ad lignum quærunt : ne dolor citius finiatur, sed morte producta moriatur, et ut in cruce diutius videatur, et modo mortis diffametur. Et, secundum *Chrysostomum* , formidantes ne aliqua ejus post ipsum fiat memoria, student et ad supplicium ducere maledictum. Verum, ut dicit *Rabanus*, Judæi de morte pessima cogitabant, sed a Domino, non intelligentibus eis, electa erat. Ipsam enim crucem diabolo superato, erat tamquam trophæum in frontibus fidelium positurus. Cerne etiam nunc quomodo sic contumeliose vestitus et coronatus, et cum sceptro incedit, et quomodo facie dimissa stat coram tanta multitudine vociferante et clamante : Crucifige, cruicfige, acsemper eum deridente et sibi insultante, quasi sapientiores eo fuerunt ; et sic non solum dolores et pœnas, sed etiam contumelias et terrores recipiebat ab eis. Ex hoc articulo, qui in clamore consistit, trahitur documentum, quod non refert ad culpæ intentionem occidere hominem lingua vel gladio, unde Psalmista : *Lingua eorum gladius acutus ;* et loquitur ad litteram de Judæis clamantibus : Crucifige. Super quo *Augustinus :* « Noli, ait, attendere inermes manus, sed os armatum, inde gladius processit quo Christus occideretur. » Caveant ergo sibi detractores, et proximorum infamatores. ne exacuant ut gladium linguas sua : quia sicut gladio corpus, sic lingua fama hominis perimitur ; unde dicitur in Proverbiis : *Mors et vita in manibus linguæ.* Item, est documentum, quod non semper ad quælibet interrogata est respondendum. Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo quam terribiles fuerunt illi clamores Judæorum, et rememoretur an ipse umquam iniquis hominum insidiis, aut oblocutionibus, seu detractionibus contra proximum per consensum conclamaverit, vel alias prout Deus dederit, et sic oret : *Jesu, qui terribiles Judæorum voces, crucifige, crucifige clamantium. audire minime expavisti, da mihi inimicorum tuorum verbis exsecrabilibus non terreri, et lingua mea nocumentum proximo non inferre.*

25 PILATUS, CHRISTUM DIMITTERE VOLENS, EUM DENUO INTERROGAT. — Sed *Pilatus* videns Christi innocentiam, et Judæorum malitiam impellentium ad rem illicitam, et recusans crucifigere Jesum, *dicit eis : Accipite eum vos, et crucifigite*, qui sine causa consuevistis innocentes condemnare; *ego enim non invenio in eo causam*, scilicet crucifigendi, et dandi talem sententiam. Verum dixit Pilatus, quia Christus *peccatum non fecit, nec in-*

*ventus est dolus in ore ejus;* unde bene dicit, *in eo*, quia causa mortis Christi non fuit in eo, sed in nobis. Et ideo dicit *Bernardus* : « Piissime Jesu, quid tibi et morti? Nos peccavimus, et tu luis; nos debuimus, et tu solvis. » Ac si diceret Pilatus : Mihi non licet crucifigere innocentem, vos crucifigite, si vultis. Derisorie et indignanter hoc dixit, quia non habebant potestatem judicandi aliquem ad mortem; unde secundum *Chrysostomum*, quod dixit : Crucifigite, exsecrantis fuit hoc verbum, et ad rem non concessam illis impellentis. Videntes autem Judæi, quod Pilatus clamoribus eorum non acquiesceret, incœperunt allegare rationes alias, quam supra allegaverant, et accusabant eum, quia contra Legem Dei Filium Dei se fecit; et ideo, ut blasphemus, secundum Legem quam habebant, mori deberet. *Responderunt ei Judæi: Nos Legem habemus, et secundum Legem* istam *debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Erras, o Judæe, quia se Deum non fecit, sed Pater eum genuit Deus Deum, et ergo Filium Dei se dicendo, non blasphemavit, sed veritatem dixit. Unde *Augustinus* : « Ecce altera major est invidia, parva quippe illa videbatur velut affectatæ illicito ausu regiæ potestatis. Et tamen neutrum sibi Jesus mendaciter usurpavit, sed utrumque, scilicet : quia erat Rex, et Filius Dei, verum est : et unigenitus est Dei Filius, et *Rex a Deo constitutus super Sion montem sanctum ejus*; et utrumque nunc demonstraretur, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior : » hæc *Augustinus*. Tunc *ergo, cum audisset hunc sermonem Pilatus magis timuit*, ne forte verum esset quod esset Dei Filius, et sic factum enorme fecisset ipsum puniendo et illudendo, et ne videretur inique agere occidendo. Illi vero hoc dicentes non horruerunt, sed interficiunt eum, pro quibus oportuerat adorare. Secundum *Augustinum*, Pilatus non timuit Legem eorum, ut occideret, quia alienigena erat, et Legem non observabat; sed magis timuit Filium Dei ne occideret. Prius timuit occidere innocentem, nunc magis timet occidere Dei Virtutem. Et ideo volens de hoc secretius inquirere non amplius interrogavit : Quid fecisti? Sed *ingressus est iterum prætorium* cum Jesu, ut veritatem magis posset cognoscere, extra tumultum Judæorum. *et dixit ad Jesum : Unde es tu?* id est, unde duxisti originem? Per hoc quærebat, utrum esset Deus. originem habens divinam; vel homo, habens originem terrenam. *Jesus autem responsum non dedit ei*, implens illud propheticum : *Sicut ovis non aperuit os suum*, ut nobis daret patientiæ exemplum. Quia enim Pilatus altam quæsivit quæstionem, non audivit responsionem : nam divina generatio infideli et incredulo explicanda non erat, et quia suam Passionem impedire nolebat, cum ad hoc venisset, quod pro nobis pati vellet. *Dicit ergo ei Pilatus*, provocans eum ad responsum aliquod, per quod illa accusatio excludi posset : *Mihi non loqueris?* Mirabatur de ejus taciturnitate, cum esset in puncto liberationis, vel condemnationis suæ. Ideo sequitur : *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te?* Quasi diceret : Mihi saltem deberes respondere. Tua, Pilate, voce constringeris; tua damnaris sententia. Si enim in te totum est positum, quare innocentem, in quo nullam causam invenisti, non absolvis? Pro potestate ergo, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradis; per potestatem latronem absolvis, Auctorem vero vitæ interficis. Et quia gloriatur de sua potestate, ideo *respondit Jesus* ad reprimendum ejus jactantiam et tumorem; dicens : *Non haberes potestatem adversum me ullam*, quantulamcumque habes, *nisi* hoc ipsum quidquid est, *tibi datum*, et concessum *esset desuper*, scilicet a Cæsare et ulterius permissum a Deo qui est potestas superior, et a quo est omnis potestas. Et ex hoc arguit ejus peccatum, quia non acceperat potestatem a Cæsare et a Deo innoxios condemnandi, sed magis liberandi eos. Et quia Pilatus Gentilis erat, et superioris potestatis timore angebatur, dicit eum minus peccare quam

Judæos, qui Legem noverant et invidia movebantur : *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* « Plus enim peccat, ut ait *Augustinus,* qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa, si eum timore alterius majoris potestatis occidit. Nec timendo quidem, præsertim innocentem, homo hominem debet occidere; sed tamen id zelando facere, multo magis malum est quam timendo : » hæc *Augustinus.* Et similiter traditor plus peccavit, qui pro quæstu eum Judæis tradidit. Majus ergo erat peccatum Judæ et Judæorum, quam Pilati : quia ad occisionem Christi Judas fuit motus cupiditate, Judæi autem rancore; sed Pilatus humano timore.

26 Sed Judæorum clamoribus territus, pro tribunali judicaturus sedit. — *Et exinde,* id est ex hac causa, et propter hoc, scilicet ne peccaret, et peccatum haberet occidendo innocentem, et Dei Filium, *quærebat Pilatus dimittere eum* absolutum, quamvis minus esset peccans quam alii, Judas scilicet et Judæi, qui tradiderunt illum : non quod tunc primum conciperet, sed si prius volebat, modo quærebat. Supra enim tentabat Jesum dimittere; sed ex tunc omnino et constanti animo quærebat hoc facere. *Judæi autem* non valentes per falsas accusationes circumvenire judicem, nituntur ei de injuria Cæsaris ingerere timorem, et ideo de hoc magis quam de omnibus superius dictis eum terrere putantes, *clamabant, dicentes : Si hunc dimittis,* qui se Regem facit, *non es amicus* et fidelis minister *Cæsaris,* id est non zelas pro honore et statuto domini tui custodiendo, et ideo amicitiam illius amittes. *Omnis enim qui se regem facit,* usurpando potestatem sibimet, *contradicit Cæsari.* Imperatores enim Romani abstulerant a Judæis regiam dignitatem; et ideo, qui inter Judæos dicebat se esse regem, videbatur facere contra Imperatoris ordinationem, sine cujus consensu non solebat quis titulo uti regio. Hæc enim potestatis est terrenæ natura, quod una est impatiens consortii aliarum, unde et ideo Cæsar non patiebatur alium dominari. Ubi *Chrysostomus* : « Et unde habetis demonstrare hoc : a purpura, a diademate, a curia, vel a militibus? Nonne solus semper cum discipulis incedebat, per omnia viliter transiens, et cibum et scholam et habitationem ? » *Pilatus autem cum audisset hos sermones,* et minas sibi inferri a populo de indignatione Cæsaris, adhuc plus timuit. Nam, secundum *Augustinum,* non sic potuit Pilatus contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum Legem gentis alienæ. Timens ergo Cæsarem, et non audens etiam secundum minimam apparentiam facere contra ejus honorem, *adduxit foras,* id est extra prætorium *Jesum, et sedit pro tribunali,* id est ante tribunal vel in tribunali; nam apud Græcos hæc præpositio *pro,* idem est quod ante vel in, hoc est sedit in loco sedis judicare, seu ad judicandum, quod est officium sedentis in tribunali. Est enim tribunal sedes judicum, sicut thronus vel solium regum est, et cathedra doctorum. Et dicitur *tribunal,* quia apud Romanos tribuni causas particulares decernebant, dicti a tribubus quibus præponebantur. Sedit vero, *in loco, qui dicitur* Græce Λιθόστρωτος, id est lapidum stratura, sive etiam pavimentum varietate lapidum stratum : sic dictum a λίθος, quod est lapis, et στρωτὸν, quod est stratura, seu pavimentum ; quia ille locus diversis lapidibus erat pavimentatus, et erat ante domum Pilati. *Hebraice autem,* idem locus dicebatur *Gabbatha,* id est collis, sive sublimitas, ex coacervatione lapidum ; quia locus fuit sublimis, et vario lapide stratus, in quo tribunal erat. *Erat autem Parasceve,* id est præparatio *Paschæ, hora quasi sexta.* Græcis admixti Judæi Græcis crebro utebantur vocabulis. Παρασκευή autem Græce dicitur præparatio Latine. Sic dicebatur feria sexta, quia in ea præparabant necessaria pro sabbato, in quo aliquid decoqui, vel operari non licebat ; sicut et in deserto duplex manna feria sexta, propter sabbatum colligebant. Dicitur etiam feria sexta præparatio, quia Judæi præ-

parabant se mundando. Et congrue sexta die crucifigitur Dominus, quia per crucem reparavit hominem, qui sexta die a Deo factus est. Sexta etiam hora Dominus pro homine est crucifixus, quia sexta hora homo in peccatum est lapsus. Nam, ut dicit *Hieronymus* : « Qua hora primus Adam mortem peccando induxit, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destruxit. » Sexta quoque hora, qua major fervor diei est, crucifigi voluit ; ad ostendendum quod ex magno fervore caritatis passus sit. Tunc Pilatus jussit Jesum sisti judicio, *et* allegans pro ejus liberatione, *dicit Judæis,* quasi eos subsannando : *Ecce rex vester*. Prius dixerat : *Ecce homo* ignominiam Domini demonstrans, ut eos ad miserendum moveret, nunc vero ut eos magis moveat, ironice eis insultat, dicens : *Ecce rex vester*. Primo conabatur eum liberare, per Christi ludibrium ; secundo autem, per Judæorum opprobrium. Quasi diceret eis : Mirum est, quod hunc hominem flagellatum, illusum et abjectum dicitis usurpare sibi regnum. Talis homo est quod regnum invadere, vel captare non possit ; unde erubescere debetis quod eum esse regem formidatis. Compatiamini ergo illi, quia de eo timere non oportet, vel tale quid suspicari. Et tamen Pilatus super hoc timet ab eis apud Cæsarem accusari, et sua potestate privari. Ubi *Chrysostomus* : « Et nimirum quæ dicta sunt erant sufficientia, ut facerent eos de cetero ab ira cessare ; sed trepidabant ne dimissus rursus turbam ducat, et omnia pro hoc agebant. Amor enim principatus, versutum quid est, et animam sufficiens perdere ; propterea magis insistunt : » *Illi autem,* scilicet Judæi sicut furibundi, *clamabant,* et ex abundantia malitiæ ingeminando dicebant : *Tolle, tolle,* scilicet ad mortem, et non ad quamcumque, sed ad turpissimam ; ideo explicantes genus mortis, addiderunt : *Crucifige eum*. Interficere enim eum conabantur, et morte exprobratissima, formidantes ne aliqua ejus post ipsum fiat memoria. Quasi dicerent : Tolle eum a nobis, et conspectu nostro : gravis enim est nobis ad videndum, nec possumus eum videre ; auferque eum de medio, et interfice. At quanto plus audiebant, quod Pilatus vellet liberare eum, tanto magis clamabant in contrarium. Ubi *Beda* : « Quia totam accusationem, quam adversus Dominum detulerant, crebra et sollicita Pilati interrogatione videbant evacuatam ; tandem impudici ad solas se preces convertunt, ut quod criminando, et quasi ratiocinando nequiverant, jam postulando et vociferando perficiant. Quem exinde ordinem sæviendi, etiam beatorum Martyrum persecutores tenuisse, satis ecclesiastica demonstrat historia : » hæc *Beda*. *Dulcissime Jesu, quis tam durus et impius erit, ut clamores illos horribiles : Tolle, tolle, crucifige eum, sine gemitu et clamore spiritus, aure corporis valeat audire, seu mente tractare? Pilatus* vero terrorem, quem de Cæsare ingerunt, adhuc superare conatur; et volens de ipsorummet ignominia eos frangere, quos de Christi ignominia non potuit mitigare, allegansque in Christi crucifixione eorumdem verecundiam, *dicit eis,* quasi subsannando : *Regem vestrum crucifigam?* quod redundat in vestram ignominiam. Quasi diceret : Ex quo eum regnare formidatis, et jam de hoc fama magna fuit, non est honor vester quod rex vester condemnetur, et erit vobis verecundia si morte sic abjecta moriatur. Et ideo, si non moveamini ab ejus humilitate, saltem debet vos movere vestrum opprobrium, quod esset, si crucifigerem eum. Sed illi se a libertate regni Dei et Christi excludentes, jugum diaboli sumpserunt ; ac perpetuæ servituti et tyrannidi se subjecerunt. *Responderunt* etenim *Pontifices* ante alios dicentes : *Non habemus regem, nisi Cæsarem*. Ex quo patet quod ex tunc perpetuæ Romanorum se obligaverunt subjectioni, renuntiantes omni alteri regiæ dignitati ; patet etiam eorum obstinatio ad procurandum mortem Christi, cum pro ejus procuratione, confessi sunt in perpetuum seipsos subjectos servituti. Unde *Chrysostomus* : « Abnuerunt Dei regnum et traditi

sunt regno Romanorum, quia quod habebant non intellexerunt; et ideo quod petierunt acceperunt. » Hoc idem etiam facto clamant nostri pontifices et prælati, seu curati, qui suas ecclesias dimittentes ingerunt se negotiis temporalibus principatus, vel regni. Per hoc autem iterum Judæi timorem Pilato ingerebant. Ut enim dicit *Augustinus,* apertissime contra Cæsarem venire videretur, si regem se non habere nisi Cæsarem profitentibus, alium regem vellet ingerere, dimittendo impunitum, quem propter hos ausus ei tradiderant occidendum.

27 Documenta duo ex adductione Christi ad tribunal, actus conformationis et oratio. — Ex quo articulo adductionis Christi ad tribunal habentur duo documenta. Primum, quod nos debemus tribunal in mente nostra constituere, et ibi judicio astare, sicut Christus stetit ante tribunal propter nos, ut nos districtum Dei judicium possimus declinare, juxta illud Apostoli : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* — Secundum est, quod tempore adversitatis judicium Dei cum patientia subeamus, sicut Dominus noster pro nobis ductus ante tribunal hominis obmutuit, et non aperuit os suum, cum omni patientia subiens judicium. Nos quippe tempore adversitatis, quasi ante tribunal Dei sistimur, unde Apostolus, post verba præallegata, subdit : *Cum autem judicamur*, scilicet temporalibus pœnis, *a Domino corripimur*, quia, ut dicit *Glossa*, pœna ipsa nobis propria est purgatio, *ut non cum hoc mundo damnemur.* Quasi diceret : Ideo est bonum hic per punitionem temporalem judicari a Deo, ut hic correpti non damnemur in judicio futuro. — Ad conformandum se huic articulo, attendat homo documenta jam præmissa, et oret mente devota : *Jesu, qui ante tribunal Pilati adduci, et in judicio sisti voluisti, da mihi ante tribunal mentis meæ conscendere, et meipsum de culpis meis conscientiæ testimonio districtis judicare*; *judicium quoque tuum in adversis tam patienter hic subire*, *ut ante tuum tribunal, in judicio extremo valeam securus astare.*

28 Christus damnatur ad crucem.— Sed Pilatus timore mox vincitur ; et a tramite veritatis et justitiæ detorquetur. *Tunc ergo,* petente tota Judæorum multitudine vocibus magnis ut crucifigeretur, tandem miser præses Pilatus motus timore Imperatoris, et favore Judaici populi, cui ipse præerat, et a quibus pecunias sperabat levare contra judicium, et contra conscientiam, qua Christum innocentem noverat, et in quo nulla causa erat, dedit sententiam crudelissimam de morte innocentis, et per sententiam definitivam, *tradidit eis illum ut crucifigeretur*, judicio et potestate Præsidis. Non dixit Evangelista ut crucifigerent eum ; sed *ut crucifigeretur,* per Præsidis judicium. Sed ideo illis traditum dixit, ut eos crimine implicatos, a quo alieni esse conabantur, ostenderet ; non enim Pilatus hoc faceret, nisi ut id quod eos cupere cernebat impleret. Itaque Pilatus ambitiosus nolens amittere principatum, quamquam pronuntiasset Christum innocentem, ac per eum dimittendum ; volens tamen ad complacendum clamoribus populi Judaici satisfacere, id est eorum voluntatem facere, et non quod erat placitum Deo et justitiæ ; timensque ne accusaretur de Cæsaris rebellione, cum hoc nullum suspicans periculum, si innocentem pauperem morti adjudicaret, maxime quia contradictor aliquis non apparebat, protulit sententiam, et judicavit eum ob culpam affectati regni esse crucifigendum. Quia enim Judæi Cæsarem regem et dominum professi sunt, videns quod sic se potestati Romanorum subjecerunt, condemnavit Jesum, quasi usurpantem Cæsaris potestatem ; et tradidit illum voluntati ipsorum, ad crucifigendum. Quæ autem fuerit forma ejus sententiæ, non est expressum ab Evangelistis ; in evangelio tamen Nicodemi scribitur, quod Pilatus protulerit sententiam sub his verbis : Gens tua comprobavit te regem, propterea præcipio te primum flagellari, secundum principum statuta ; deinde

in cruce allevari. Peccavit Pilatus, nec excusatur, quia cum judex esset, tenebatur ex officio servare justitiam, et nec timore cedere debuit, nec amore, ut faceret contra eam ; qui si omnino voluisset, quem justum pronuntiaverat, et eripere potuisset. Minus tamen peccavit quam Judæi : institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret; et ejus motivum fuit minus malum, quia Judæi ad occidendum Christum moti sunt per rancorem et odium, Pilatus vero propter timorem Cæsaris et favorem Judæorum. Sic ergo eis consensit, quia, cum effectu, furori eorum obviasse potuit : consentit enim, qui cum potest arguere, non arguit; non consensit tamen consensu pleno, sed coacto. Sicut autem tunc Pilatus, sic hodie faciunt multi judices, timore vel favore a veritate judicii declinantes, et justitiam subvertentes. Ecce quomodo innocentissimus Agnus, ut te a judicio et lamento justæ et æternæ damnationis eriperet, injuste propter te judicio damnari præelegit; ecce quæ non rapuit pro te solvit; et tu, anima mea nequam et impia, nec devotionis solvis pinguedinem, nec compassionis refundis affectum. Cogita quantum amici ejus clamaverunt, quando illam sententiam audiverunt. Sed maledicti gaudent et exsultant, quod intentum suum pravum habent. Rident, et illum, qui est verus et æternus Deus, derident, et ejus mortem quantum possunt accelerant, non beneficiorum et operum ejus recordantur, neque propter innocentiam ipsius moventur ; et quod crudelius videtur, non propter afflictionem, quam in eo vident, retrahuntur. Et sic hora tertia crucifixus est Dominus linguis Judæorum ; et sexta manibus militum. Unde ait *Augustinus* : « Quoniam Judæi facinus interfecti Christi a se, in Romanos, id est in Pilatum et ejus milites transferri conati sunt, propterea Marcus, suppressa ea hora qua Christus a militibus crucifixus est, quæ agi sexta jam cœperat, tertiam potius horam recordatus expressit, qua hora intelliguntur apud Pilatum clamare potuisse : *Crucifige, crucifige eum*; ut non illi tantum reperiantur crucifixisse Jesum, id est milites, qui eum ligno crucis sexta hora suspenderunt, verum etiam Judæi, qui ut crucifigeretur hora tertia clamaverunt. » Et iterum : « Apparitores potestatis hora sexta Jesum crucifixerunt; prævaricatores Legis hora tertia clamaverunt. Quod illi manibus, hora sexta; hoc isti lingua, hora tertia. Rei magis isti, qui clamando sæviebant, quam illi, qui obtemperando administrabant : » hæc *Augustinus*. Alii dicunt, quod in hora tertia Dominus jam condemnatus sit, et in hora tertia incœpta est crucifixio ejus; et, occupatis eis in crucifixione, fluxit tempus usque ad sextam, et in hora sexta crucifixio fuit consummata : et ideo quod dicitur de tertia, verum est de crucifixionis principio ; et quod dicitur de sexta, intelligitur de crucifixionis consummatione, secundum veritatem poterit esse meditullium horarum, et hora media inter sextam et tertiam : et quia medium denominatur ab utroque extremorum, ideo ab Evangelistis quandoque dicitur tertia, aliquando dicitur sexta. Unde etiam in signum hujus ecclesia communiter, inter tertiam et sextam celebrat missas solemnes, quia missæ in memoriam celebrantur Passionis.

2o Documentum ex Christi condemnatione, actus conformationis et oratio. — Et hoc articulo condemnationis Christi ad mortem per sententiam trahitur documentum, quod nos caveamus ne umquam justam mortis sententiam animæ vel corporis mereamur. Item, sicut Salvator noster sustinuit pro nobis iniquam, ab homine, contra se ferri sententiam ; sic et nos pro Deo curare non debemus iniqua hominum judicia. Unde Apostolus ad Corinthios scribens : *Mihi*, inquit, *pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* — Ad conformandum se huic articulo, oret homo, dicendo : *Jesu, qui sententiam condemnationis ad mortem, mortem autem crucis, innocenter subire voluisti, fac me justam mortis sententiam, sive in corpore, sive in anima non*

*mereri, et tui amore iniqua hominum judicia non timere.*

3o Crux imponitur Christi humeris. — Data autem sententia, reducitur Dominus intus; et spoliantes *exuerunt eum chlamyde et purpura*, quibus fuerat ab illis indutus; et adhuc nudo coram existenti, vix datur sibi licentia semetipsum vestiendi. Intuere et hic Dominum, secundum considerationem supra de flagellatione positam. Tandem denuo *induerunt eum vestimentis suis*, quibus eum spoliaverant, ut ductus ad mortem magis cognosceretur in veste propria, quam in aliena. *Et*, cum esset vestimentis suis revestitus, *educunt illum* foras, *ut crucifigerent eum*, quanto citius, ne mortem ejus differant amplius; ubi ligantes fune manus et collum ipsius, judicium suæ mortis ei imponunt, et ipsum tamquam malefactorem extra propriam civitatem ejiciunt. Nam venerabile lignum crucis longum et grossum et multum grave ponunt super humeros suos delicatissimos, ut portet ipsum ad locum ubi erat crucifigendus. Ut enim dicitur in historiis, opinio est crucem quindecim pedes habuisse in longitudine. Et quia lignum illud reputabatur profanum et immundum, et mors crucis ignominiosissima, juxta quod dicitur in Deuteronomio : *Maledictus qui pendet in ligno*, ideo nullus eorum lignum illud nedum portare, sed nec tangere voluit. Idcirco imposuerunt illud Jesu ut jam damnato; Agnus autem mansuetissimus patienter suscipit, et portat patibulum suis humeris in angariam mortis, tendens ad locum Passionis : *Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* Unde sic dicit *Augustinus* : « Hic adimpletur illud Isaiæ : *Cujus principatus super humerum ejus.* Principatus enim Christi est crux ejus, propter quam, secundum Apostolum, *Deus exaltavit illum.* Et sicut signum dignitatis : alii balteum, alii mitram portant; sic et Dominus crucem. Et si inquiras, invenies non aliter in nobis regnare Jesum, nisi per asperitates; quo fit ut deliciosi, inimici sint crucis : » hæc *Augustinus.*

31 Figuræ bajulationis crucis. — Completur nunc figura Isaac obedientis, et ad patris jussum ligna pro sui immolatione portantis. Et, secundum *Chrysostomum*, quomodo Isaac dimissus est, et mactatus aries; sic et hic divina natura manet impassibilis, sed mactata est humanitas, hærens cornibus inter vepres, id est inter retinacula peccatorum, quibus natura humana detinebatur. Hic etiam completur viduæ Sareptanæ figura, quæ collegit duo ligna. Unde *Anselmus* : « Vide, anima mea, quomodo per omnia vir iste coarctatur et spernitur. Sub crucis onere dorsum incurvare jubetur, et sui ipsius portare ignominiam. O spectaculum! Videsne? *Ecce principatus ejus super humerum ejus*; hæc est virga æquitatis, virga regni sui. » Unde et *Hieronymus* : « Hic educitur Abel in agrum a fratre, ut perimatur; hic adest Isaac cum lignis, et Abraham cum ariete vepribus hærente; hic adest Joseph cum gramineo fasce somniato, et tunica talari sanguine lita; hic adest Moyses cum virga et serpente suspenso in ligno; hic adest botrus in ligno portatus; hic adest Elisæus cum ligno, ad quærendum securim, quæ in imo demersa erat, et natavit ad lignum, id est genus humanum, quod a ligno vetito in infernum decidit, per signum autem crucis Christi, et Baptismum aquæ ad paradisum natavit; hic adest Jonas de ligno forti in mare ventremque ceti triduo missus. » Unde etiam *Augustinus* : « O grande spectaculum! Sed, si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium; si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum; si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas, videt regem bajulantem lignum ad seipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum : in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. Dicturo enim Paulo : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, ipsam crucem sui gestans humeris commendabat; et lucernæ

arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat : « hæc *Augustinus.* Portat autem Christus crucem, ut rex sceptrum in signum gloriæ, quæ est universale rerum omnium dominium ; item, ut victor portat trophæum, et signum suæ victoriæ, quo principatus et potestates spoliando, triumphavit ; item, ut doctor portat candelabrum, in quo ponenda erat lucerna suæ doctrinæ, quia signum crucis fidelibus est virtus Dei. Et sicut summus sacerdos, quando ibat ad tabernaculum, ut intraret sancta sanctorum, portabat clavem super humerum suum ; sic Christus vadens ad tabernaculum sancti sanctorum, et volens illud nobis aperire, portavit clavem, scilicet crucem, super humerum. Bajulatio crucis præfigurata fuit in Isaac filio Abrahæ. Isaac enim ligna propriis humeris ferebat, in quibus eum pater suus immolare volebat ; sic Christus propriis humeris crucem bajulabat, in qua ipsum gens Judæorum suspendere affectabat. Isaac ad obediendum patri se voluntarium exhibuit ; sic Filius Dei Patri suo cœlesti usque ad mortem obedivit. Duo autem populi Jesum ad interficiendum eduxerunt, videlicet Judæi qui corde, et Gentiles qui opere hoc fecerunt ; isti olim per duos exploratores præfigurati erant, qui botrum de terra promissionis ad desertum afferebant : per botrum præfigurabatur Filius Dei Jesus Christus, qui per hos duos populos, de Jerusalem in locum Calvariæ est ductus ; per botrum illum probabant filii Israel terræ promissionis bonitatem, per doctrinam autem Christi possumus considerare patriæ cœlestis suavitatem.

32 Christus ad supplicium extra civitatem trahitur, triplici turba eum sequente. — Eduxerunt autem eum extra civitatem : quorum enim animalium sanguis inferebatur in sancta sanctorum, horum corpora educebantur extra castra, cum cremabantur et immolabantur. Bajulans vero crucem Dominus, per hoc nos inducit ad sui sequelam, sicut ante dixerat monendo ad eam : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Sicut enim Christus auctor vitæ, sententia mortis super eum data, crucem sibi bajulans, confestim ad locum supplicii foras educitur, tamquam malefactor, qui hujus mundi vita indignus æstimatur ; sic verus Christi imitator semetipsum abneget crucem suam tollendo, et extra castra secum improperia illius portando tamquam purgamentum hujus mundi factus ; semperque mortificationem Jesu in corpore suo circumferat, ut et vita Jesu in corpore suo tandem manifesta fiat. Et nota quod hæc tria, scilicet : quia *exuerunt eum chlamyde* seu veste regia, *et induerunt eum vestimentis suis, et duxerunt eum ut crucifigerent,* figurativa sunt Passionis in corpore mystico, scilicet Ecclesia, maxime temporibus Antichristi. Exutio regiæ vestis est spoliatio terrenæ potestatis ; induitio propriæ vestis est reversio pristinæ paupertatis ; ductio ad crucifigendum est violentia persecutionis finalis. Cum igitur Christus, Pilato imperante, præcone clamante, bajulans sibi crucem traheretur ad supplicium ; tunc eum ducendo et accelerando, et opprobriis saturando, factus est magnus concursus populorum post ipsum euntium : alii super ipsum plangebant, alii illudentes irridebant, alii lutum et immunditias in caput et in faciem ejus projiciebant. Sed ipse quasi agnus innocens, et sicut ovis coram tondente se, inclinato capite incedens, ad omnia tacebat, quoniam scriptum est : *Tamquam ovis ad occisionem, et quasi agnus ad immolandum ductus est, et non aperuit os suum.* Et sequebatur eum triplex turba : prima carnificum, quæ eum premebat ; secunda Judæorum, quæ eum irridebat ; tertia amicorum, quæ anxie lugebat ; et insuper quarta illorum qui ad videndum spectaculum veniebant. Unde non eadem mente sequebantur : sed quidam, ut læti morientem aspicerent, quem viventem oderunt ; alii, ut morientem plangerent, quem viventem dilexerunt. Ductus est autem cum sociis duobus utique latronibus, per medium urbis,

ubi ejus confusio patebat singulis ad ostia et fores confluentibus; hæc est societas sua. O bone Jesu, quantum tibi verecundiam isti faciunt : latronibus te associant; sed et deterius tibi faciunt, quia crucem portandam imponunt, quod de latronibus non legitur ; unde non solum cum iniquis deputatus es, sed et iniquorum iniquior. Indicibilis est, Domine, patientia tua. Hoc ad litteram procuratum fuit per principes Judæorum. ut Christus infamaretur societate latronum, et a vulgaribus videretur in criminibus eorum participasse; et sic ipsi viderentur juste mortem ejus procurasse. Sic et hodie frequenter maligni faciunt, qui suam nequitiam, per bonorum infamiam operire quærunt; per justitiæ etiam subversionem hodie in multis locis deputantur justi cum iniquis. Christus autem permisit hoc fieri, ut ostenderet quod pro peccatoribus vellet pati. Unde *Beda* : « Sed ille cum iniquis deputatus est in morte, ut iniquos justificaret in Resurrectione, qui, cum in forma Dei esset, propter nos homines homo factus est, ut hominibus potestatem daret filios Dei fieri : » hæc *Beda*. Occurre igitur nunc, anima mea, et vide amatorem tuum et Dominum, pro te crucem bajulantem, et ad patibulum properantem, atque tua crimina suis pœnis expiantem. Cerne eum, quomodo sub onere crucis curvus incedit, et vehementer anxius anhelat. Compatere ei quantum potes, in tot angustiis et ludibriorum renovationibus posito. Certe benefaceres, si juvares Dominum Deum tuum, et diceres : Date, obsecro, mihi crucem Domini mei, et ego portabo eam.

33 Mariæ occursus. — Quia vero mœsta Mater et mœrore confecta, propter multitudinem populi appropinquare ei non poterat, nec eum videre, ivit celeriter per aliam viam breviorem et compendiosam, cum sociabus suis et Joanne, ut alios præcedens valeret Filio suo approximare. Cum autem extra portam civitatis in concursu viarum eum haberet, cernens eum sic oneratum ligno tam grandi, obvium quod ante non viderat, semi-mortua facta est, et pene exanimata præ angustia, nec ei verbum dicere potuit, nec Dominus sibi, acceleratus ab his qui eum ducebant. O quam tristes et dolentes, quam clamantes et plorantes ibant mulieres sanctæ sustentantes Dominam nostram Matrem ejus, non valentem se sustentare vel sustinere ; imo dicitur in terram corruisse. Credo quod ipsa libenter crucem portasset, si potuisset; et quamvis non posset, libenter tamen accepisset. « Unde, ut ait *Anselmus*. hac voce, ut reor, sequebatur, dicens : Vadis, propitiator, solus ad immolandum pro omnibus. Non tibi occurrit Petrus qui dixit : Pro te moriar. Relinquit te et Thomas, qui ait : *Eamus et nos, ut moriamur cum eo*; et nullus de his nisi tu solus duceris, qui me castam conservasti, Filius meus et Deus meus. Verum hæc verba ex magnæ pietatis affectu producta. ita ad hoc memorasse sufficiat, ut ea oculus pietatis attendens, dum tantæ Matris gemebundis affectibus compatitur, fructui pii amoris illius aliquando remunerari mereatur : » hæc *Anselmus*.

34 Respectio Domini in filias Jerusalem, et verba tunc ab ipso prolata. — Ulterius autem Dominus procedens, parum post vertit se ad ipsas mulieres sequentes et flentes. Quia enim *cognovit Dominus qui sunt ejus*, prætermissa furentis populi turba, ad amantes et plangentes se feminas, oculos et ora convertit ; suos enim Dominus libenter respicit. *Conversus autem ad illas Jesus* dixit : *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me*, nec lamentemini me moriturum, cujus cito resurrectio mortem solvere potest, cujus mors et omnem mortem, et ipsum mortis auctorem destruet. Non enim oportet flere eum qui propria patitur sponte, sed magis ei applaudere. Ubi, cum filias Jerusalem appellat, datur intelligi quod non solum mulieres de Galilæa eum secutæ sunt; sed etiam aliquæ mulieres ejusdem urbis per devotionem ei adhæserunt. Typum gerebant istæ mulieres eorum, qui aliis compatiuntur et miserentur, sed non sibi; aliorum peccata deplorant et accusant, sed de suis moribus

non curant; contra quod dicitur in Ecclesiastico : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Non ergo prohibet Dominus compassionem, sed prædicit aliam luctus causam, unde subjungitur : *Sed super vos ipsas flete, et super filios vestros*, et super imminenti excidio urbis et gentis vestræ ; vosque ipsas et vestram progeniem dignis lacrymarum fletibus abluite, ne in ultionem meæ mortis damnemini etiam cum perfidis. Secundum sensum litteralem, fletus ad quem induxit Christus mulieres, fuit propter miseriam per Romanos super Judæos venturam ; et illa miseria figura fuit miseriæ super incredulos per spiritus malignos venturæ, cujus evasione flendum est, et orandum ante terminum hujus vitæ. *Quoniam ecce venient dies*, scilicet quadragesimo anno post Passionem Christi, *in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non* lactaverunt , quia agiliores erunt ad fugiendum, quam gravidæ, et pro se solum anxiæ. In die quoque judicii parentes dicent filiis se esse damnatos, propter amorem nimium filiorum; et, e converso, filii dicent se esse damnatos propter amorem et sequelam parentum. *Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus, operite nos*, quia aliqui præ horrore miseriæ tunc dicebant : Utinam montes caderent super nos, et colles operirent nos! Similiter in die judicii hoc dicent reprobi optantes abscondi a facie Domini. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?* Christus hic dicitur lignum viride faciens fructum, et per consequens indignum abscissione per mortem ; viride etiam lignum et fructiferum sunt justi et electi ; sed aridum, infructiferum, peccatores et impii. Si ergo in viridi ligno, id est in Christo omnium virtutum virore virenti, hæc faciunt, id est tot tormenta inferunt; in arido, id est in populo Judaico et peccatore ab omni honore gratiæ destituto et arefacto, quid fiet? Certe gravius punientur. Quasi omnibus diceret : Si ego, qui peccatum non feci, et fructuosus sum, sine igne passionis de mundo non exeo, quæ tormenta manent peccatoribus et impiis, qui fructibus sunt vacui? Certe, Domine Jesu, verum est, quia si tu arbor sancta, lignum vitæ fructuosum et benedictum, tanta pateris, et ramis tuis spoliaris, quid erit de nobis miseris, qui sumus lignum infructuosum et siccum, aptum pro igne et gehennæ incendiis? Si ergo incipit judicium de domo Dei, *et omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur*, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio et impie vivunt? Unde ait *Augustinus* : « Si hinc sine flagello non exivit, qui huc sine peccato venit, quomodo flagellis digni non sunt, qui huc cum peccato venerunt? » Unde et *Gregorius* : « Quoties mortem Salvatoris attendo, et patientiam Job et mortem Joannis Baptistæ considero, dico tibi, o peccator : hinc considera, quid passuri sunt illi quos reprobat, si tanta passi sunt quos amat? » hæc *Gregorius*. Bonum esset de his cogitare, ut cogitatio tantæ angustiæ nobis timorem incuteret ; et timor incussus a nobis peccatum perpetratum expelleret, vel a perpetrando arceret, exemplo *Hieronymi* dicentis : « Sive comedam, sive bibam sive aliquid aliud faciam, semper videtur auribus meis insonare illa vox terribilis : Surgite mortui, venite ad judicium. » — In prædictis duobus locis, quæ modo sunt in ipsa civitate, sed extra ecclesiam sepulchri, scilicet : ubi Christus obviavit Matri, et ubi se vertit ad mulieres, adhuc, ut dicitur, apparent vestigia ecclesiarum, quæ ibi factæ erant in horum memoriam.

35 Cur Simon Cyrenæus crucem portare cogatur? — Cum ergo Dominus ulterius processisset, et ita fatigatus ac fractus, et ex afflictione præcedenti debilitatus esset, quod lento gradu incederet et amplius crucem portare non posset, deposuit eam, ut aliquantulum pausaret et respiraret. Illi autem pessimi nolentes differre mortem ejus, timentes ne Pilatus sententiam revocaret, quia voluntatem dimittendi eum ostenderat, *invenerunt prætereuntem hominem Simonem Cyrenæum*, sic dictum a Cyrene civitate

Lybiæ, *patrem Alexandri et Rufi*, discipulorum Domini, *de villa venientem*, et ad civitatem eundo eis occurrentem, *et angariaverunt*, *ut tolleret crucem ejus*, scilicet Jesus, post eum, usque ad crucifixionis locum. Hoc autem non fecerunt ex compassione ad Christum, sed ut citius duceretur ad crucifigendum ; item, ut ostenderent eum esse hominem fatigatum et infirmum, et sic non crederetur Dei Filius. Ut autem ait *Chrysostomus*, nullus aliorum acceptabat crucem bajulare, eo quod lignum detestabile putabatur, et ideo Simoni Cyrenæo, quasi in quamdam jacturam imposuerunt crucem portandam, quam alii recusabant. Qui portavit eam corporaliter et invite, non spiritualiter et voluntarie: tum quia hoc erat turpe; tum quia forsitan erat Jesu discipulus, licet occultus. Et, ut dicit *Hieronymus*, nomen istius Simonis hic exprimitur, ratione filiorum suorum, qui erant Christi discipuli. Crucem diu portare non poterat Jesus, quia ex afflictionibus præcedentibus fatigatus erat ; et ideo Judæi crucem Simoni portare post Jesum imponebant. In quo docemur, quod quilibet debet crucem pœnitentiæ, quamdiu potest, portare; sed, cum ulterius non potest, tunc placet Christo quod alius pro eo portet. Iste Simon, secundum quosdam, non fuit Jerosolymita, sed peregrinus et advena, quia fuerat Gentilis, et factus fuit proselytus. Et licet ipsi tamquam contemptibili imposuerunt crucem Domini Jesu, hoc tamen non vacat a mysterio. Significabat enim quod Gentilitas ab ipsis humeris immediate crucem susceptura ad redemptionem erat; quæ tenebras ignorantiæ et idololatriæ exstirparet, quod Alexander interpretatur ; et totam Ecclesiam de Gentibus sanguine suo decoraret, quod significat Rufus ; et per omnia mœrorem Gentium, per obedientiam deponeret, quod interpretatur Simon ; et heredes regni faceret, quod interpretatur Cyrenæus ; et crucem Christi in altum per pœnitentiam extolleret, quod sustollere crucem Christi significat ; et ad hoc compellerent Judæi, per hoc quod verbum crucis rejecerunt, quod significat angaria. Ipse ergo Christus primus passionem crucis sustinuit ; et postmodum alii, et maxime advenæ Gentiles, eum imitando. Sapientia enim divina ordinavit, ut ipse Dominus crucem primo portaret, et portando nobis portandam præberet. Unde *Hilarius :* « Indignus enim Judæus erat Christi crucem ferre, quia fidei Gentilium erat in reliquum, et crucem accipere, et compati. » Unde et *Glossa* : « Ecce non Hebræus, sed alienigena et peregrinus opprobrio Christi subditur, ut plenitudo sacramentorum transire a Judæis ad Gentes ostendatur. Simon quippe *obediens* interpretatur, Cyrenæus *heres*. Unde bene per eum designantur Christiani ex Gentibus conversi, qui quondam peregrini erant testamentorum Dei ; sed nunc credendo et obediendo divinis mandatis, facti sunt *cives Sanctorum et domestici Dei*, sicque *heredes quidem Dei*, *coheredes autem Christi :* » hæc *Glossa*. De villa ergo Simon egrediens crucem portat post Jesum, cum populus nationum, paganis ritibus derelictis, vestigia Dominicæ Passionis obedienter amplectitur. Villa enim Græce πάγος vocatur, a qua pagani nomen traxerunt; unde paganos appellamus eos, quos a civitate Dei alienos videmus. Unde *Theophilus :* « Ille tollit crucem suam, qui venit a villa, id est qui dimittit hunc mundum et opera ejus, in Jerusalem, id est in supernam civitatem tendens : » hæc *Theophilus*.

56 Documenta duo ex bajulatione crucis, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo bajulationis crucis sumuntur duo documenta. Primum est, quod nos Christiani crucem portare debemus post Jesum, quia *Christus passus est pro nobis*, *vobis relinquens exemplum*, *ut sequamini vestigia ejus*. Unde ait *Glossa* : « Prior Dominus crucem portat, qui prior passus est; postea imposita est Simoni Cyrenæo, post Christum portanda, quia debemus sequi vestigia ejus. » Et ideo, ut dicit *Ambrosius*, non præcessit Simon, sed sequebatur. Hinc Dominus in Evangelio : *Si quis*

*vult post me venire, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me;* ubi tria innuit necessaria, portanti crucem post Jesum, videlicet : quod portet eam voluntarie, et non angariatus, sicut Simon iste, unde dicit : *Si quis vult,* etc.; item, quod portet crucem suam, scilicet propriam, non sicut iste Simon alienam, unde dicit : *Crucem suam;* item, quod portet crucem, non pro inani, sed pro Dei gloria, unde dicit : *Et sequatur me.* « Notandum autem, ut dicit *Augustinus*, quod crux Domini non tantum illa dicitur, quæ tempore Passionis Christi, ligni affixione construitur; sed et illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. Intelligendum ergo crucem, non ligni patibulum; sed vitæ virtutisque propositum. Tota igitur vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux atque martyrium est : » hæc *Augustinus.* Et ista est crux, quæ quotidie est portanda. Hanc autem quidam portant voluntarie, ut viri perfecti, imitatores Christi; quidam invite, sicut qui cum murmure et coacti alicui se districtioni subjiciunt, vel bonum faciunt. Quidam etiam portant crucem alienam, non suam, sicut qui abstinentiam et districtionem Sanctorum prædicant, sed in se non servant; vel, qui sub regula arctissima se militare gloriantur, sed per ejus observantiam non mortificantur. Quidam insuper crucem portant, sed Christum non sequuntur, ut qui pro laude humana laborant, sed adhuc Dei dilectione non trahuntur; unde et sicut Simon crucem portant, sed non moriuntur, quia corpus quidem per laborem affligunt, sed per desiderium gloriæ mundo vivunt. Primi figurantur in Domino, et faciunt pœnitentiam meritoriam; alii figurantur in Simone, et hi faciunt pœnitentiam, sed non meritoriam. Unde *Bernardus* : « Væ semel, væ iterum crucem portantibus, et non sequentibus Christum; væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed ad angariam sicut Cyrenæus alienam! Si crucem portas cum Crucifixo, cur non morieris mundo? » hæc *Bernardus.* Sponte igitur et Christi amore crucem tuam porta post Jesum quotidie, et semper oculum mentis in eum dirige, et levius portabis quæcumque pateris. Unde *Augustinus* : « Quantumcumque propinat nobis præsentis temporis tribulatio, parva patimur, si recordamur quis pro nobis iverit ad crucis patibulum, qui nos invitat ad gloriam. » Cave etiam ne umquam crucem Christo fabrices, vel dorso ejus imponas. Crucem enim Christi ad crucifigendum ipsum perhibetur carpentare, qui ad perpetrandum mala conatur consilium et auxilium præstare; et dorso Christi crucem bajulandam imponit, qui peccatum suum divinæ ordinationi attribuit. — Secundum documentum est, secundum *Theophilum*, quod qui ad modum Christi magister est, debet ipse primo tollere crucem, et timore Dei propriam carnem crucifigere; et sic subditis et obedientibus salutari eam angaria imponere. — Ad conformandum se huic articulo, rememoretur homo quanta caritate Christus crucem portavit, et quanti ponderis illa crux fuerit, cui omnia peccata mundi imposita erant; quæ omnia Agnus immolandus in humeris suis portavit. Poterit etiam homo per imaginem recolere, quasi et ipse portet crucem post Jesum, et cum Jesu instar Simonis Cyrenæi; vel alias prout devotio ministrabit : *Jesu, qui crucem tuam propriis humeris bajulare voluisti, fac me crucem arctioris continentiæ sponte apprehendere, eamque post te quotidie bajulare.*

37 QUATUOR SUNT CRUCEM PORTANTES. — Et hic nota, quod quatuor portaverunt crucem etiam materialem, scilibet : latro sinister, qui significat impœnitentes, qui de cruce præsentis pœnalitatis transeunt ad crucem æternæ calamitatis; latro dexter, qui significat vere pœnitentes; Simon, qui significat de pœnitentia murmurantes; Christus, qui significat innocentes, aliorum peccata portantes. Primi sustinent pœnam, sed non faciunt pœnitentiam; secundi faciunt pœnitentiam meritoriam atque propriam; tertii faciunt pœnitentiam, sed non meritoriam; quarti faciunt pœnitentiam non propriam, sed meritoriam. Pri-

mo itaque Jesus quamdiu potuit crucem suam bajulavit; postea imposita est Simoni congruo ordine mysterii.

38 Ductio Christi ad Calvariæ locum, documenta tria ex ea, actus conformationis et oratio. — *Et illum*, id est Jesum sic exoneratum, sed ut latronem funiculis ligatum, *perducunt in Golgotha locum*, *quod est interpretatum Calvariæ locus*, ad crucifigendum, clamantes et post ipsum vociferantes. Et ista ductio fuit exprobrosior et pœnosior inter omnes de quibus dictum est supra, pluribus de causis : primo, ratione ignominiæ, quia valde ignominiosum est duci ad patibulum; secundo, ratione societatis : *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur*, quod specialiter factum est, ad majorem suam confusionem et verecundiam, ut non videretur distinctio inter Christum et alios nequam ; tertio, ratione multiplicis comitivæ et turbæ, quæ eum sequebantur, sed non una eademque mente ; quarto, ratione loci ad quem deduxerunt eum, qui horrorem præstabat pariter et fœtorem. — Ex isto articulo deductionis in Golgotha ad crucifigendum tria trahuntur documenta. — Primum est, quod sicut Christus voluntarie ductus est ad patibulum, tamquam ovis ad victimam ; sic et nos voluntarie ducamur ad obedientiam mandatorum Dei, et prælatorum vice Dei, qua propria voluntas mactatur. — Secundum est, quod nos sequi debemus Christum euntem ad locum suæ Passionis, super nosipsos flentes cum mulieribus miseriam nostræ fragilis conditionis, quia, ut dicit *Theophilus*, mens infirma, quæ significatur per feminam, si, sumpta cordis contritione, per pœnitentiam flet, sequitur Christum. Unde hanc processionem plangentium et lugentium post Dominum repræsentamus, quando processiones et litanias pro aliquibus imminentibus periculis facimus, sequentes crucem quæ ante processionem bajulatur. Quasi dicamus : *Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes* ; et sic juxta mandatum Domini plangimus super nos et super filios nostros. Similitudinem ergo processionis illius amarissimæ, quam Christus condemnatus fecit, dum ad locum Passionis educeretur explendo, animo dolenti conqueraris Crucifixo, quod affectum tam fervidum ad suam Passionem prout dignum est, non habeas, nec hactenus habuisti. — Tertium est, quod peregrini pro pœnitentia, et religiosi pro obedientia per vias euntes, si aliquando lassantur, rememorari debent istius itineris Christi, quo ad patibulum ducebatur; quoniam ita lassus fuit, quod crucem per se amplius ferre nequivit, nimirum cum per totam noctem et diem illam multipliciter fatigatus fuerit. Si igitur Salvator noster tantam lassitudinem cum tanta ignominia pro nobis sufferre est dignatus, cur et nos propter eum modicum laborem viæ, et cum nostro honore non sustinemus? — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo, cum quanta ignominia Dominus noster ducebatur ad patibulum pro nostra magna gloria, et fleat cum sanctis mulieribus fundendo lacrymas saltem cordis, et sic oret : *Jesu, qui ad crucifigendum in Golgotha duci voluisti, deduc me in semitam mandatorum tuorum, ut cum sanctis mulieribus tuæ sequar vias Passionis, et super meipsum fleam miseriam propriæ conditionis.*

39 Quanta passus est Christus, antequam crucifigeretur. — Vides itaque quomodo hæc quæ in hora Completorii, Matutinali, Prima et Tertia passus est Dominus, absque aliqua crucifixione, vehementissimi et amarissimi doloris sunt et horroris valde stupendi. Cum enim in manus impiorum devolutus esset morte turpissima consummandus, parum erat sacrilegis illis crucifigere eum, nisi prius doloribus et illusionibus animam ejus replevissent.

### ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora diei tertia pro nobis flagellari voluisti, libera me ab æternæ iræ flagellis, quæ merui ; per sacratissimi capitis tui punctiones punge mentem meam, ut noxias delectationes vitare prævaleam, et da mihi post pœnitentiam pertingere ad coronam. Qui etiam multipliciter derisus, tandem sententialiter condemnatus es ad mortem, fac me evadere diabolicam derisionem et mortem æternam. Partasti tibi crucem, Domine : da mihi tollere crucem meam, et sequi te, meam utique, quæ scilicet debetur peccatis meis, meam etiam spontaneam et devotam, ut per hanc perveniam ad gloriam. Amen.

## CAPUT LXIII

### DE SEXTA, IN PASSIONE DOMINI.

Matthæi cap. XXVII, Marci cap. XV, Lucæ cap. XXIII et Joannis cap. XIX.

1 Cur mors Christi turpissima, et quare eam extra civitatem pati voluerit ? — Hora sexta cogitabis dolens et tristis, quomodo Dominus Jesus, præcone clamante, et vituperabiliter ductus extra portam Jerusalem, pervenit ad locum Calvariæ, utique fœtidum, Hebraice Golgotha dictum, et Latine decollationis interpretatum ; ubi malefactores puniebantur, et ubi publicum erat patibulum. Est autem calvaria testa capitis, pilis et pelle denudata ; et quia ibi decollabantur et suspendebantur rei, et sparsa erant multa ossa corporum humanorum, et maxime capitum, ideo dicebatur locus Calvariæ, seu Calvariarum. Et idcirco Jesus pro omnium salute in loco peccatorum est passus : ut ostenderetur pati pro pecccatoribus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla Martyrum, et ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia Dei ; et in hoc ostenderetur, quod per tolerantiam supplicii pervenitur ad coronam martyrii. Ibi Christus decalvatur, id est a carne sua, scilicet carnali Judæa, separatur. Et sic patet mortis Christi turpitudo : ex conditione loci, quia in loco ubi puniebantur malefactores et rei ; et ex modo mortis, quia crucifixio erat turpissimum genus mortis ; et ex ratione societatis, quia inter duos malefactores, quasi noxius, crucifixus est, per quod Judæi intendebant inducere suspicionem populo, quod Jesus esset particeps, et principalis in ipsorum malefactis : vilificare enim eum intendebant in omnibus. Crux vero, quæ tunc erat supplicium latronum et multæ ignominiæ, nunc a locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum, et est immensæ gloriæ. Tempus etiam Passionis Christi erat tempus solemne, et ideo tempus gaudii atque misericordiæ ; et per consequens major fuit dolor tantam crudelitatem et afflictionem tali tempore sustinere. Extra autem civitatem passus Dominus est propter duo. Primo, ut ostenderet virtutem Passionis suæ non esse includendam intra terminos gentis Judaicæ. Unde *Chrysostomus* : « Non autem voluit Dominus pati sub tecto, non in templo Judaico, ne putares pro illa tantum plebe oblatum ; et ideo foras civitatem, foras muros, ut scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio,

quod communis est purificatio. » — Secundo, ut ostendat, quod quicumque sequi volunt Passionis fructum, debent hunc exire mundum, saltem per affectum. Quia ergo Christus *extra portam passus est*, sequamur eum, et *exeamus ad eum, extra castra* et mundanam conversationem, *improperium ipsius* et pœnam *portantes*. Unde ait *Bernardus :* « Christus extra portam passus est, ad quem egrediamur mundanæ conversationis contemptu, quod est egredi de civitate hujus mundi, et hoc tribus modis : affectu, ut mundum non diligamus ; effectu, ut eum mente et corpore funditus deseramus ; profectu, ut cum Domino spiritus unus fieri anhelemus. » Quia, ut ait *Gregorius :* « Tanto quis Deo est proximus, quanto ab amore mundi est alienus. »

2 Mons Calvariæ et ecclesia ibi ædificata. — Hic locus, seu mons Calvariæ sanctus, magnam inter loca sancta obtinet dignitatem, et maximam, ob memoriam Dominicæ Passionis habet compunctionis virtutem ; in quo Dominus noster magna et stupenda operari dignatus est, quibus ad memoriam reductis, cor contritum et humiliatum compungitur, et quasi torculari passionis lacrymæ compassionis exprimuntur. De hoc ergo monte seu loco, et his quæ ibi fiebant, debes sæpe et maxime in tentationibus recordari ; et quando tibi exstinctus est ignis devotionis, perge illuc, et collige de lignis crucis, et per hæc ignem hujuscemodi iterum suscitabis. Mons autem Calvariæ, in quo crucifixus est Dominus, prope quem, ad quinquaginta passus, est sepulchrum ejus, erat extra civitatem, ad Aquilonem. Dominus enim passus et sepultus est extra portam ; quem montem et locum sepulturæ Domini Ælius Imperator Adrianus inclusit intra urbem, amplians eam versus Aquilonem et a capite usque ad pedes muro cingens eamdem. In quo loco postea Christiani ecclesias duas, sub uno tamen tecto, construxerunt ; montemque Calvariæ et locum sepulturæ, et multa sacra loca intra eas concluserunt. A monte enim Calvariæ versus Occidentem descendendo, ad duas cannas est Golgotha sive Calvaria, ubi est ecclesia oblonga, in qua apparet rupis illa, in qua crux sancta, cum portaret Dominum, erat fixa, patente adhuc foramine in rupe ipsa ; qui locus crucis Dominicæ distat tribus cannis, vel circa, scilicet sedecim gradibus a superficie terræ, hoc est a pavimento ecclesiæ. Est etiam ibi alia grandis scissura per totam petram, quæ testimonium perhibet per suam scissuram, sanguinem sui Fabricatoris se sustinere nequaquam potuisse ; ipsa vero petra altior est quam pavimentum, usque ad genua circumstantium. Deinde ad quinquaginta passus, vel circa, est sepulchrum Domini, ubi est ecclesia Sancti Sepulchri, seu Resurrectionis Dominicæ rotunda ; sed chorus protenditur in longum cum sanctuario, in quo est summum altare, et sustentatur duodecim columnis : sed utraque ecclesia, scilicet ista et Golgotha, uno tecto est tecta. Unde quidam hanc et illam unam dicunt esse, nominantes eam ecclesiam Sancti Sepulchri, seu Resurrectionis Dominicæ. Locus autem crucis Christi prædictus talis est, ut positus in medio terræ ad capessendem Dei cognitionem omnibus Gentibus esset æqualis ; unde super hunc locum scriptum est Græce : Hic Deus noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Tradunt autem Judæi, ut *Hieronymus* ait, quod in hoc loco montis immolatus est aries pro Isaac. Unde *Augustinus :* « Hieronymus presbyter scripsit ab antiquis et senioribus Judæis se certissime cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est. » Sub isto loco est locus carceris Christi, ubi stetit ligatus, quando præparabatur crux, in qua debebat affigi. Et nota quod Jerusalem civitas Dei summi, domina mundi, de qua dicta sunt et dicuntur gloriosa, sita est in declivi latere montis dupliciter : et ab Austro videlicet, et ab Occidente. Ab Austro quidem sita est in latere montis Sion, et inde descendit longitudo ejus contra Aquilonem ; et ab Occidente ha-

bet montem Sion, et dependet ab ipso ejus latitudo contra Orientem, usque ad torrentem Cedron, sive vallem Josaphat. Situs ergo civitatis ab Austro est elevatus, similiter per totum latus Occidentis ; et in parte Orientis omnino est demissus, ita ut sordes civitatis, tempore pluviæ, descendant per portam sterquilinii in torrentem Cedron.

3 Datur Christo vinum cum felle mixtum. — Nunc ergo conspice operarios malos undique nequiter operari. Intuere diligenter singula, quæ fiunt contra Dominum tuum, et quæ dicuntur ; et quæ fiunt ab ipso, et per ipsum, et his toto mentis intuitui exhibe te præsentem. Videas igitur oculis mentis alios cum vidissent eum fatigatum, sibi adhuc irridere : *Et dabant ei bibere vinum myrrhatum*, sive *cum felle mixtum*, in hoc etiam interiora dulcissimi Domini amaricare volentes, et suam amaritudinem declarantes. *Et* hoc vinum myrrhatum, secundum Matthæum, *cum gustasset, noluit bibere*, quia, ut dicit *Chrysostomus*, nihil distat simpliciter gustare, et non bibere ; sed unum quidem et idem significant. *Et*, secundum Marcum, *non accepit,* id est non bibit, vel non scilicet perfecte ut biberet; quod enim gustamus non accipimus, quia non trajicimus illud in corpus, sed statim rejicimus. Aliquid ergo accepit ad gustandum modicum, ut quod scriptum erat impleretur, scilicet : *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto ;* et quia illud quod modicum est, quasi nihil reputatur, ideo hoc dicitur quod *non accepit*, scilicet ad perfecte bibendum, quia felleam amaritudinem hominibus dulcis et rectus Dominus numquam acceptavit. Vel, *cum gustasset*, id est ori apposuisset, *noluit bibere*, propter duo : primo, ut ostenderetur iniquitas talem potum propinantium ; secundo, ut significaretur velocitas Resurrectionis ipsius. Unde *Gregorius* : « Gustavit vinum, sed noluit bibere, quia mortis amaritudinem, quam gustaturus erat momentaneam et cito in dulcedinem convertandam significabat ; tertia enim die resurrecturus erat. » Unde et *Hieronymus* : « Hoc aceto succus lethalis pomi abstergitur; et non accepit id pro quo patitur, unde de eo dicitur : *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* » Vinum myrrhatum Domino propinat, qui hæreses sub pallio veritatis docet ; acetum autem cum felle mixtum Domino propinat, qui de male acquisitis Domino sacrificat. Hoc etiam facit, qui membra ejus amaritudinibus affligit. Et universaliter vinum myrrhatum, vel cum felle mixtum, est bonum opus cum culpa factum, quia sicut modicum myrrhæ, vel fellis, bonum vinum corrumpit; sic modicum culpæ mortalis totum bonum opus destruit.

4 Spoliatio Christi ante crucem, documenta ex ea, actus conformationis et oratio. Videas et alios quæque ad hoc opus necessaria disponere, et alios ipsum spoliare. Spoliatur itaque suis vestibus, et ad puduris tumultum etiam femoralibus, ut ventis et frigori exponatur nudus. Spoliatur autem cum maximo dolore, et renovantur in eo fracturæ ; quia vestis interior, propter sanguinem flagellationis fortiter corpori adhærebat. Et tunc corpus ejus, tam eleganter formatum, apparuit totum cruentatum et livoribus repletum. In hoc etiam, apparuit Passionis ejus ignominia, quod nudus est crucifixus; quia hoc non fit nisi personis abjectis et vilibus. O quantus dolor erat tibi, Mater sanctissima, cum oculis tuis aspiceres ista ! Nunc enim primo conspiciens Mater sua Filium sic vulneratum et dispositum, dolore mentis nimio affligitur. Tristatur autem supra modum, quia eum videt sic nudatum. Accelerat igitur Mater, et Filio suo approximat, ac velo capitis sui eum cingit et velat. O in quanta amaritudine est nunc anima sua ! Non credo quod verbum facere potuisset. Differt autem iste articulus exspoliationis ab articulo exutionis in flagellatione ; quia ibi exuebatur in prætorio coram Præside et suis ministris, hic autem in publico coram omni populo ; item, ibi exuebatur reinduendus, hic autem numquam

reinduendus; et ideo signanter ibi dictum est, quod *exuerunt eum*, hic autem dicitur quod *exspoliaverunt eum*, quasi numquam amplius vestes rehabiturum. — Ex hoc articulo documenta possunt accipi, sicut ex illo. Item, est documentum, quod nos debemus nudari ab omnibus rebus et actibus mundanis, saluti nostræ contrariis, ut, secundum *Hieronymum*, nudam crucem nudi sequamur. Item, est documentum, quod si quem Christianum contingat a prædonibus vestibus suis spoliari, recordetur et Christum a suis crucifixoribus spoliatum; et erit sibi materia patientiæ. — Ad conformandum se huic articulo, rememoretur homo substantiam actus articuli, et oret, dicendo : *Jesu, qui ante crucem vestibus exspoliari et nudari voluisti, fac me ab omnibus mundanis rebus, in quantum contra salutem meam sunt, denudari, quatenus nudum crucifixum et nudam crucem nudus sequar.*

5 Extensio Christi in cruce, documenta duo ex ea, actus conformationis et oratio. — Deinde eripitur furibunde Filius de manibus Matris dolorosæ non sine magnis doloribus, gemitibus, et suspiriis; et ducitur ad mortem crucis. Et nudus super lignum crucis, quæ in terra erat posita, dire projectus, crudeliter expansus et tractus, strictissime in modum pellis hinc inde est extensus. Dicitur enim, quod foramina fecerunt prius in cruce, et quia brachia et pedes Christi non poterant foramina attingere, ideo ligatis funibus in brachiis et pedibus tantum traxerunt, ac dulces manus et pedes ita atrociter extenderunt, quod omnes juncturæ ossium dinumerari potuerunt, juxta illud Psalmistæ : *Dinumeraverunt omnia ossa mea*, id est dinumerabilia fecerunt ; ubi, secundum *Augustinum*, ad litteram describitur extensio corporis Christi in ligno, nec poterat melius describi hujus extensio. Hæc autem extensio multum pœnosa fuit, et maximum dolorem Christo intulit. Unde legitur, quod cum quædam devota persona, in quadam revelatione interrogaret a Domino, quid in omnibus, quæ pro nobis pertulit, maxime doluisset, respondit : Quod in cruce extensus fui, ita quod omnia ossa mea dinumerari poterant; et quicumque pro illo dolore mihi gratias egerit, ita gratum obsequium mihi præstabit, ac si omnia vulnera mea unguento suavissimo deliniret. — Ex isto articulo extensionis in cruce sumuntur duo documenta. Primum est, quod et nos omnia membra et organa corporis nostri extendere debemus in obsequium Christi : manus videlicet et brachia ad operationem, pedes ad ambulationem, genua ad adorationem, omnes quoque sensus ad suorum actuum sanctam et castam exercitationem, ut possimus dicere cum Psalmista : *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?* Unde *Cassianus* in collationibus Patrum docet, quod religiosæ et devotæ personæ debent omnium membrorum suorum primitias Domino offerre. Mox enim ut a somno excitati de lectulo surrexerint, debent primo oris et linguæ motu orando laudes Deo offerre ; et priusquam membra aliquo suo fungantur officio, circa curam rei familiaris, debent ea ad divina obsequia extendere : caput et faciem cum omnibus sensibus ad cœlum levando, manus ad Deum in oratione elevando, brachia in modum crucis expandendo, genua ad orationem incurvando, totum corpus nunc stando, nunc in terram ad veniam prosternendo, cum reverenti et honesta omnium membrorum, et virium totius corporis extensione, et spiritualium virium intentione in sacrificium justitiæ Deo offerendo. — Secundum documentum est, quod cordis oculis aspiciamus Salvatorem nostrum in cruce expansis manibus extensum, quasi paratum nos recipere ad amorosum amplexum suum. Unde *Augustinus* : « Christus extendit brachia sua in cruce, et expandit manus suas paratas in amplexus peccatorum. » Inter brachia Salvatoris mei, et vivere volo et mori cupio; ibi securus decantabo : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.* — Ad

conformandum se huic articulo, poterit homo brachia et omnia membra sua, sive stando, sive procumbendo in modum crucis, etiam corporaliter, et vires spirituales intentionaliter ad laudem Dei extendere, rememorando illos amorosos amplexus extensionis Christi cum *Augustino* et sic orare : *Jesu, qui in cruce extendi voluisti ita atrociter, ut omnia ossa tua possent dinumerari, fac me omnia membra viresque corporis et animæ meæ ad laudem tuam extendere, et ad amorosos amplexus tuos dulciter aspirare.*

6 Crucifixio Christi, documentum ex ea et oratio. — Ipse autem Dominus noster non solum dignatus est in cruce extendi; sed et voluit cruce affigi, ut commendaret nobis indissolubilem caritatem suam, qua salutem nostram firmavit. Extensis ergo nervis et venis, ac protensis ossibus et juncturis violenta extensione, affixus est cruci, manibus et pedibus durissime perforatis et sauciatis, cum clavis grossis et durissimis, cutem et carnem, nervos et venas, atque compages ossium dissipantibus; quorum stimulis excita et tu manus et pedes tuos ad omne bonum opus. Quoniam enim primus homo ad lignum prævaricationis manus extendendo, et pedibus accedendo, damnationis nostræ chirographum diabolo confecerat : ideo Jesus Salvator noster, ut chirographum illud deleret, manibus et pedibus ligno salutiferæ crucis affigi voluit clavis invictissimæ caritatis : *Delens* per hoc *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci.* O quam libenter crucem Dominus ascendit, et quanto amore omnia pro nobis sustulit! O quanta patientia obedivit, et quantum Pater in ipsius obedientia delectatus fuit! O quantæ voces ac tristes ululatus et gemitus ibi ab amicis suis, et præcipue a Matre sua mœstissima audiuntur, cum sic crudeliter extenditur, clavatur, et foditur, et toto corpore dissipatur! O stupor, o pietatis abyssus, o caritatis incendium, o mira circa nos tuæ pietatis dignatio, o inæstimabilis dilectio caritatis! Sed cave ne tu clavos crucis Christi fabrices, vel manus aut pedes Domini eis vulneres, aut configas. Clavos enim crucis Christi fabricat, qui inter proximos discordias seminat. Manus vero Domini videtur clavis vulnerare et configere, qui de bonis a Deo datis non vult eleemosynas erogare. Pedes autem Christi clavis ferreis perforat, qui theatra seu spectacula et tabernas magis quam ecclesias visitat. — Ex hoc enim articulo crucifixionis trahitur documentum, quod et nos crucifigere debemus carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis; ut simus fixi clavis, id est præceptis justitiæ, sicut Christus clavis confixus fuit in ligno crucis. Sic fecit ipse Apostolus, qui dicebat : *Christo confixus sum cruci*, id est crux Christi exstinxit in me ardorem peccati, timore Dei, quasi clavis affixas habens carnes. Et hoc est quod orat Propheta : *Confige clavis a timore tuo carnes meas*, secundum translationem, qua utitur Augustinus. — Ad conformandum se huic articulo, memoretur homo continentiam ejus, et sic oret : *Jesu, qui durissimis clavis cruci affigi voluisti, ac per hoc chirographum peccatorum nostrorum et mortis eidem cruci affixisti, confige, quæso, timore tuo carnes meas, ut præceptis tuis firmi er inhærens, semper tibi confixus sim cruci.*

7 Levatio crucis, documentum ex ea, actus conformationis et oratio. — Cum ergo crucifixio facta esset, cruce in terra jacente, postea Christum affixum levaverunt cum cruce. Et hoc videtur sentire *Hieronymus*, et in quadam oratione expresse hoc dicit *Innocentius* Papa III. Et hoc forte repræsentat Ecclesia, in eo quod in die Parasceves crux deosculanda jacet ad terram appodiata. Ista autem levatio non dubium, quin maximi doloris fuerit, eo quod tunc lacerata sunt vulnera manuum et pedum ex ponderositate corporis, profluxeruntque copiosi rivi sanguinis undique, ex illis magnis scissuris et fontibus Salvatoris. In alto autem, secundum *Augustinum*, elevari, et non sub tecto pati Dominus voluit, ut etiam na-

tura ipsius aeris mundaretur, scilicet a dæmonibus et ab infectione peccatorum, sed et terra per sanguinem decurrentem similiter mundabatur; et, secundum *Theophilum*, ut sanctificaret aerem, qui sanctificaverat terram ambulando in ea; et, secundum *Chrysostomum*, ut a dæmonibus expiaret aerem, et ascensum nobis pararet in cœlum. Ideo etiam Christus sic elevari voluit, ut in cruce pendens in aere, se inter Deum et hominem mediatorem ostenderet, et per Passionem crucis, cujus cum elevata fuerit una pars ad cœlum, altera vero in terram respicit, humanam naturam ad consortium Angelorum revocaret. Unde *Anselmus:* « Mediator Dei et hominum, inter cœlum et terram medius pendens, ima superis unit, cœlestibus terrena conjungit. » — Ex hoc articulo levationis in cruce habetur documentum, quod nos Passionem Domini recolentes debemus exaltari a terra, id est a terrenis affectibus; vel etiam a terrena conversatione, saltem quoad mentalem abstractionem : ut sic vel a terra sursum trahamur ad Christum in cruce pendentem, quatenus simus de illorum numero, de quibus ipse pollicens, dixerat : *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* — Ad conformandum se huic articulo, poterit homo ex devotione sua, mentem sursum erigere, quasi Christo coram eo pendente in cruce; et poterit hoc etiam aliquo gestu corporis repræsentare, et sic orare : *Jesu, qui in cruce levari, et sic a terra exaltari voluisti, fac me, quæso, a terrenis affectibus sublevari, et mente in cœlestibus conversari.*

8 Dolores Christi pendentis in cruce. — O quam male provisum fuit Jesu in sua minutione; fuit enim in sua minutione usque ad sudorem calefactus, firmiter ligatus, profunde vulneratus; sed male procuratus. In tribus namque providetur minutis, scilicet : in alimoniæ recreatione, in quieta pausatione, et in luminis absconsione. Sed dulcis Jesus pro recreatione habuit fel atque acetum; pro quiete, vexationem corporis et afflictionem animæ; pro luminis temperatione, splendorem meridianum. Hic siste, anima mea, hic siste, Christi sanguine redempta : ecce Abel occisus a fratre; ecce Isaac ligatus a patre; ecce serpens æneus in deserto exaltatus a Moyse; ecce agnus, immolatus in Lege; ecce Deus, occisus ab homine; ecce Jesus, crucifixus in carne; ecce Rex tuus, suspensus in cruce; ecce Dominus tuus, condemnatus ad mortem; ecce homo mitis et innocens, involutus sanguine; ecce homo vita tua, quasi pendens ante te. Fixis in illa vulnera oculis, interna pietate considera illud corpus tenerum, corpus illud innocens, corpus immaculatum, gravi crucis extensione graviter laceratum. Attende et vide, si est dolor sicut dolor ejus. Et licet non ignores quid boni illa Passio conferat mundo, si tamen qua sunt in te pietatis, si qua caritatis, si qua compassionis viscera, pietatis affectu compatere et emitte lacrymas, clama et dic :

*Flecte ramos arbor alta*
*Tensa laxa viscera*
*Et rigor lentescat ille,*
*Quem dedit nativitas :*
*Ut superni membra Regis*
*Miti tendas stipite.*

Sic enim crucifixus est Dominus Jesus, et sic in cruce extensus, quod dinumerari possent omnia ossa ejus, et sic angustiatus undique quod se movere non posset, nisi in capite. In hora enim et in tempore illo flebili spatiosa terræ latitudo sibi defecerat, ita ut non haberet ubi caput miseriis fessum reclinaret, sed inclinatum dependebat. Clavi ferrei sustinent totum pondus totius corporis ejus; dolores acerrimos tolerat, et ultra quam dici vel cogitari possit, affligitur. Vide cum quanto labore et dolore Dominus stat in cruce, et non tædeat te in servitio suo stare; quia, ut ait *Petrus Damianus*, quo laboriosius in conspectu supernæ majestatis se conspicientis quis assistit, eo suavius dulcedinem intimæ quietis acquirit; quantoque difficilius sui corporis gravedinem tolerat, tanto copiosius eum ad Dei meritum levat. Stat etiam Dominus nudus cor-


pore, ac vento et frigori expositus; sed est vestitus amore, et amoris calore inflammatus a planta pedis usque ad verticem. A læva, in dextram, intus et exterius cruciatus, crux quippe a cruciatu dicitur : ubi dolores acerrimi exagitant; ubi diu vivitur, et mors ipsa protenditur, ne dolor citius finiatur quod genus mortis in tantum durissimum atque turpissimum apud Judæos erat, ut non solum ipse vituperabilis esset quem crucifigi contigisset, sed etiam, tota domus ejus, domus crucifixi appellaretur.

9 Cur mortem crucis elegerit Dominus? — Ut ergo Dominus a turpissima et durissima morte nos liberaret, non solum durissima, sed etiam turpissima morte se condemnari permisit; et ut maledictionem quam incurrebamus supportaret, maledictam mortem, scilicet crucis, suscepit, secundum illud : *Maledictus qui pendet in ligno.* Unde Apostolus ait : *Factus maledictum, nos de Legis maledicto redemit.* Unde et *Augustinus* : « Illa morte nihil pejus fuit. Inter omnia genera mortis, elegit extremum et pessimum genus mortis; qui omnium fuerat ablaturus mortem, de morte pessima occidit omnem mortem : » hæc *Augustinus.* Hanc autem crucifixionem Christi Isaias præfiguravit, quem gens Judaica serra lignea per medium secavit. Judæi enim cum serra lignea Christum per medium diviserunt, quia animam et corpus ejus, per crucem, ab invicem separaverunt. Congrue autem Dominus tale genus Passionis elegit, quod primæ prævaricationis reatum absolveret : ut, qui per lignum vetitum cecideramus, per lignum sanctæ crucis resurgeremus; et qui per lignum prævaricationis mortui jacebamus, per lignum reconciliationis, ad vitam revocaremur. In cruce ergo Christus mori, et sic genus humanum salvare voluit, ut morbo convenienter medela responderet : *Ut* videlicet, sicut canit Ecclesia, *unde mors oriebatur, inde vita resurgeret*; *et* diabolus *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Christum,* etc... Per lignum enim prævaricationis, mors inducta fuerat; et necessarium erat, ut per lignum Passionis pelleretur, et de ligno crucis et cruciatus, lignum concupiscentiæ excluderetur; et ut Dominus per ligni dolores invictus transiens, delectationes ex ligno provenientes confutaret. Expandit ergo in cruce immaculatas manus, pro manibus incontinenter extensis : pro suavi cibo arboris vetitæ escam fellis accepit; et in se suscipiens mortem, nostram mortalitatem abstulit. Unde *Bernardus* : « Quid commisisti, dulcissime puer? Quid fecisti, amantissime juvenis? Quæ tua noxa, quæ tua causa damnationis? Ego certe tui sum causa doloris : quod perpetravit servus, Dominus solvit; quod commisit injustus, solvit justus. O Nate Dei, quo tua descendit humilitas, qui factus es obediens pro me Deo usque ad mortem, mortem autem crucis. Me ad illicita traxit concupiscentia, te pro me sancta caritas traxit ad crucem. Ego pomum accepi, tu clavis laniaris. Ego pomi dulcedinem, tu amaritudinem fellis gustas. Mihi misero congaudet Eva, tibi crucifixo plorans compatitur Maria : » hæc *Bernardus.* Quis det mihi, ut totus totaliter carne et spiritu transfigar, crucisque affigar patibulo cum dilecto, ut nec aliquid sentiam nisi Jesum et hunc crucifixum et clamabo toto corde : *Quis mihi det, ut ego pro te moriar, Deus meus? Dulcis mihi lectus sit illud lignum crucis tuæ, Domine, ut ego pro te moriar, in quo dulciter requiescam. Manus tuæ, quæ me fecerunt, expositæ sunt clavorum aculeis; placeat tibi ut non extendam ultra ad iniquitatem manus meas, sed per sanguinem, qui de manuum tuarum plagis exivit, purifica manus et opera mea, ut sine ira et immunditia levem eas ad te, et ad opera pietatis. Sana, Domine, vulnera conscientiæ meæ, quæ inflixi mihi, manibus propriis, in operibus voluptatum. Beatos pedes tuos, quorum scabellum terra est, ligno crucis passus es clavis affigi durissimis; per hoc te obsecro, Domine, dele errata pedum meorum, et perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea, sed semper sint stabiles in opere sancto.*

10 Tituli scriptio, mysterium et convenientia. — *Scripsit autem et,* in

quadam charta tabulæ affixa *titulum Pilatus, et posuit* tabulam cum cavilla *super crucem*, ut eminentius appareret; et in titulo causam mortis ejus, *et erat scriptum : Jesus*, in quo exprimitur proprium nomen ejus, *Nazarenus*, quoad patriam, quia ibi fuit nutritus, *Rex Judæorum*, in quo exprimitur causa mortis ipsius. Quasi diceret : Ideo crucifixus est, quia erat Rex Judæorum. Mos enim erat Romanorum, super lignum crucis ponere causam mortis crucifixorum. Ipse autem accusatus fuerat, quod sibi regnum Judæorum usurpare volebat. Pro hac ergo causa Judæi eum Pilato tradiderant; et Pilatus eum ad mortem condemnaverat. Et quia Judæi contra voluntatem Pilati petierunt Christum crucifigi, ideo volens se vindicare de eis, per talem modum scripsit titulum, ut redundaret in verecundiam ipsorum. Unde *Chrysostomus :* « Sicut in trophæo litteræ ponuntur victoriam ostendentes; ita Pilatus titulum cruci Christi inscripsit : simul quidem pro Christo respondens, ut eum a communione latronum discerneret; simul autem et de Judæis ulciscens, ostendens scilicet ipsorum malitiam, dum in suum regem insurrexerunt. » Secundum *Theophilum*, Judæi procurabant scribi titulum, et intendebant per hunc illusorie vituperare opinionem ejus, qui regem faciebat seipsum, ut sic prætereuntes sui misereri non valerent, sed magis ei tamquam tyranno improperarent; sed Pilatus non scripsit sicut volebant. Unde et *Hieronymus :* « Judæi illudentes, et irridentes hoc fecerunt; sed in intentione Pilati aliud fuit. » Operabatur enim, secundum *Glossam*, divina vis in corde nescientis. Divinitus namque, secundum *Remigium*, hoc procuratum fuit, ut talis titulus super caput ejus poneretur, ut per hoc Judæi agnoscerent, quod eum occidendo nihilominus Regem haberent. Unde et *Beda :* « In quo monstrabatur jam nunc regnum ipsius, non ut ipsi putabant destructum, sed potius augmentatum. Titulus enim positus super crucem ejus illud ostendit, quia nec etiam occidendo efficere potuerunt, ut eum Regem non haberent, qui eis secundum opera sua redditurus est. » Hæc autem tria verba, scilicet : *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum*, satis conveniunt ad crucis mysterium : nam hoc quod dicit *Jesus*, quod interpretatur *Salvator*, convenit ad virtutem crucis, per quam facta est nobis salus; hoc vero quod dicit *Nazarenus*, quod interpretatur *floridus*, pertinet ad patientis innocentiam, qui est flos qui de radice Jesse ascendit; sed hoc quod dicit *Rex Judæorum*, pertinet ad patientis potestatem et dominium, quod ex Passione promeruit, quia propter hoc, Deus exaltavit illum. Sed licet ipse per crucem sit non solum Rex Judæorum, sed et Gentium; scripsit tamen Rex Judæorum tantum, quia ipsi Gentiles conversi ad fidem spiritualiter Judæi dicuntur, id est *confitentes*, non circumcisione corporis, sed Christi; et ideo per hoc quod dicitur Rex Judæorum, intelliguntur etiam Gentiles conversi. Ut autem dicit *Beda*, pulchre titulus, qui Christum Regem testetur, non infra, sed supra crucem ponitur; quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super crucem tamen Regis majestate fulgebat. Unde et *Ambrosius :* « Merito autem supra crucem ponitur titulus, quia non humani corporis, sed divinæ potestatis est regnum, quod habet Christus : » hæc *Ambrosius*.

11 Cur in tribus linguis scriptus fuerit titulus? — Scripsit autem Pilatustitulum illum non in una lingua, sed in tribsu linguis famosis, scilicet : *Erat scriptum Hebraice, Græce, et Latine*, et in qualibet lingua integre; ut diversarum linguarum homines, qui ad diem festum convenerant, legere et intelligere possent causam mortis ipsius; *et* ut *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est* Rex regum, et Dominus dominantium, *in gloria Dei Patris*; et ut omnis lingua commemoret perfidiam Judæorum; et ad ostendendum ipsum pati pro populo omnis linguæ, et eis dominari in perpetuum. Cujus signum est, quod Pilatus titulum delere noluit, vel mutare, licet Judæi hoc peterent; quia videbant quod in verecundiam eorum



redundabat, eo modo quo ipse scripsit. Unde *Pontifices Judæorum*, volentes titulum corrigere, *dicebant Pilato : Noli scribere, Rex Judæorum; sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum.* Nam in hoc quod ponit : Rex Judæorum, ostenditur Christi præconium, et Judæorum opprobrium, quia contumeliosum erat Judæis quod crucifigi fecerunt regem suum; sed si poneretur : *Quia dixit : Rex sum Judæorum*, hoc redundaret in Christi opprobrium, et indicaret ejus culpam ; et hoc ipsi intendebant, ut scilicet crucifixi famam auferrent, qui jam vivo vitam abstulerant. *Pilatus* vero magis confirmans, *respondit : Quod scripsi, scripsi*, id est immobiliter et indelebiliter scripsi. Quasi diceret : Hoc est verum quod scripsi, ideo non mutabo; non corrumpo veritatem, etsi vos diligitis falsitatem. Iteratio verbi confirmatio est tituli et regni Christi. Immobilitas tituli immobile regnum significat Christi. Fuit autem, secundum *Augustinum*, titulus iste immutabilis : non quia Pilatus scripsit; sed quia Veritas ipsa dixit : *Rex*, inquit, *sum Judæorum.* Unde exclamat idem *Augustinus:* « O ineffabilem vim divinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium ! Nonne occulta quædam vox Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tacito ante in Psalmorum litteris prophetatum est : *Ne corrumpas tituli inscriptionem?* Ideo enim Pilatus quod scripsit, scripsit; quia Dominus quod dixit, dixit : » hæc *Augustinus*. Commendavit autem eum Pilatus, licet, nesciens, in hoc titulo a tribus : mors enim Christi, causa erat remissionis culpæ, quia *Jesus;* collationis gratiæ, quia *Nazarenus;* adeptionis gloriæ, quia *Rex Judæorum*, in quo omnes erimus reges. Tres vero linguæ prædictæ ad principatum in crucis titulo sunt consecratæ, quia illæ præ ceteris eminebant et principales erant : Hebræa, propter religionem, et Judæos in Lege Dei gloriantes; Græca, propter sapientiam et Gentium sapientes; Latina vero, propter potentiam, et Romanos multis ac pene omnibus, jam tunc Gentibus imperantes. Ac si diceretur : Hic est Rex totius religionis, totius sapientiæ, totiusque potentiæ. Hæc ergo tres gentes, ut ait *Augustinus*, sibi dignitatem in cruce Christi vendicant; in quo signatur, quod per crucem Christi subjugari et converti deberent : devoti et religiosi, qui signantur per linguam Hebraicam; sapientes, qui per Græcam ; et potentes, qui per Latinam. Velint nolint ergo Judæi, diversæ linguæ, omne mundi regnum, omnis mundana sapientia, omnia divinæ Legis sacramenta testantur, quia Jesus Rex est Judæorum, hoc est Imperator credentium et confitentium Deum.

12 Per titulum crucis ostenditur Christi triumphus, documentum ex eo et oratio. — Est etiam notandum, secundum *Hieronymum*, quod triplex distinguitur titulus : memorialis, quando scilicet aliqua scribuntur ad memoriam facti, maxime mortuorum, sic fit inscriptio super sepulchra eorum; præconialis, qui scilicet inscribitur in præconium et laudem vivorum, sic fit in portis domorum vel civitatum, quando res actu describitur; triumphalis, qui scilicet continet causam et ordinem alicujus triumphi, et talis ut hic titulus, de quo nunc dicitur. Post victum enim diabolum, super caput ejus fuit scriptum : Hic est *Rex Judæorum*, scilicet corde circumcisorum, spiritu, non littera; et per hoc quod etiam in morte dicitur, *Rex Judæorum*, ostenditur quod nec in morte perdidit regnum Judæorum, sed magis acquisivit verorum scilicet Judæorum, ipsum corde, ore et opere confitentium. — Ex isto articulo superscriptionis tituli, habetur documentum, quod quandocumque impugnamur a dæmone, opponamus sibi titulum istum : Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Qui ideo titulus triumphalis dicitur, quia triumphum Christi contra diabolum evidenter exprimit. Quod sentiens diabolus mox affixo titulo cruci, Judæos instigavit, ut a Pilato tituli mutationem peterent; sed Pilatus, divino instinctu in hoc facto motus, immutabilem esse titulum asseruit. In omni ergo impugnatione diabolica, Christianus hunc titulum in corde et ore, vel etiam in scripto ge-

rat; quia inter omnia arma Passionis Dominicæ, diabolus hunc triumphalem titulum maxime perhorrescit, prout ipsemet diabolus cuidam personæ devotæ in visione quadam exactus asseruit. — Ad conformandum se huic articulo, qui illusorius fuit ex intentione Judæorum, attendat homo documentum, et sic oret : O, *Jesu, qui tituli triumphalis superscriptione illusorie diffamari voluisti, da mihi sub eodem titulo tuo sic strenue militare, ut trophæo tuo hostis perterritus mihi non audeat propinquare.*

13 Forma crucis ejusque explicatio in sensu mystico. — Ad litteram nota, quod crux non habebat aliquid super lignum transversum, habens tria brachia ad similitudinem litteræ T; sed loco quarti brachii, Pilatus superposuit cavillam et tabulam, similiter ad modum *Tau* ei affixam, et in tabula scriptus erat titulus. Creditur autem crux Domini quindecim pedes habuisse in altum et tabula superposita pedem et dimidium. Dicuntur quoque in cruce Domini fuisse quatuor ligna diversa, et generum diversorum, scilicet : stipes sive truncus in rupe defossus, cui crux erat infixa, qui de cedro; patus, sive lignum erectum, qui de cypresso; transversale, sive lignum transversum, quod de palma; tabula superposita, quæ de oliva : unde est iste versus :

*Ligna crucis palma, cedrus, cypressus, [oliva.*

Signat autem cedrus altitudinem contemplationis; cypressus, famam bonæ opinionis; palma, fructum justitiæ; oliva, lenitatem misericordiæ. Crux vero quadripartita quadrifariam partem mundi designat; nam si recte jacendo in terra projiciatur, alia pars ejus ad Orientem, alia ad Occidentem, alia ad Meridiem, alia ad Septemtrionem respicit. Cum ergo Dominus hujus genus mortis sustinere voluit, ostendit, quia quadrifidum mundum salvaturus erat, et ex quatuor mundi partibus electos ad suam fidem collecturus erat; et quod virtus Passionis et crucifixionis suæ ad has plagas mundi per crucem expandi debebat. Sic etiam tale genus mortis sustinere voluit, ut ostenderet pro quibus restaurandis patiebatur, scilicet : pro supernis Angelorum ruinis replendis, pro justis de limbo educendis, pro amicis colligendis et adunandis, ac pro inimicis reconciliandis : primum, designatur per brachium superius; secundum, per inferius; tertium, per dexteram; quartum vero, per sinistram. Et, secundum *Chrysostomum,* in cruce etiam expansis manibus moritur Christus : ut altera quidem manu veterem populum; altera eos qui sunt ex Gentibus trahat, utrosque sibi conjungens.

14 Moralis sacrosanctæ crucis figuræ descriptio. — Moralem vero sacrosanctæ crucis figuram describit Apostolus, ubi dicit : *In caritate radicati et fundati estote, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo et latitudo, altitudo et profundum*; *cognoscere etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi.* Ubi ostenditur quod hi qui carnem suam cum vitiis, et concupiscentiis crucifigunt, latitudinem debent habere in bona operatione; longitudinem, in bona perseverantia; altitudinem, in spe cœlestium præmiorum; profundum, in cautela inscrutabilium judiciorum Dei. Secundum *Augustinum* enim, in latitudine crucis, bona opera in latitudine caritatis facta significantur, quia caritatis opera sunt generaliter extendenda : et hoc est in ligno transverso, quo extenduntur manus propter operum significationem, per manus enim opera intelligimus; per latitudinem vero hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias. In longitudine, perseverantia boni operis, et sanctæ conversationis, quæ in tota longitudine temporis est habenda usque in finem : et hoc est in ligno a transverso usque in terram, ubi corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere, hoc est et longanimiter permanere. In altitudine, spes cœlestium præmiorum et intentio recta, qua in Deum tamquam in finem ultimum, cuncta bona opera referuntur : et hoc ab ipso ligno transverso

sursum versusque ad caput eminet, propter exspectationem supernorum, ne illa opera bona atque in eis perseverantia, propter temporalia Dei beneficia, credantur facienda, sed potius propter sempiterna speranda. In profundo inscrutabilia judicia Dei, unde ista gratia Dei in homines venit : et hoc est in illa parte ligni, quæ terræ abdito defixa latet; sed inde consurgit illud quod eminet, quia cuncta eis apparentia et eminentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac judicari non potest universa procedunt, quia ex occulta Dei voluntate vocatur ad participationem tantæ gratiæ, alius homo sic, alius autem sic. Supereminentem vero scientiæ caritatem Christi, eam profecto dicit, ubi pax illa est, quæ exsuperat omnem intellectum. Hoc autem mysterium explicans sic ait *Bernardus* : « Christus in cruce patientiam exhibet, obedientiam implet, humilitatem commendat et caritatem perficit. His ergo quatuor virtutum gemmis, quatuor brachia crucis decorantur. Supereminens est caritas; a dextris, obedientia ; a sinistris, patientia; in profundo, radix omnium virtutum, humilitas : » hæc *Bernardus*. In quatuor etiam brachiis crucis, notantur quatuor inter præcipua crucis beneficia : signat enim pars superior januæ cœlestis apertionem; inferior, inferni destructionem ; a dextris, gratiæ collationem; a sinistris, peccatorum remissionem.

15 Latronum crucifixio, documentum ex ea et oratio. — *Tunc crucifixi sunt cum eo* Jesu scilicet *duo latrones*, propter scelera damnati ; *unus a dextris*, qui in fine pœnituit, et *unus a sinistris*, qui in pertinacia permansit; et Jesus in medio, qui mediator ad reconciliandum fuit. Sed, quantum ad intentionem Judæorum, hoc factum est ei, ad ignominiam et opprobrium, ut scilicet causa mortis ejus, similis judicaretur causæ mortis latronum, ac particeps in malefactis eorum videretur, et eorum societate infamaretur. Sed si ad mysterium attendatur, hoc ad claritatem Christi pertinet, nam per hoc ostenditur, quod per Passionem suam merebatur judiciariam potestatem. Medium enim tenere proprie pertinet ad judicem. Unde dicit *Chrysostomus* : « Pariter crucifigunt latrones, non tamquam inimici latronum, participes enim erant sceleris eorum ; sed ut infamarent Dominum suum, quod non sine causa crucifixus est, sed quasi qui facinorosus inventus sit. » Unde et *Ambrosius* : « Quam exsecrabilis in facto iniquitas Judæorum, ut quasi latronem crucifigerent omnium Redemptorem ! Ipse vero hoc permisit, et cum peccatoribus voluit crucifigi, ut ostenderet se pro peccatoribus pati et mori ; et ut adimpleretur Scriptura Isaiæ, quæ diu ante dixerat : *Et cum sceleratis reputatus est*. Cum iniquis ergo reputatus est in morte, ut iniquos vivificet in resurrectione : » hæc *Ambrosius*. Pendet ergo Dominus inter duos latrones, quasi dux et magister criminum in medio locatus. In hoc autem mysterium finalis judicii designatur, quando veniet Filius hominis, et judicandos statuet : hos, scilicet agnos, a dextris; et alios, scilicet hœdos, a sinistris. Unde *Hieronymus* : « Cum iniquis Veritas deputata, unum reliquit sinistrum, alterum assumpsit dextrum, sicut in die judicii faciet. Confessio brevis vitam acquisivit longam, et blasphemia finita pœna plectitur æterna. » Unde et *Augustinus* : « Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit. In medio enim Judice constituto, unus latro qui credidit, liberatus est; qui insultavit, damnatus est. Jam significabat, quid facturus est de vivis et mortuis: alios positurus est ad dexteram; alios ad sinistram. Judicabatur, et judicium minabatur : » hæc *Augustinus*. — Ex hoc articulo crucifixionis latronum cum Christo trahitur documentum, quod et nos cum Christo crucifigi debemus in medio latronum. Nam sicut ibi sunt tres crucifixi : duo latrones, et medius Jesus; sic in nobis moraliter crucifigenda sunt tria, scilicet : caro et mundus, qui per duos latrones, et spiritus noster, qui per

Jesum designatur. Caro crucifigenda est, sicut latro dexter, ut spiritui subjiciatur et ei consentiat, juxta illud Apostoli : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* Mundus crucifigendus est sicut latro sinister, ut bono insultans relinquatur, juxta illud ejusdem Apostoli : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Istis latronibus in nobis crucifixis, spiritus in medio crucifigatur cum Christo, ut dicat cum Apostolo : *Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Est autem sciendum, quod latro sinister crucifixus quidem fuit, non tamen salvatus, sed permansit in perfidia sua; sic mundus, licet crucifigatur, remanet tamen in immunditia sua. Caro autem crucifixa salvatur cum spiritu, quia in resurrectione sua glorificabitur, unde latroni dextro dixit Jesus : *Hodie mecum eris in paradiso.* Ad majorem autem evidentiam prædictorum, sciendum est quod crux carnis est rigor disciplinæ, cujus quatuor sunt brachia, scilicet : vigilia, abstinentia, asperitas vestium et disciplinæ verberum. Crux autem, qua mundus crucifigitur, est paupertas spiritus, cujus etiam sunt quatuor brachia, scilicet : contemptus gloriæ, pecuniæ, patriæ et parentelæ. Crux vero spiritus est fervor devotionis, cujus similiter sunt quatuor brachia, scilicet : amor, spes, timor et dolor; spes sursum, timor deorsum, amor a dextris, dolor a sinistris. Radix autem, ex qua omnia hæc pullulant, est caritas, unde Apostolus : *In caritate radicati et fundati estote, ut possitis comprehendere, cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum;* ubi figuram crucis et ejus mysterium, secundum *Augustinum* et *Glossam*, aptissime exprimit Paulus Apostolus. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo quomodo Christus pendebat in medio latronum, et revolvat in mente documentum et oret : *Jesu, qui inter duos latrones crucifigi, et cum sceleratis reputari voluisti, da spiritum meum in medio carnis et mundi crucifigi, quatenus, extremis mihi crucifixis, in te medio conquiescam.*

16 Tunica Christi inconsutilis litteraliter et mystice. — Nec tamen Christo Domino sic angustiato a convitiis parcunt; sed, quod pœna pejus est, passum subsannant. Undique ergo pœnæ, undique opprobria, undique convitia. *Milites ergo* quidam, scilicet quatuor, *cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus,* excepta tunica; et juxta numerum personarum diviserunt sibi ea in præsentia sua, *et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem; et tunicam* superiorem similiter acceperunt circa partes prædictas, quam nisi scinderetur partiri non potuerunt; sed utiliter et commode scindi non potuit, quia *erat tunica inconsutilis,* id est sine sutura, *desuper contexta per totum,* et reticulato opere facta, qualibus indumentis pauperes in Palæstina uti consueverunt; et idcirco, ne scinderetur, ad unum eam integram pervenire sortione maluerunt : *Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Dicitur autem, quod ad modum chirothecarum seu birretorum, et quorumdam ciliciorum, quodam opere textili facta fuit; et quod beata Virgo propriis suis manibus eam fecerit; et quod cum Jesu crescente paulatim etiam creverit. Et *erat desuper contexta per totum*, quia, ut dicitur, ab extra per totum de panno aliquo erat appositum, ad eam fortificandum magis et conservandum. Unde, secundum *Chrysostomum*, hoc dicens Evangelista, occulte vestis vilitatem insinuat; nam in Palæstina est quoddam genus vestium, propter pauperes ex multis pannis contextum, quasi unus pannus super alium. Hoc autem factum est, *ut impleretur* consecutive, id est ad hoc, et ex hoc adimpletum est, *quod dictum est per Prophetam, dicentem* ex persona Christi : *Diviserunt sibi vestimenta mea,* scilicet alia a tunica; *et super vestem meam,* scilicet tunicam inconsutilem, *miserunt sortem.* Secundum *Augustinum*, quadripartita vestis Domini Jesu Christi quadripartitam figuravit ejus Eccle-

siam, toto orbe scilicet terrarum, qui quatuor partibus constat, diffusam, et in omnibus eis lem partibus æqualiter, id est concorditer distributam, ad quas virtus Crucifixi expanditur per quatuor partes crucis. Tunica vero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quæ caritatis vinculo continetur. Si enim caritas supereminet, et super omnia præcepta est; merito vestis, qua significatur, desuper contexta perhibetur. Et addidit, per totum, quia nemo ejus est expers, qui pertinere invenitur ad totum, a quo toto catholica vocatur Ecclesia. Inconsutilis autem dicitur, ne aliquando dissuatur; et ad unum pervenit, quia in unum omnes colligat; in sorte autem Dei gratia commendata est, quia, cum sors mittitur, non personæ cujus quam vel meritis, sed occulto judicio Dei in unitate fidei conceditur. Secundum *Hieronymum*, vestimenta Christi sunt, quibus tegitur corpus ejus, scilicet Ecclesia: quatuor milites quibus divisa sunt, quatuor genera hominum quibus data sunt præcepta, scilicet: conjugati, vidui, prælati, religiosi, seu continentes: hi omnes dicuntur milites, quia debent militare Christo, per obedientiæ perfectionem, non mundo, per temporalium amorem, neque diabolo, per peccatorum perpetrationem. Tunica inconsutilis et indivisa est unitas ecclesiastica usque in finem duratura. Sors quæ hanc tunicam uni assignat, non alteri, scilicet fideli, non infideli, est gratia Dei, quæ etiam hujus unitatis integritatem conservat. Christi ergo tunica partita non fuit; sed, heu! hodie, peccatis exigentibus, Christi tunica inconsutilis, scilicet Ecclesia militans, prave scinditur, dissuitur et sortitur! Quod Gentiles facere noluerunt, hoc, proh dolor! Christiani facere non verentur! Scindunt eam hæretici, contra ipsam diversas sententias inducendo; scindunt eam laici, affligendo; eamdemque inter se clerici sortiuntur, et cujus erit eam dolo et fraudibus partiuntur: unus dicit hic est, alius hic est. O Christi tunica, quam pessima est divisio tua! Vestimenta etiam Christi dividit et partitur, qui ecclesias spoliare, vel res proximorum distrahere præsumit.

17 Divisio vestimentorum Christi, documenta ex ea, actus conformationis et oratio. — Vides ergo quomodo vestes Christi dantur in prædam militibus sicut vestes interfectorum dari solent tortoribus. Ex quo duo docemur: primum, Passionis Christi ignominia, in hoc quod nudum eum crucifixerunt, quod non fit nisi vilibus personis; secundum, crucifigentium avaritia, quia vestes Christi, quamvis parum valerent, omnes tamen sibi rapuerunt. Unde *Chrysostomus*: « Dividunt vestimenta, quod in valde vilibus et abjectis condemnatis fit, et nihil aliud habentibus. Quasi enim in dehonoratum, et abjectum, et omnium vilissimum hoc ita audebant, in latronibus quippe nihil tale operati sunt, sed in Christo omnia ausi sunt. » Dicit etiam *Theophilus*, quod forsitan plures eorum egebant, vel forte magis ad opprobrium, et ex quadam lascivia hoc faciebant. Quasi subsannative dicerent: Quia iste dixit se regem, habeamus singuli aliquid de regalibus vestimentis ejus. Est autem miranda patientia et dispensatio misericordiæ Salvatoris, qui sicut agnus tondentem et occidentem se suo vellere vestit; ita se tondentes seu spoliantes et occidentes suo vestitu vestivit, ostendens quod nisi suis exemplis vestirentur, ignominiose nuditas eorum esset coram oculis Dei et Angelorum apparens. Ex isto articulo divisionis vestimentorum Christi plura habentur documenta. — Primum est, quod libenter debemus participare exempla Sanctorum, quæ per vestimenta Domini signantur. Item est documentum, secundum *Hieronymum*, quod observantia mandatorum Dei, quæ etiam per vestimenta signantur, est dividenda inter Christianos secundum diversos hominum status. — Secundum documentum est, quod bonum est dividere reliquias Sanctorum, pro devotione, ad eorum honorem ampliandum. Quod enim isti milites pagani fecerunt Christo in opprobrium

et derisionem, hoc boni Christiani convertere debent ad Christi et Sanctorum præconium et honorem ; sicut multos ritus paganicos Christiani convertunt ad cultum Dei. — Tertium documentum est, quod caritas, quæ, secundum *Augustinum*, significatur per tunicam inconsutilem, dividi non potest, cum ipsa ceteras virtutes connectat. Item, quod nemo debet schismate dissuere unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, quæ in unum omnes colligit, quæ etiam per tunicam inconsutilem significatur. Propter quod etiam, secundum *Chrysostomum,* non caput Christo amputatur ut Joanni, neque sectus est ut Isaias, ut corpus integrum et indivisibile morti servet, et non fiat occasio volentibus Ecclesiam dividere. — Ad conformandum se huic articulo, imaginetur homo exempla Christi et Sanctorum quasi quædam pretiosa vestimenta, quæ participare quantum possumus, studeamus, et sic oret : *Jesu, qui vestimenta tua inter crucifixores tuos dividi, super tunicam autem tuam inconsutilem sortem mitti voluisti, da mihi Sanctorum tuorum exempla cum mandatorum observantia participare, et caritatem Ecclesiæque unitatem semper integram conservare.*

18 Illudentibus Christum in cruce quinam similes ? — *Et sedentes* juxta crucem *servabant* seu observabant *eum*, quando exspiraret, et ne evaderet, vel ne aliquis eum de cruce vivum deponeret. Et sic volebant suam impotentiam ostendere, ac si impeditus a custodibus non posset se juvare. Ubi *Hieronymus* : « Diligentia militum et sacerdotum nobis proficit, ut major et apertior resurgentis virtus appareat. » Illudebatur quippe et deridebatur in cruce a pluribus, et diversis vicibus. Unde nota in serie litteræ quatuor differentias illudentium Christo in cruce : prima est sedentium, qui eum observabant; secunda prætereuntium, qui eum blasphemabant ; tertia, stantium sacerdotum et seniorum; quarta, pendentium latronum. Per hos significantur quatuor genera hominum, virtutem ejus abnegantium : in sedentibus, deliciosi et accidiosi, qui deliciis carnis intendunt ; in prætereuntibus, cupidi et avari, qui prætereuntia sequuntur, et viam justitiæ prætergrediuntur; in stantibus, superbi et elati, qui stant per appetitum excellentiæ ; in pendentibus, impatientes et querulosi de adversitate. Quibusdam ergo sedentibus et eum observantibus, alii *prætereuntes* juxta, per viam, hoc est vulgares homines circa locum crucis transeuntes et concurrentes, *blasphemabant eum, moventes capita sua* in signum irrisionis, *et dicentes,* improperando : *Vah,* quod est interjectio insultantis, seu deridentis et subsannantis, *qui destruis templum Dei,* sicut dixisti, *et in triduo illud reædificas*, virtute tua, quæ apparet nunc tamen infirma. Repetunt dicta falsorum testium, et eis concordant qui sibi imponebant quod hoc dixerat, sed hoc falsum erat.

19 Cur Dominus de cruce non descenderit ? — *Salvum fac temetipsum,* virtute quam de te prædicasti in potestate reædificandi templum, *descendens de cruce*, qui promittebas te in triduo templum reædificare. Et iterum dicebant : *Si Filius Dei es, descende de cruce*, id est si potes, amove dolores quos sustines. Quasi dicerent : Non potes, ex quo falsitas tua patet; sed *mentita est iniquitas sibi*, plus enim fecit de sepulchro resurgendo, quam fecisset de cruce descendendo. Unde *Gregorius* :« Si tunc de cruce descendisset, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstrasset. Sed exspectavit paululum, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulitque admirationem. Et qui de cruce descendere noluit, de sepulchro resurrexit. Plus igitur fuit de sepulchro resurgere, quam de cruce descendere; plus fuit mortem resurgendo destruere, quam vitam descendendo servare. » Vide etiam, secundum *Chrysostomum,* in verbis istis vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus dicebat : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum;* et Judæi dicunt :

*Si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis,* id est Legisperitis, *et senioribus,* id est judicibus ordinariis, *dicebant, ad alterutrum* irridendo : *Alios salvos fecit,* et utique tam spiritualiter quam corporaliter, *se salvum faciat,* id est semetipsum supplicio crucis eruat, *si hic est Christus,* id est Rex sive Messias, *Dei electus,* id est Dei Filius. Unde *Beda* : « Imo se salvum facere de cruce descendendo noluit, quia ipse est Christus Dei electus. Nam qui ideo venit, ut pro nobis crucifigeretur, ideo semetipsum salvare de cruce descendendo neglexit ; quia cum ceteris peccatoribus, etiam illos qui eum crucifixere, salvare moriendo curavit. » Et iterum dicebant : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Unde *Hieronymus* : « Etiam nolentes confitentur Scribæ et Pharisæi, quod alios salvos fecerit. » Itaque vestra vos condemnat sententia. Qui enim alios salvos fecit, utique, si vellet, et seipsum servare poterat. Et iterum dicebant : *Si rex Israel est,* non quicumque, sed Messias promissus in Lege, sicut ipse dicebat de se, *descendat nunc de cruce,* ut videamus scilicet virtutem ipsius, quia alii reges non possunt talia facere ; *et credimus ei,* sed mentiebantur, dicentes : *Credimus.* Unde dicit idem *Hieronymus* : « Fraudulenta promissio. Quid est enim plus de cruce viventem descendere, an de sepulchro mortuum resurgere ? Et resurrexit, et non creditis ei ; ergo etiamsi de cruce descenderit, similiter non credetis ei. Sed mihi videtur hoc dæmones immittere. Statim enim ut crucifixus est Dominus, senserunt virtutem crucis, et intellexerunt fractas esse vires suas ; et hoc agunt ut de cruce descendat, ne faceret salutem quam inchoaverat. Sed Dominus sciens adversariorum insidias, permanet in patibulo, ut diabolum destruat : » hæc *Hieronymus.*

20 Diabolus supra crucem stetisse fertur. — Tamen in Tobia super exenteratione piscis legitur dæmonem stetisse super brachium crucis, et considerasse an Christus aliquam maculam peccati haberet. Unde discipulis in cœna dicebat : *Venit enim princeps mundi hujus,* id est amatorum mundi, scilicet adversum me, *sed in me non habet quidquam,* quod ad se pertineat. Et quamvis peccatum non haberet, et ideo morti obnoxius non esset, mori tamen voluit, quia Pater hoc ei mandavit ; et ideo subjecit : *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,* scilicet pro hominibus moriendo. Considera modo quid in aliorum exitu dæmon facit, qui contra ipsum mundi Salvatorem et Dominum venire præsumpsit. Unde ait *Gregorius* : « Curandum nobis est, et cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam sævus, et quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus princeps hujus mundi veniat, si etiam ad Deum in carne morientem venit, et in illo aliquid quæsivit, in quo invenire nihil potuit. Prius vero eum in miraculis Deum cognoverat, sed de cognitione sua ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit : » hæc *Gregorius.* In cruce ergo tamquam in decipula, captus est diabolus et victus. Unde *Augustinus* : « Ipsa morte Christi est diabolus victus ; tamquam in muscipula escam accepit. Muscipula diaboli, crux Christi ; esca qua caperetur, mors Domini. »

21 Patientia Christi, dum deridetur, documentum ex istis illusionibus et oratio. — *Et* iterum *similiter principes sacerdotum illudentes dicebant : Confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum. Dixit enim : Quia Filius Dei sum.* Quasi dicerent : Si verum dicit, liberationem suam a Deo statim impetrabit, quia pater filios libenter liberat. *Illudebant autem ei et milites accedentes* prope crucem corpore, sed longe recedentes mente, *et acetum offerentes ei,* scilicet postea, quando dixit : Sitio, *et dicentes : Si tu es rex Judæorum,* sicut dixisti, *salvum te fac,* scilicet a morte liberando. O miseri ! Et Rex Judæorum, id est credentium in Deum eumque confitentium est, et se salvum faceret, de cruce descen-

dendo, si vellet. Miseri et cæci! Deberent supplicare : Salvos fac nos qui indigemus, non salvum te fac; cum ipse esset et salvus, et salus. Sed Dominus Jesus non acquievit, docens nos in tribulatione habere perseverantiam. Vide quomodo non Judæis suffecit et aliis, quod Christum crucifigerent, sed etiam crucifixum eum diversimode deriserunt. Ita multis non sufficit Christum crucifigere peccando, sed etiam derident crucifixum peccata iterando, vel de peccatis se jactando. Dominum etiam deridet et subsannat qui pro laude humana orat, vel eleemosynas dat, seu quodcumque bonum facit. — Ex hoc articulo illusionis crucifixi habetur documentum, quod nos quando fuerimus in sublimi contemplationis, vel sacræ actionis, aut sanctæ religionis positi, non debemus ad verba subsannantium descendere ad mundanas occupationes; sed potius sustinere perversorum subsannationes, sicut Christus ad Judæorum insultationem et tentativam exprobrationem de cruce descendere noluit, sed ibi usque ad mortem perseveravit. Unde dicebat vitis in libro Judicum: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter cetera ligna promoveri?* Similiter et oliva, et ficus dicebant; sic est in proposito. Cum autem tempus sit crucis, quamdiu exterior homo corrumpitur, ut per eam interior homo renovetur, et evacuetur corpus peccati : quidam tamen pro modica contumelia descendunt de cruce patientiæ; alii de cruce macerationis carnis et pœnitentiæ, pro lenticula rufa et cibo delectabili; alii de cruce compassionis, pro avaritia, claudentes viscera, cum vident proximum suum necessitatem habere; de cruce vero sanguinis et Martyrum non descendimus, quia nec eam ascendere volumus. Petitionem vero prædictam sæpe facit diabolus pœnitenti, scilicet ut descendat de cruce; quia homo cadit facilius descendendo, et ideo vult diabolus ut descendat de cruce pœnitentiæ eam deserendo : unde quidam novitius Parisiensis matri suæ volenti eum de religione extrahere, sic legitur respondisse : Christus propter Matrem suam non descendit de cruce, sic nec ego propter te deseram crucem pœnitentiæ. — Ad conformandum se huic articulo, rememoretur homo sensum documenti, et oret : *Jesu, qui in cruce positus exprobrabilibus verbis illudi voluisti, da mihi pro nulla diabolica vel humana suggestione de sublimi sanctæ religionis et conversationis descendere; sed in tui amoris amplexu fixum jugiter permanere.*

22 Dum blasphemat malus latro, convertitur bonus. — *Et* item, *latrones qui crucifixi erant cum eo,* illudendo *idipsum*, simile improperium, seu verba improperii præmissa *improperabant ei, et* blasphemantes *convitiabantur ei.* Secundum *Augustinum*, duo dicuntur pro uno, et pluralis pro singulari; vel, secundum *Hieronymum*, primo uterque blasphemavit, sed visis signis in elementis et rebus insensatis, unus in Christum credidit, et priorem negationem sequenti confessione emendavit. Unde dum *unus de his qui pendebant latronibus*, qui Judæos fidem respuentes signat, *blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus,* id est Rex, sive Messias, *salvum fac temetipsum et nos,* scilicet salute corporali et a morte liberando, non enim curabat de salute spirituali, vel animæ commodo; *respondens alter,* qui Gentiles fidem sequentes signat, *increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es*, scilicet mortis et pœna simili? Quasi diceret : Licet homines non timueris, tamen Deum timere deberes, maxime in articulo mortis in quo nunc es. *Et nos quidem juste* in hac damnatione sumus : *nam digna factis* supplicia, et secundum factorum nostrorum exigentiam *recipimus.* Ecce confitetur culpam, ut dicat : *Iniquitatem meam ego cognosco*; et ideo meretur misericordiam. Confitetur etiam Christi innocentiam, dicens : *Hic vero nihil mali gessit,* quia peccatum non fecit, et sine peccato conceptus fuit. Ubi quærit *Augustinus* : « Quis, inquit, illum docebat, nisi qui juxta illum pende-

bat? Erat enim illi fixus in latere, sed hærebat in corde. » Unde conversus *dicebat ad Jesum*, qui novit præcordia : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*. Manifeste patet, quod non loquebatur de regno temporali, sed æterno ; non de præsenti, sed futuro. Magna fides hujus latronis fuit : quia non timore Judæorum astantium, nec proprii doloris acerbitate, nec socii sui blasphematione, nec carnis Christi apparente infirmitate, nec Apostolorum fuga et negatione, retrahitur a veritatis seu veræ fidei confessione ; unde fuit ei remissio culpæ et totius pœnæ. Apparet quidem hic illius conversio quoad plurima. Primo, quoad profectum caritatis, quam vivaciter in morte sua tenuit, fratrem et conlatronem pro simili scelere morientem, de iniquitate sua redarguendo, et ei vitam, quam cognoverat, prædicando. Secundo, quoad fidei et veræ confessionis sinceritatem, eum quem secum pariter morientem vidit, Deum et Dominum regnaturum credendo, et publice prædicando. Tertio, quoad justitiæ et veritatis propalationem humiliter et verus pœnitens reatum suum fatendo, unde qui ficte confitetur, vel in confessione mentitur, Dominum cum sinistro latrone subsannare videtur. Quarto, quoad spei firmitatem regni Dei aditum et consortium postulando, nec propter peccatorum suorum magnitudinem vel multitudinem desperando. Iste latro de nullo nisi de corde et lingua se juvare poterat, quæ Deo totaliter offerre curavit : cor quidem in contritione et intima compassione, quia, secundum *Glossam*, plus videbatur affligi ex Christi compassione, quam ex sua propria passione, imo plus plangens Christi supplicium, quam suum proprium ; et linguam, ut dictum est, in veritatis confessione. Unde *Gregorius* : « In cruce clavi manus pedesque ligaverant, nihilque ei a pœnis in eo liberum nisi cor et lingua remanserat. Inspirante Deo, totum illud ei obtulit quod in se liberum invenit, ut juxta hoc quod scriptum est, corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem. » Unde et *Beda* : « Quis hujus latronis animum non miretur? Imo juvantis Domini gratiam, quis digne miretur ; digna gratiarum actione veneretur? Ille, qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant Apostoli eum, quem miracula viderant divina virtute facientem : » hæc *Beda*. Tu autem sic orare potes : *Obsecro te, Domine, da mihi primo cum latrone isto te cognoscere, et deinde sic te cognoscens me sicut vere peccatorem confiteri et magnificare te, qui sine culpa passus es justus pro injustis. Desiderem, quæso, Domine, petam et impetrem eisdem verbis cum eodem : Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.*

23 Quid mystice duo latrones? — Per istos duos latrones signantur illi qui pro peccatis suis expiandis, cum Christo crucifiguntur per professionem in religione factam ; sed aliqui revertuntur actu, etsi non habitu, ad secularem vitam, de quibus dicit Apostolus : *Nomen Dei blasphematur per vos inter Gentes*, quoniam scandalizant seculares, et isti signantur per latronem blasphemantem ; alii vero professi crucem pœnitentiæ sustinent devote, per patientiam, et isti signantur per latronem Christum confitentem. Unde ait *Beda* : « Mystice, latrones qui cum Domino hinc inde sunt crucifixi, significant eos qui sub fide et confessione Christi, vel agonem martyrii, vel quælibet continentiæ seu disciplinæ arctioris instituta subeunt. Sed quotquot hæc pro æterna solum, cœlestique gloria gerunt, hi profecto dextri latronis merito et fide designantur. At, qui vel humanæ laudis intuitu, vel qualibet minus digna intentione seculo abrenuntiant, non immerito blasphematoris et sinistri latronis mentem et actus imitantur. Quidam duos latrones cum Domino crucifixos duobus baptizatorum generibus coaptant : *Quicumque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Ambo

namque similes crucifixi : sed unus in cruce blasphemus pejor, alter est confessione Martyr effectus. Quia per Baptismum quo cum peccatores essemus abluimur : alii, dum Deum in carne passum, fide, spe, et caritate laudant, coronantur; alii, dum aut fidem aut opera Baptismatis habere renuunt, dono quod acceperunt, privantur : » hæc *Beda*. Quod etiam alter latronum murmurabat, alter non, significat quod tribulationem alii patienter sustinent, et coronam merentur, alii non sustinent patienter, et damnationem consequuntur. Unde de impatientibus sic ait *Hugo* : « Dicunt homines quando pœnam sustinent : Si meruissemus, non erubesceremus ; nunc autem injuste pati et sine culpa, nobis ignominiosum est. Imo vero si pro culpa pateris, erubesce ; si sine culpa, gloriare. Latro magis vis esse, quam Christus ; et forte sinister et blasphemator, non confessor. Tu enim pro culpa pateris et culpam agnoscis, et Judicem non veneraris : » hæc *Hugo*.

24 Documenta tria ex illusione latronis sinistri et oratio. — Considera nunc quam magni despectus fuit illusio latronis sinistri, eo quod tam vilis et sceleratus homo, et jam ad mortem damnatus, et mox pro suis vulneribus moriturus insultavit vitæ Auctori. — Ex hoc articulo illusionis latronis habetur documentum tale, quod discamus exemplo Christi calumnias etiam a vilibus personis patienter supportare. Item, est documentum in latrone dextro, quod injurias Dei nullatenus tolerare debemus, sed reprehendere sicut fecit latro iste. Item, documentum est, quantumcumque simus scelerati peccatores, attamen de Dei misericordia nullatenus desperemus, exemplo istius peccatoris, qui, ut dicit *Augustinus*, per unum verbum factus est heres paradisi. — Ad conformandum se huic articulo, attendat homo documenta, et oret, dicendo : *Jesu, qui tibi ab uno latronum exprobrari et ab alio venerabiliter confiteri voluisti, fac me pro tui nominis gloria malignorum improperia semper æquanimiter sustinere*; *et cum illo latrone venerabili paradisi gaudia possidere.*

25 Præsentia B. Mariæ V., Joannis et mulierum. — Et multa alia convitia dicebant tunc maledicti, qui aderant ibidem Domino Jesu, et faciebant. Ipse vero docens nos in tribulatione habere patientiam et perseverantiam, nihilominus perseverabat et permanebat in cruce usque in finem, ut diabolum prorsus destrueret, et spolia sua ei auferret. Omnia autem ista dicuntur et fiunt, mœstissima Matre sua præsente : *Stabant* enim *juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene* cum Joanne apostolo cujus Matris compossio multum augmentabat Filio passionem ; et e converso ipsa cum Filio in cruce pendebat mentali dolore, et potius elegisset cum ipso mori, quam amplius vivere. Unde *Bernardus* : « O bone Jesu, magna pateris exterius in corpore ; sed multo majora interius in corde, ex compassione Matris omnia tecum participantis! » hæc *Bernardus*. Undique sunt angustiæ, undique sunt tormenta et pœnæ ; sentiri potuerunt, narrari non possunt. Stabat Maria cum ceteris juxta crucem corpore, sed in cruce tota migraverat mente. Non avertebat oculos a Filio, angustiabatur ut ipse, et toto corde orabat Patrem pro eo, et Filius similiter orabat pro Matre. Unde *Ambrosius* : « Fugientibus Apostolis, Maria ante crucem stabat, et piis spectabat oculis Filii vulnera : quia exspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem; aut fortasse, quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se et sua morte publico muneri aliquid addituram. Sed Jesus non egebat adjutore ad omnium redemptionem. » Unde et *Chrysostomus* : « In Passione Christi duo videbis altaria : unum in pectore Mariæ, aliud in Christi carne ; Christus carnem, Beata Maria immolabat animam. Optat quidem ipsa ad sanguinem Filii addere sanguinem carnis suæ, et cum Domino Jesu corporali morte redemptionis nostræ consum-

mare mysterium; sed solius summi sacerdotis hoc erat privilegium, ut cum sanguine intraret in sancta sanctorum. Ideo nec Beatæ Virgini, nec Angelo, nec ulli homini potuit in reparatione hominis esse communis auctoritas. In hoc autem gravissime patitur pia Mater, quia quod Filius ejus corpore, ipsa sustinet corde : » hæc *Chrysostomus*. Et, quia Joannes crucifixioni astitit, ideo ea die Passio secundum ipsum legitur, licet etiam merito postremus legatur, quia postremus scripsit. Omnes igitur, et maxime Maria Magdalena sua dilecta discipula vehementer flebant, nec consolari de suo dilecto Domino et Magistro poterant. Compatiebantur Domino, et etiam Dominæ et sibimetipsis. Sæpe eis dolor renovabatur, quia semper Passio Domini sui, vel in conviliis, vel in factis, augebatur. *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes*, et a nullo consolabantur. O quantæ voces et tristes ululatus ibi audiebantur ab amicis suis! Quod autem Joannes dixit *juxta crucem*, et alii Evangelistæ dicunt *a longe* mulieres stetisse, intelligendum est, secundum *Augustinum*, quod eo intervallo erant ut : et *juxta* dici possent, quia in conspectu ejus præsto aderant, et sic prope quod verba Christi audire poterant; et *a longe* in comparatione turbæ comprimentis, propinquiusque circumstantis, cum Centurione et militibus. Vel, erant *a longe*, respectu militum Christum crucifigentium et custodientium, sed prope respectu aliorum astantium et aspicientium; sic ergo possunt dici longe et prope stetisse, diversis respectibus. Vel, primo erant prope crucem, et post commendationem Matris abierunt, ut a densitate turbæ se eruerent, et cetera quæ facta sunt longius intuerentur, ut Evangelistæ, qui post mortem Domini eas commemoraverunt, et longe stantes commemorarent. Quod autem mulieres stabant juxta crucem Jesu, discipulis fugientibus, commendat devotam constantiam in mulieribus. Unde *Chrysostomus* : « Mulieres astiterunt cruci, fugientibus discipulis, et quod imbecillius genus est, virilius tunc apparuit; ergo sicut nec a salute, ita nec a mysterio crucis, nec a scientia Resurrectionis excluduntur et repelluntur mulieres. » Et nota, quod Beata Virgo non stetit sub cruce, ad Aquilonem, ut quidam fabulantur, et sicut in picturis ponitur; sed contra faciem Filii sui stabat, ad Occidentem aliquantulum, declinans tamen ad Austrum. Monstratur enim et nunc juxta montem Calvariæ quidam locus, qui a fidelibus veneratur, ubi ipsa cum aliis mulieribus juxta crucem Filii sui stetit, plorans et lamentans eum; in quo loco est una capella extra ecclesiam Sancti Sepulchri, sed conjuncta muro ejusdem ecclesiæ.

26 Juxta crucem et nos stare debemus. — Sta, et tu, juxta crucem cum ea, et lamentare Dominum pro te mortuum. Juxta crucem libenter debemus stare, et potius mente quam corpore, habendo memoriam Salvatoris, secundum statum in quo fuit in cruce. Utilis enim valde est nobis memoria talis. Ibi est nobis refugium contra mala culpæ, et refrigerium contra mala pœnæ; ibi erudimur circa bona gratiæ, ibi ostenditur nobis via ad bona gloriæ. Bona et desiderabilis est umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Una ala potest intelligi protectio in prosperitate, alia protectio in adversitate; una ala etiam contra mala culpæ, alia contra mala pœnæ. Unde *Bernardus*, hac memoria absorptus, ait : « O Domine, quocumque iero, semper te in cruce video. » Considera nunc qualiter ipse est exaltatus, prout prædixerat : *Sicut Moyses exaltavit*, scilicet super palum *serpentem* æneum *in deserto*, *ita exaltari*, scilicet in cruce, *oportet Filium hominis*. Ille enim serpens æneus in deserto exaltatus figura fuit hujus exaltationis. Sicut enim ille serpentis quidem similitudinem habebat, serpentis autem venenum non habebat, quia æneus erat; sic Christus cum iniquis deputatus, et inter latrones suspensus, carnis peccati quidem similitudinem habebat, peccatum

autem nullum habebat. Et sicut, qui mordebantur a serpentibus, inspiciendo serpentem in palo exaltatum sanabantur; sic contra morsum et tentationem diaboli non est melior medicina, quam in cruce pro nobis passum aspicere Salvatorem. Si enim aspectus illius serpentis ænei salvavit a morte corporali, multo fortius fides Christi crucifixi salvat a morte spirituali. Vide etiam Dominum tuum stantem super solium excelsum, et paratum ad judicandum; et ideo duo homines hinc inde ponuntur, quorum unus salvatur, alter vero condemnatur. Vide tandem Christum, qui est, juxta Apostolum, Pontifex futurorum bonorum, qualiter, extensis brachiis et manibus, offert hostiam puram, scilicet carnem suam pretiosam pro nobis super altare crucis.

27 Septem verba Christi in cruce. — Vide etiam Magistrum tuum qualiter stat in alto et prædicat. Dominus enim etiam in cruce pendens, etiam usque ad exitum spiritus non fuit otiosus, sed faciebat et dicebat utilia pro nobis; unde, secundum *Augustinum*, se habuit sicut magister in cathedra, et lignum pendentis factum est cathedra docentis. Ubi septem verba sacratissima, quæ dixit in cruce positus, breviter tibi nota, et ea frequenter cum devotione pertracta. Per hæc autem septem verba possumus facere exclamationes nostras, modo tenendo Patrem Domini nostri, et causando contra Judæos; modo compatiendo Domino nostro, modo Matri ejus, modo nobis miseris, et in fine cujuslibet verborum facere orationem. Quidam tamen verba octo distinguunt, verbum tertium in duo dividendo: ita ut Dominus duo dixerit pro peccatoribus, scilicet: *Pater, ignosce illis*, et: *Hodie mecum eris in paradiso*; duo pro bonis, scilicet: *Mulier, ecce filius tuus*, et: *Ecce mater tua*; duo pro universo mundo, scilicet: *Sitio*, et: *Consummatum est*; duo pro semetipso, scilicet: *Deus meus, utquid dereliquisti me?* et: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

28 Primo verbo, orat pro crucifigentibus eum. — Primum verbum fuit in ipso actu crucifixionis, cum pro suis crucifixoribus inimicis crudelissimis, ipsummet ad crucem fabricantibus oravit; *Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*, scilicet bonum mihi, et malum sibi. Revera ita est: quia, qui alteri malum facit, nescit quantam pœnam et culpam sibi inferat, quantamque gratiam et coronam alteri acquirat. Vel, nesciunt quid faciunt, ignorant enim quod Filius tuus sum quem crucifigunt. Unde ait *Chrysostomus*: « Quoniam Dominus dixerat olim: *Orate pro persequentibus vos*, hoc etiam crucem ascendens fecit, dicens: *Pater, dimitte illis*; non quia non posset ipse relaxare, sed ut nos pro persequentibus orare doceret, non solum verbo, sed opere. *Dicebat autem*: *Dimitte illis*, si pœnituerint; favet enim pœnitentibus si vellent post tantam nequitiam reatus per fidem diluere: » hæc *Chrysostomus*. Cum ergo dixerit: *Non enim sciunt quid faciunt*, patet, secundum *Bedam*, quod non pro eis oravit qui per invidiam et superbiam eum, quem Filium Dei intellexerunt, negantes crucifixerunt; sed pro eis qui zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, nescierunt, quid fecerunt. Erant enim ibi aliqui simplices et illitterati a sacerdotibus Judæorum decepti, qui persequebantur Christum zelo Legis, et pro istis oravit Christus; alii autem erant litterati, qui ipsum esse Christum probabiliter noverant, seu cognoscere debuerant, sed ex odio et invidia excæcati fuerunt, et Christum usque ad mortem persecuti sunt, et pro illis non oravit. Nec frustra, secundum eumdem *Bedam*, oravit; sed eis qui post ejus Passionem crediderunt, impetravit, unde in Actibus dicitur, quod conversi sunt una die tria millia hominum, et alia die quinque millia: nec dubium quin hoc provenerit ex virtute hujus orationis Christi. Ad quam etiam vocem multi de turba Judæorum astantium compuncti sunt corde et pœnituerunt, ut dicitur in evangelio Nazaræorum, et ponitur in *Glossa* Isaiæ super illo verbo, *et pro transgressoribus rogavit.* O quam dul-

cis in oratione Christi ad crucifixorum malleationem erat melodia, de cujus consonantia conversa sunt tot millia! Nec mirum, quia ipse tantam mansuetudinem servans in contumeliis, tantam patientiam ostendens in tormentis, sic miram benignitatem exhibens crucifixoribus, evidentius declaravit se Filium esse Patris quem orabat. Quid enim majus miraculum hac benigna pietate? Hoc quippe verbum magnæ patientiæ et mansuetudinis, magni dulcoris et veniæ fuit. In quo triplex actus caritatis maximæ apparuit : primo, quia pro crucifixoribus affectuosissime oravit ; secundo, quia orationi lacrymas adjunxit; tertio, quia *cum clamore valido* et lacrymarum effusione, pro ipsis *preces obtulit* Unde ait *Bernardus* : « Christus flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, ligno crucifixus, opprobriis saturatus, omnium dolorum immemor, *dicebat : Pater dimitte illis.* Hinc multæ miseriæ corporis ; hinc multæ misericordiæ cordis. O quam firmata est super ipsos misericordia tua, et quam magna multitudo dulcedinis misericordiæ tuæ! quoniam potabis, Domine, desiderantes te, torrente voluptatis tuæ : » hæc *Bernardus*. Non ergo desperet amodo quisquam pœnitens pro peccatis, pensando copiam gratiæ Salvatoris Unde *Augustinus* : « Quid autem converso non ignoscitur? Quis homicida desperet, si in spem redditus est, a quo etiam Christus occisus est? »

29 Documentum ex hoc verbo et oratio. — Per hoc verbum Domini primum docemur petentes nos cito exaudire, injuriasque remittere, et vindictas non expetere; ac etiam pro inimicis intercedere et orare, eosque diligere. Ad verbum igitur tantæ pietatis emolliatur cor nostrum, sicut dicitur in Psalmo : *Hodie, si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*, ut dimittamus offensas debitoribus et injuriatoribus nostris ; et non solum dimittamus offensas, sed etiam pro ipsis oremus, intuitu ejus qui Patrem exoravit pro persecutoribus suis et crucifixoribus. Unde ait *Augustinus* : « Vide caritatis affluentiam, et mirabilem patientiam : pro inimicis facit orationem, remittit, et non expetit ultionem. Cur igitur formica festuca, cinis pulvis et favilla vindictam expetis remissionem protrahis, cum videas Regem gloriæ Dominumque virtutum remittentem minas, contumelias et blasphemias, et condonantem crucis molestias et reales injurias? » Unde et *Anselmus* : « Ad locum deductus supplicii myrrha potatur et felle. Ita, in cruce levatur, et dicit : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Qualis est hic, qui in omnibus pressuris suis nec semel os suum aperuit, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum aliquod adversus maledictos canes illos proferret; sed novissime verbum benedictionis, quale a seculo numquam est auditum, super inimicos suos effudit? Quid hoc viro mansuetius? Quid benignius, anima mea, vidisti? » Et iterum : « In omnibus his considera illud dulcissimum pectus; quam tranquillitatem servavit pietatis! Non suam attendit injuriam, non pœnam reputat, et non sentit contumelias; sed ipsis potius a quibus patitur, ille compatitur; a quibus vulneratur, ille medetur ; vitam procurat, a quibus occiditur. Cum qua mentis dulcedine, cum qua spiritus devotione, in quo caritatis plenitudine clamat : *Pater, dimitte illis!* Ecce ego, Domine, tuæ majestatis adorator, non tui corporis interfector; tuæ mortis venerator, non tuæ Passionis derisor; tuæ misericordiæ contemplator, non tuæ infirmitatis contemptor. Interpellat pro me tua dulcis humanitas, commendet me Patri tuo ineffabilis tua pietas. Dic igitur, o dulcis Domine : Pater, ignosce illi : » hæc *Anselmus*. Tu vero eum sic orare poteris : *O clementissime Domine, quanta est patientia tua! Semper insidiati sunt tibi, et persecuti sunt te et tuos, proditiose te ceperunt et malitiose te crucifixerunt, et modo petis, ut ignoscatur illis! Domine Jesu, Pater misericordiarum, oro te, ut sicut tu pepercisti tuis crucifixoribus et rogasti pro eis, fac ut amore tui parcam ego cunctis*

*mihi mala facientibus; et tu, Domine, parcere digneris omnibus iniquitatibus meis, et Patri tuo in conspectu gloriæ tuæ me miserum commendare. Sæpe etenim, Domine, te offendo, et, quantum in me est, peccatis meis crucifigo; tamen, Domine, tu scis quia in te credo, et te Dominum meum et Deum verum confiteor, a quo veniam peccatorum omnium postulo impartiri mihi misero et indigno.*

30 VERBO SECUNDO PARADISUM BONO LATRONI PROMITTIT. — Secundum verbum Domini fuit ad latronem pœnitentem et confitentem; *et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Non intellige de terreno paradiso, vel de horto voluptatis, unde Adam est expulsus; nec de paradiso angelico, vel de cœlo empyreo, quia ad illud ante Christum nemo ascendit; sed de limbo Sanctorum, et de sinu Abrahæ, ad quem anima Christi et latronis descendit. Vel, *in paradiso*, id est in fruitionis gaudio et fruitione beata, quem habuerunt sancti Patres in limbo, cum ad eos descendit Christi anima; et eadem die descendit illuc anima hujus latronis, facta particeps beatæ fruitionis. Vel, *in paradiso*, id est in requie, quod est esse cum Christo Jesu. Vel, *hodie eris mecum*, quod est esse *in paradiso*, quia ubi est Christus, qui est paradisus, ibi est et paradisus; sicut ubicumque est Papa, ibi dicitur esse Romana curia. Unde ait *Anselmus*: « Credo, Domine, credo certe: quod ubi tu vis, et ubi tu es, ibi est paradisus; et esse tecum, hoc est esse in paradiso: quoniam venerabilis ille confessor et gloriosus martyr tecum fuit per totum illud *hodie*, et postea omni tempore. O quam beatum est esse tecum, et quam beati sunt illi qui tecum sunt! Illi vere sunt in paradiso, vere sunt in requie, qui tecum sunt fide et dilectione: » hæc *Anselmus*. Hoc etiam dicens magnam consolationem dedit pœnitentibus, et peccata sua confitentibus; nam revera hodie et quotidie ita accidit, quia, qui devote et pure confitetur peccata sua, statim cum Domino est in paradiso per gratiam et postea erit per gloriam. Vel, est in paradiso, id est in quadam requie et securitate suæ conscientiæ; quia scriptum est: *Secura mens quasi juge convivium.* Ecce quam liberalis, imo quam prodigus hodie factus est Christus: quia latroni regnum, crucifixo cœlum, damnato paradisum, pro brevi petitione est largitus! Misericordia obtulit, quod miseria distulit. Hoc secundum verbum magni amoris et gratiæ ac consolationis fuit, in quo Christus nobis exemplum perfectæ spei et fiduciæ reliquit.

31 NUMQUAM DESPERANDUM ESSE, SED NEC TEMERE CONVERSIONEM DIFFERENDUM DOCEMUR. — Nullus ergo de venia peccatorum quantumcumque enormium, nedum in vita, imo nec in mortis articulo desperare debet; cum iste latro, qui nihil boni fecerat, sed suo testimonio mortis supplicio dignus erat, veniam consecutus fuerit. Et hoc rationabiliter, nam ipse solum de corde et lingua juvare se potuit, quorum utrumque Deo perfectissime obtulit: cor quidem in perfecta contritione; linguam in pura et vera confessione, et ideo non mirum, si veniam impetraverit. Sed exemplo istius latronis nullus debet suam pœnitentiam differre usque ad mortem, quia privilegia paucorum, non faciunt legem communem; et pauci sunt, qui in morte vere pœniteant. Nam, sicut monstruosum esset, quod lupus caudam ovis haberet; ita monstruosum videtur quod vita mala bono fine claudatur. Evolavit iste latro, propter fidei meritum, et crucis quodammodo martyrium; ac nobis conversionis et pœnitentiæ reliquit exemplum. Unde *Hieronymus*: « Christus de cruce latronem in paradisum intulit; et, ne quis aliquando conversionem seram putaret, fecit homicidii pœnam martyrium. » Unde et *Ambrosius*: « Pulcherrimum autem datur affectandæ conversionis exemplum, quod tam cito latroni veniam relaxatur, et uberior est gratia quam precatio. Semper enim plus Dominus tribuit, quam rogatur. Ille enim rogabat, ut memor sui esset Dominus cum venisset in regnum suum:

Dominus autem ait : *Amen dico tibi, hodie*, etc. Vita enim est esse cum Christo, quia ubi Christus, ibi et regnum. Cito igitur ignoscit Dominus, quia ille cito convertitur. » Unde etiam *Augustinus* : « Dixisti latroni : *Hodie mecum eris in paradiso*, ut desit locus desperationi : cui parcis latroni, ut ostendas fructum pœnitentiæ, fontem misericordiæ, et celeritatem indulgentiæ. Tu enim salvas latronem seipsum accusantem, temetipsum excusantem, misericordiam invocantem, et blasphemantem socium increpantem. » Unde et *Chrysostomus* : « O res miranda! Non Abrahæ data est promissio paradisi, non Patribus, non Prophetis, sed primo latroni dicitur : *Hodie mecum eris in paradiso*. Credidit Abraham Deo, non sub tali conditione posito, sed de cœlo loquenti ; credidit Isaias, sed sedenti super solium excelsum et elevatum ; credidit Ezechiel, sed ei super quem Cherubim contemplatus est ; credidit et Moyses, sed de medio ignis loquenti. Sed iste videt Salvatorem non in regali throno, ast in pœna sociatum latronibus ; videt in cruce pendentem, et orat quasi in cœlis sedentem ; videt condemnatum et invocat Regem. O admiranda latronis conversio! Judæi crucifigunt, qui noverunt Legem et Prophetas ; et, tu latro, unde talia philosopharis? » hæc *Chrysostomus*. Sed clemens oculus tuus, o Domine Jesu, respexit super eum, et vocasti ipsum interna vocatione ad pœnitentiam. Quis non debet in te sperare, te laudare, et benedicere, et amare, cum ita de facili pepercisti ei, qui tam male consumpserat vitam suam? Respira ergo nunc in spem veniæ, quæcumque peccatrix anima, si tamen patientis pro te Domini tui non horres sequi vestigia. Sed, ne procrastines usque ad horam mortis, exemplo hujus latronis pœnitere, et invenire locum Domino. Etsi enim optimum sit et salubre consilium de misericordia Dei quærere refugium ; totum tamen hominem ex ea pendere stultissimum est solatium, quia misericordia et veritas in eo obviant sibi. *O Pater clementissime, rogo te, ego miser, dignus infernali supplicio, ut sis memor mei in regno tuo : ego enim, Domine, latro sum pessimus, qui me et multos in anima occidi ; sed tu, Domine misericordissime, memento mei in bonum. Ecce adoro te, quem latro adorabat, et oro sicut ille orabat : Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Recognosce in me, Domine, hanc orationem, sicut recognovisti eam in latrone ; suscipe hanc a servo, sicut suscepisti eam a famulo tuo ; memento mei de regno, sicut fuisti memor illius de ligno. Dic igitur, dic, quæso, Domine, dic servo tuo, loquere ad cor meum ; dic animæ meæ : Hodie mecum eris in paradiso, ut ego confortatus desiderabili tua promissione, fideliter permaneam in tua fide et dilectione. In splendore fidei et confessionis tuæ tecum sim per tuam gratiam spiritus unus ; et sic tecum ero in paradiso, si videlicet in terra amoris tui delicias gustem, quibus in paradiso reficis spiritus Beatorum : vere enim gustare de tuo amore est tecum esse. Fac demum, Domine, me ita vivere, ut aliquando, cum tuæ pietati placuerit, dicas animæ meæ : Hodie mecum eris in cœlo.*

32 Tertio verbo Matrem discipulo et discipulum Matri commendat. — Tertium verbum Domini fuit, cum, ut Matrem et discipulum inter angustias positos aliqualiter consolaretur, commendavit Matrem solatio destitutam ac mœstam et quasi morientem discipulo et discipulum Matri. *Dicit* enim *Matri suæ : Mulier, ecce filius tuus*, hoc est qui loci Filii tui tibi debet obsequi et affectione conjungi. Quasi diceret ei : Usque modo fui obsequium tibi, et tui curam habui ; sed de cetero istum derelinquo tibi, qui erit loco mei. *Deinde dicit discipulo : Ecce Mater tua*, hoc est cui reverentiam et servitium debes, ut filius matri. Quasi diceret ei : Deputo te ad ejus obsequium et curam, loco mei. Hoc tertium verbum Christi fuit maximæ sollicitudinis et pietatis, eo quod in tantis doloribus constitutus Matris mœstissimæ curam gessit, et ei de ministro providit. In quo docuit nos compati

parentibus nostris afflictis, et in necessitatibus subvenire; ac eis, quando indigent, curam et debitum obsequium impendere; et in quocumque statu simus, parentes, quantum bono modo fieri potest, honorare. Quod prius mandavit, dicens : *Honora patrem et matrem*, hoc nunc suo exemplo docuit et fecit, quod faciendum admonuit. Pro se enim Matri, quam moriens relinquebat, alterum quodammodo filium ad ejus curam et obsequium providebat. In hoc autem quod Joanni Matrem commendavit, magna ostenditur dignitas Joannis, et quanto eum honore honoravit Et, ut dicit *Hieronymus*, pudicitia Virginis nulli discipulorum rectius quam virgini commendata est : ut esset ad invicem grata societas, et floridus aspectus, nec non et venustus conversandi vernans alternatim pudicitiarum splendor decoratus. *Et ex illa hora*, quamdiu vixit Maria, *accepit eam* Joannes *discipulus in sua*, scilicet in suam matrem, secundum quosdam; sed congruentius subauditur, in suam curam et sollicitudinem, quam de cetero specialiter de ea gerebat, quia quidquid ei necessarium erat, ad ipsius curam pertinebat. Tradidit Dominus Matri Joannem pro Jesu, servum pro Domino, discipulum pro Magistro, hominem pro vero Deo, filium Zebedæi, pro Filio Dei, nepotem pro Filio suo, qui erat totum suum gaudium, ac vita sua et solatium. Quæ mutatio ipsam intus cruciat, ac Matri amarior omnibus doloribus corporeæ Passionis existit, et cetera corda humana, licet saxea, licet ferrea, scindit. Quis enim sine singultu audiet eum hæc verba dicentem? Non dixit ei : Mater; sed, *mulier*, ne Matris dolorem amplius excitaret Unde *Chrysostomus* hic movendo quæstionem, sic dicit : « O bone Jesu, qui Matrem tuam dulcissimam, quæ ita diligenter te nutrivit, reverenter tractavit, et dulciter lactavit, adeo indulciter alloqueris! » Sed, ut dictum est, non vocavit eam Matrem, at communi nomine; ne pro materni nominis, si exprimeretur, et vehementis amoris teneritudine aggravaretur Virginis animus, ac videns Filii Passionem, et audiens Matris nomen, doleret amplius. Tunc enim non erat tempus ipsam dulciter alloquendi, nec Matris nomen exprimendi; quia si Christus dulcius sibi locutus fuisset, forte cor Virginis crepuisset.

33 Beatæ Mariæ Virginis martyrium. — Stans autem Dominus in cruce faciem versus Occidentem tenebat, sed Maria et Joannes versus Orientem ad Christi faciem respicientes jugiter lacrymas fundebant. Contemplare, et tu, Dominum tuum, ut movearis ad compatiendum. Unde *Anselmus* : « At tu, cum Matre et Joanne accede ad crucem, et perfusum pallore vultum Jesu cominus intuere. Quid ergo? Tu, sine lacrymis amantissimæ Dominæ tuæ lacrymas videbis? Tu, siccis manebis oculis, et ejus animam pertransibit gladius doloris? Tu sine singultu audies eum dicentem Matri : *Mulier, ecce filius tuus*; et Joanni : *Ecce mater tua.* » Et iterum : « *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus?* O commutatio! Pro æterno et incommutabili Deo, purum et corruptibilem hominem; pro naturali et unico Filio, servum accepit in filium. O Domina, qui, precor, cogitatus in te succedebant, cum tam inæstimabilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas? Vere tuam animam pertransivit gladius doloris, quoniam tibi amarior exstitit omnibus doloribus cujusvis corporeæ passionis. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione ipsius tuæ passionis, quæ nimirum sua immensitate transfixit penetralia tui benignissimi cordis : » hæc *Anselmus*. Unde et *Augustinus* : « Matri Dominus in cruce jam anxius, oculis et vultu annuens, de Joanne ait : *Mulier, ecce filius tuus.* Ecce Joannes, qui est nepos tuus, de cetero reputabitur tibi filius, et curam habebit tui, et erit solatium tibi fidelissimum. Inde intuitus Joannem, dixit illi : *Ecce mater tua*; ei servias, et curam illius habe, eam tibi commendo; suscipe matrem tuam, imo magis suscipe Matrem meam. Dum hæc pauca diceret, illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi Martyres, et præ nimio dolore

loqui non poterant. Isti duo virgines audiebant Christum voce loquentem tanta, et ipsum videbant paulatim morientem. Amare flebant, quia amare dolebant, nam gladius doloris Christi animas utrorumque transibat; quæ magis amabat, severior fiebat in Matre. » Et iterum : « Eructavit etiam os tuum verbum bonum, cum diceres : *Mulier, ecce filius tuus.* Cruciat te, Domine Jesu, crux tua, sed non minus Mater tua; cruciat dolor tuus, sed non minus dolor ejus. Non est mirum, si doles et condoles, si pateris et compateris, bone Fili, in desolatione Matris, in separatione Matris, in commendatione Matris. Numquam enim te deseruit : non in infantia, non in adolescentia, non in juventute, non in Passione tua. Numquam defuit tibi ejus solatium ; sed nec ejus obsequium. Lactat infantem, audit et sequitur prædicantem, videt et comitatur patientem; contemplatur opprobria, intuetur vulnera, audit tua verba. Tu vero, bone Jesu, quamquam esset dolor intolerabilis, plaga insanabilis in agonia mortis, et ultimo spiritu constitutus, non oblivisceris tuam Matrem; caput inclinas, et eam in matrem Joanni commendas, et eum sibi in filium adoptas. Felix depositum, singulare privilegium, insigne solatium! Urgebat te siquidem, Domine Jesu, præceptum, jussisti enim : *Honora patrem tuum et matrem tuam*; servitium, quod ipsa exhibuit tibi; et exemplum, posteris relinquendum. Considerare libet, bona Mater, et genitrix et nutrix, et filia desolata, quis sit dolor tuus, angustia tua. Vides enim crucifixum Unigenitum tuum, mutas Filium, Magistrum in discipulum, Regem in militem, Dominum in servum, Omnipotentem in deficientem. Revera viscera tua penetrat gladius, configit animam tuam lancea et clavus, laniat mentem tuam spinarum aculeus, lacerat cor tuum Filii tui amarus aspectus; deest tibi præ amaritudine lacryma, desunt verba, deest fortitudo, marcescit pulchritudo. Vulnera Filii tui sunt vulnera tua, crux Filii tui, est crux tua; mors ejus, mors tua. Nutrix, quomodo dimittis alumnum, Mater Filium, ancilla Dominum? Una die orbaris Patre et Filio : » hæc *Augustinus.*

34 COMPASSIO DOMINI SUPER MATRE SUA, ACTUS CONFORMATIONIS ET ORATIO. — Compatiebatur itaque Filius Matri compatienti sibi; commota sunt quippe omnia viscera ejus super sua Matre. Sciebat enim ipse angustias materni cordis, noverat et dolorem animæ ejus. Et, ut dicit *Damascenus*, quia dolores, quos ipsa in sua non senserat parturitione nunc geminabantur sibi in ejus Passione; ideoque et ipse geminum dolorem patiebatur, scilicet : crucis et Matris. — Ad conformandum nos huic articulo compassionis materni doloris, meditemur quantus fuerit dolor piæ Matris, et talis Matris, pro Filio tali, quem videbat tam crudeliter tractari, et tam miserabiliter mori. Pensemus etiam quantus fuerit dolor compassivus Filii ad Matrem, sibi compatientem, quantus amor Filii ad Matrem, tam cordialiter eam discipulo commendantis. Pensemus insuper qualiter in illa commendatione cor virgineum anxiebatur, cum ei pro Filio alienus, et pro homine Deo homo purus dabatur. O quam miserabilis commutatio ! Quis itaque ista devota meditatione pensans, poterit se continere a lacrymis ? Quis non compatiatur Matri totius pietatis? Quis non misereatur Matri misericordiæ? Si ergo quoad hunc articulum volumus nos Christo conformare, compatiamur dolenti Matri suæ, quia compassus est ei, et ipse. *Jesu, qui in cruce maternæ compassioni compatiens, ipsam tuo dilecto discipulo, et discipulum commendare curasti, commendo me tibi in illa fide et dilectione, qua eos ad invicem commendasti, et supplico tibi, ut per tantæ dilectionis pignora facias me ad amorem tuum veraciter pervenire, et me eorum commenda custodiæ, ut inter hujus vitæ discrimina ab omni adversitate, et in omni sanctitate ac puritate et castitate mentis et corporis vitam meam custodiant et post hujus vitæ exitum ad te, te miserante, perducant.*

35 NON JOANNI TANTUM, SED OMNIBUS FIDELIBUS DATA EST MARIA IN MATREM. — Hic nota, quod erat quidam reli-

giosus, qui tantam habebat devotionem in isto verbo, scilicet : *Mulier, ecce filius tuus,* quod fere per viginti annos continuavit lacrymas, in tanta abundantia, quod multum de illis bibebat. Unde quando incipiebat cogitare totam Passionem Domini, et veniebat ad locum istum, totus in lamenta et lacrymas dissolvebatur, et dicebat Matri : O Mater mea, ecce qualiter pendet in cruce Filius tuus; vide quomodo derelictus est, et moritur Filius tuus. Item, dicebat Filio : Ecce Mater tua, lacrymosa et dolorosa; vide quomodo stat dilectissima Mater tua derelicta. Tu ergo, carissime, frequenter ita cogita et loquere ad Filium pro Matre et ad Matrem pro Filio, ut gratiam obtineas utriusque. In hac autem recommendatione intelligimus non solum Joannem, sed et totam Ecclesiam et quamlibet fidelem animam in Joanne Beatæ Virgini commendatam, ac ejus servitio et obedientiæ subditam ; ipsamque e contra toti populo Christiano usque in finem mundi pro consilio et auxilio relictam : ut ipsa nos habeat in filios, diligendo nos et bonum nostrum procurando affectu materno ; et nos habeamus eam in matrem dilectissimam, ipsam semper amando, et post Deum super omnia honorando. Unde *Hugo a Sancto-Victore* : « Ex hoc articulo ubi dictum est : *Ecce mater tua*, intelligitur, quod Virgo beata non solum Joanni in matrem traditur, imo toti Ecclesiæ universisque peccatoribus in matrem assignatur, cum dicitur : *Ecce mater tua.* O peccator desperate, ecce mater tua ! O verbum dulce, o verbum solatiosum, o verbum gaudiosum : Ecce mater tua ! Ipsa enim est Mater Dei et hominis, mater rei et Judicis; non decet ut inter filios discordiam esse permittat. Si enim, o peccator, Maria est mater tua, ergo et Jesus est frater tuus, et Pater ejus Pater tuus, ergo et regnum et hereditas tua, ergo gratia Mariæ, quam invenit apud Deum, est thesaurus tuus. Ergo dilige eam et venerare tamquam præsentem tibi ubique, et amplius noli morari, sed ab hac hora accipe illam in tuam, ut ipsa tandem recipiat te in gloriam suam : » hæc *Hugo.* Sicut ergo necessaria fuit nobis Passio Domini ad salvandum, ita necessaria fuit hæc recommendatio ad nostrum auxilium et consilium.

36 Quomodo, et quando Maria nos adjuvat? — Et propterea secure currendum est ad eam, pro quacumque necessitate et utilitate. Ipsa enim *Mater misericordiæ* nulli consuevit misericordiam denegare. Unde *Bernardus* : « Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam eam in suis necessitatibus meminerit defuisse. » Hæc quippe misericordia nobis miseris est multum necessaria. Unde ait idem *Bernardus* : « Nos quippe in ceteris virtutibus congaudemus tibi, sed in misericordia tua potius nobisipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulcius, hanc amplectimur carius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Ne timeas ad eam accedere, quia mitis et dulcis est valde. » Et iterum : « Revolve totam seriem Evangelii, et si quid asperum, si quid durum inveneris in Beata Maria, deinceps eam suspectam habeas, et ad eam accedere verearis : hæc *Bernardus.* » Nos igitur studeamus, ut exemplo Joannis Virginem beatam in matrem habeamus, si ipsam volumus habere adjutricem. Cum enim sit triplex status hominis, scilicet : in vita, in morte et post mortem, ipsa in hoc triplici statu adjuvat filios suos, qui eam habent in matrem ; unde cantat Ecclesia :

*Maria, Mater gratiæ,*
*Mater misericordiæ,*
*Tu nos ab hoste protege,*
*Et hora mortis suscipe.*

Adjuvat ergo in vita : sed in vita, quidam sunt justi, et istis impetrat perseverantem gratiam, ideo dicitur :

*Maria, Mater gratiæ,*

scilicet datrix et conservatrix ; alii sunt peccatores, et istis impetrat peccatorum veniam et Dei misericordiam, ideo subditur :

*Mater misericordiæ.*

Secundus status, scilicet in morte, est periculosus, quia hostes, id est dæmones, ad morientes accedunt, et, si quod jus habent, exquirunt; sed beata Virgo animas in morte protegit, et hostes expellit, ideo subjungitur :

*Tu nos ab hoste protege.*

Tertius status, scilicet post mortem et animæ egressum, similiter est periculosus, quoniam ibi sunt dæmones rugientes, animamque devorare volentes; sed Beata Virgo animas in morte suscipit et in cœlum deducit, ideo subinfertur :

*Et hora mortis suscipe.*

*O Domine Jesu, Magister bone, recommendationem quam fecisti inter nos et Matrem tuam conserva in æternum; et da nobis gratiam, ut ei valeamus taliter deservire, quod digne mereamur ejus filii nuncupari, et ipsa dignetur mater et Domina nostra dici.*

37 TENEBRÆ FACTÆ SUPER TERRAM. — *A sexta autem hora, factæ sunt tenebræ* visibiles, *super universam terram, usque ad horam nonam.* Quia enim Agnus innocens, et verus Sol justitiæ eclipsim patiebatur, sol iste visibilis clarissimum mundi lumen, Factori suo compatiens, lucis suæ radios retraxit et occultavit, non valens intueri pendentem Dominum, ac mortis ejus vilitatem et acerbitatem. Unde *Chrysostomus* : « Sol obscuratus est; non enim ferre poterat creatura injuriam Creatoris. Retraxit radios suos, celavit igneum jubar, ne videret impiorum facinora : » hæc *Chrysostomus.* Hoc autem factum fuit triplici ratione : primo, ut natura insensibilis, Christo compatiens, corda lapidea ad veram Christi compassionem emolliret; secundo, ut eclipsatio luminis solaris, subtractionem veri luminis in cordibus Judæorum, et militum Christum crucifigentium, ostenderet; tertio, ne corpus Christi nudum in crucem et mortem ejus exprobratissimam ab impiis cum gaudio videri, vel eos sua luce frui permitteret. Non autem fuit ista eclipsis naturalis, quod patet : ex ratione durationis, quia numquam potest fieri naturaliter per tres horas; secundo, ratione temporis, quia impossibile est fieri eclipsim, nisi in conjunctione solis et lunæ, sed tunc luna erat plena, et e regione ad solem; tertio, ratione generalitatis, eclipsis enim numquam potest esse *super universam terram*, sicut dicitur hic, quia apud Athenas hoc visum fuit. Unde *Dionysius*, apud Heliopolim tunc præsens, vidit hoc fieri per interpositionem lunæ, in terram et solem, sicut fit in eclipsi solis, quia vidit lunam ab Oriente ascendentem versus Meridiem, et sese supponentem soli; et hac transacta eclipsi, luna redivit ad Orientem, ita quod in vespere fuit in Oriente, sole existente in Occidente, et sic orbes totum sunt ad pristinum statum restituti; unde patet etiam defectum et repugnationem solis non ex eadem parte, sed e contraria secundum diametrum incepisse. Item, illæ tenebræ palpabiles erant et obscuræ, et nigræ sicut tenebræ Ægypti sub Pharaone; tenebræ autem ex eclipsi solis naturali ferrugineæ sunt et aereæ ad aliquantulum claræ. Patet ergo, quod illa eclipsis non potuit naturalis esse, sed miraculosa; et soli Christo, qui est causa omnium, manifesta. Et, quia tribus horis protensæ sunt tenebræ, ideo has tres horas repræsentamus tenebris trium noctium; vel potius, in memoriam triduanæ sepulturæ tribus noctibus celebramus, quasi triduanas exsequias Christi mortui, quia nec alibi monachi novem lectiones faciunt, nisi hic, et pro mortuis. Et tunc etiam primatus tenebrarum insinuatus est, quia in illis diebus tenebræ cœperunt diem præcedere. His etiam horis, scilicet a sexta usque ad nonam magis obtenebrantur homines comessationibus et ebrietatibus vacando. O quanti et quales etiam religiosi, his horis, tenebris voluptatum effrenate se immergunt, quia ea quæ Christus tunc passus est, tamquam ingrati parum cogitant, vel attendunt! *Tibi, Domine Jesu, morienti compassus est sol, proinde precor et obsecro, ut me quem rationalem condere dignatus es, sic facias tua pietate compati tibi mo-*

*rienti, et pro nobis impiis in crucis squalore pendenti; ut, in vita mea non gaudeam. in luce gloriæ temporalis, neque diem hominum desiderem, sed toto mentis ardore, Domine Jesu, desiderem diem tuum.*

38 QUARTO VERBO, CHRISTUS QUERITUR SE A PATRE DERELICTUM. — Quartum verbum Domini fuit, quod *circa horam nonam* nimia præ doloris angustia *clamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani.* Et quod Hebraice dixit, Evangelista exponit, dicens *hoc est : Deus meus*, cujus sum Filius per naturam in quantum Deus, *Deus meus*, cujus sum Filius per unionis gratiam in quantum homo : et sic geminatio duplicem ostendit naturam in eo, *utquid dereliquisti me*, id est pœnis et morte exposuisti ? Hoc non loquitur deitas, quæ passa non fuit, quia divinitas in Christi Passione semper illæsa mansit, sicut, si sole superlucente in ligno, securis lignum incideret. sol impassibilis permaneret, multo magis Verbi divinitas, secundum hypostasim carni unita, carne patiente permanet impassibilis et illæsa ; sed loquitur hoc humanitas, quæ videbatur derelicta, et dolorem sustinuit, quia illa morti tradita et passa fuit. Quasi diceret : Pater, in tantummundum dilexisti, quod me pro ipso tradidisti. et dereliquisti Judæis et morti. Subtraxit enim protectionem, sed non solvit unionem. Hoc etiam dixit, ut magnitudinem suæ pœnæ ostenderet. Ita enim graviter dolebat, ac si non Dei Filius, sed inimicus esset. Et ideo penitus videbatur derelictus a Deo, nullum refrigerium vel juvamen recipiens ab eo. Derelictum ergo se clamat, quia licet multi multa propter Deum passi sint, omnibus tamen Deus aliquid consolationis, atque refrigerii ministrabat ; Christum vero totaliter dolori subjecerat, ut doleret quantum dolere poterat. Unde non est intelligendum, quod divinitatis humanitatem deseruerit, vel ab ea separata fuerit : Deum enim, quem invocabat, inseparabiliter semper secum habebat, quia numquam desinebat esse Deus, sive anima conjuncta corpori, sive separata : nam et tunc anima illa erat Deus, et corpus mortuum erat Deus; sed quia traditus erat ita calamitatibus, quod videbatur a Deo derelictus. Quasi, secundum hunc sensum, diceret : Utquid tam immanibus et intolerabilibus me exposuisti doloribus et pœnis, ac si me dereliqueris ? Vehementissimo enim dolore in carne sua tenerrima tenebatur ; et amarissimo dolore pro passione suæ Matris et aliorum in anima torquebatur. Et tamen pro bono nostro ipsemet voluit hæc transire, et sic sustinebat, ut nos aliquando exemplo suo totaliter patiamur, ac si Deo dere icti videamur : sive quando Dominus vult nos probare ; vel nosmetipsi volumus nobis etiam aliquas pœnas inferre, ut sic Domino nostro conformemur in pœna, ut ei possimus conformari in gloria. Vel, Jesus se derelictum a Deo Patre dicit, quia tunc fere inutilis videbatur ejus Passio ; de toto enim genere hominum non videbatur aliquis redimi nisi latro, qui fere solus in eum credebat, excepta Beata Virgine, quæ tunc etiam credidisse non ambigitur, in hujusmodi enim ipsa semper excipitur. O Domina mea, quanto dolore tenebaris, quando Filium tuum sic clamantem audiebas ! Et attende, quod in isto clamore non erant adhuc tenebræ; et ideo quod de tenebris est dictum, per anticipationem accipiendum est.

39 EX HOC APPARET QUAM ACERBA FUERIT CHRISTI PASSIO. — Hoc quartum verbum Christi fuit magnæ acerbitatis, quia clamando ostendit magnitudinem sui doloris, qui tantus fuit, quod præ ejus acerbitate se clamat a Patre derelictum. in acerbitate Passionis, omni solatio destitutum. Quæ quidem acerbitas Passionis ex hoc apparet : quod ipse patiebatur exterius in toto corpore, et ex omni parte sensuum, et ex omni genere tormentorum ; intus vero ex materna compassione, quæ omnes Christi dolores corporales in seipsa per materni cordis compassionem plenissime transformabat ; et ex discipulorum lapsu et excæcatione, qui omnes tunc a fide exciderant ; nec non ex pre-

tiosi sanguinis tam multiplici deperditione, quia consideravit quod pretium suæ Redemptionis in tot hominibus ingratis annihilari debuit : hoc enim, secundum *Bernardum*, majorem dolorem ei intulit, quam omnes pœnæ, quas extrinsecus pertulit, unde bis ingeminat : *Deus meus*, ut ex hoc ostendatur immensitas sui doloris, tam in carne quam in anima, quantum ad vires inferiores corpori affixas, quia in superioribus viribus animæ fruebatur perfecte, licet in inferioribus torqueretur acerbissime. Clamavit etiam voce magna, peccatum inclinando, quod fuerat tantæ mortis et miseriæ causa : quia, secundum *Ambrosium*, quorum suscepit naturam, horum ploravit miseriam ; et ut duritiam humani affectus ad sui excitaret compassionem. Sciendum tamen, quod homo rationabiliter debet moveri ad compatiendum Christo triplici ratione : primo, ex motu creaturæ insensibilis, quæ tota Christo morienti compassa fuit; secundo, ex conditione suæ propriæ naturæ ; natura enim tot membra providit corpori humano, quot sunt dies in anno, ut dicunt physici, ad designandum quod non sit dies vel momentum, in quo homo beneficium redemptionis affectuose et cum gratiarum actione non debet recordari ; tertio, ex divinæ vocis imprecatione, quoniam ipse sponsus amaritudinem suæ Passionis jubet sine intervallo imprimi nostris mentibus, dicens : *Pone me ut signaculum super cor tuum* ; cui voci anima devota obtemperans respondet : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. De hoc clamore appropriate dici possunt hæc verba beati *Augustini :* « Satagentis et solliciti pro nobis in tribulatione positi, verba sunt ista : verba quidem teneritudinis et mœroris ; verba amaritudinis et doloris. Nam, qui devote consideraret ex quam anxio gemitu, ex quam alto singultu, ex quam profundo luctu, ex quam amaro planctu, hæc vox in cruce proruperit ab ore Domini Jesu, nullus est : si haberet pectus ferreum, quin molliretur compunctione ; si saxeum, quin scinderetur compassione ; si ligneum, quin flecteretur condilectione ; si æreum, quin liquaretur contemplatione. In hoc verbo duplex natura in una persona Christi, clamavit ad duas personas in una essentia Dei ; et ideo geminatur persona sub eodem actu verbi : *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* Clamabat enim in Christo affectio rationalis naturæ, propter zelum ardentissimæ compassionis ; clamabat afflictio sensualis jacturæ, propter telum acutissimæ Passionis. Clamat affectio rationalis : *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me*; in tanto mentis suspirio et mœrore, qui non derelinquis clamantes ad te? Clamat afflictio sensualis : *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me*, in tanto carnis supplicio et dolore, qui non derelinquis præsumentes de te ? Magnam enim patiebatur exterius amaritudinem ; sed longe plus cruciabatur interius propter ingratitudinem : » hæc *Augustinus.* Sic autem *Hugo* inducit eum in cruce loquentem :

*Cerne, homo, quid pro te patior,*
*Vide pœnas quibus afficior,*
*Vide clavos quibus confodior ;*
*Cum sit tantus dolor exterior,*
*Intus tamen planctus est gravior,*
*Tam ingratum dum te experior.*

4º Debemus et nos in necessitatibus ad Deum clamare. — Per hoc verbum quartum, docemur ad Deum in necessitatibus clamare, et in periculis adoratorem recurrere. Unde ait *Augustinus* : « Insuper addidisti : *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ut ostenderes effectum orationis, quæ sicut scutum accipienda est contra jacula tentationis, in tempore tribulationis. Oraverat siquidem Dominus Jesus in horto, orat et in patibulo, quia revera oratio est subsidium in periculo. Ascende igitur, anima mea, turrim et castrum orationis : ipsa etenim est unguentum ægrotorum, scutum infirmorum, odoramentum civium supernorum : » hæc *Augustinus.*

41 Documentum ex derelictione Christi, actus conformationis et oratio. — Ex hoc ergo articulo dereli-

ctionis Christi a Deo, habetur documentum, quod in nostris tribulationibus debemus ad Deum recurrere, et ei desolationem nostram conqueri orando, ut ipse tribulationem nostram dignetur respicere ; sicut Christus, qui in angustia tribulationis positus clamavit ad Deum Patrem, dicens : *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* Quod,secundum *Glossam*, non solum fuit verbum conquestionis, sed et orationis. Quæ quidem oratio hic subintelligitur, et in Psalmo illo ex quo Christus hoc assumpsit exprimitur, ubi dicitur : *Deus, Deus meus, respice in me ; quare me dereliquisti?* Ubi hoc quod dicitur : *Respice in me*, est oratio, et non est in Hebræo, sed additum a septuaginta interpretibus, magis sensum quam verba sequentibus ; quod vero sequitur : *Quare me dereliquisti?* est conquestio. In hoc ergo verbo Christi fuit oratio implicita, et conquestio explicita. De qua oratione videtur loqui Apostolus, dicens de Christo : *Qui in diebus carnis suæ preces cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Igitur, et nos conquerentes Deo tribulationem nostram, semper subintendamus orationem, ut ipse in nos respiciat et adjuvet. Exprimit ergo hic Dominus formam tentati, et liberati, qui dum est in tribulatione, putat se quasi derelictum a Deo, cum tamen propior sit Dominus homini in tribulatione posito, juxta illud Psalmi : *Cum ipso sum in tribulatione.* Dereliquit quippe Dominus amicos suos, dum tribulationibus eos exponit ad tempus, ut misereatur in æternum : dereliquit, id est ad modum derelinquentis se habet, quia protectionem suam subtrahit. Sicut enim Deum pœnitere, est ad modum pœnitentis se habere, ita hic Deum aliquem derelinquere est ad modum derelinquentis se habere. — Ad conformandum se huic articulo, meditetur homo quam atrocibus pœnis expositus fuerat Christus, quando sic clamavit ad Patrem, et recolligat omnes passiones et tribulationes suas, et conqueratur eas Deo Patri in unione Passionum Christi, clamans in toto corde, simul cum Christo, verba hæc : Deus meus, Deus meus, respice in me ; utquid me dereliquisti? Nec miretur vel deficiat, si tribulari permittitur, quia sic suo capiti conformatur. *Domine Jesu, qui pendens in cruce preces ad Patrem cum clamore valido et lacrymis obtulisti, da mihi in omni tribulatione et angustia mea ad te clamare, nec tu me patiaris, velut derelictum, a tua misericordia reprobari; sed exaudias de cœlo vocem meam, et facias in tribulatione proventum, ut sentiens me tua misericordia salvatum, possim cantare gloriam et laudem tuam, dicens : Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi.*

42 Quinam dixerunt Dominum Eliam vocare ? — *Quidam autem illic stantes et audientes*, hoc verbum Domini, *dicebant : Eliam vocat iste* : hi, secundum, *Hieronymum*, Romani milites ipsum custodientes fuisse videntur, qui erant Gentiles, non intelligentes Hebræum, et putantes propter sonum et quamdam affinitatem vocabuli *Eli*, idem quod Eliam sonare, et Eliam vocari ; vel, fuerunt Judæi, Dominum imbecillitatis infamantes, quod Eliæ deprecaretur auxilium, reputantes eum minorem fuisse Elia ; vel, forte ipsi Judæi potuerunt hoc dicere, non bene intelligentes quid diceret, propter tumultum obstrepentem circumquaque.

43 Quinto verbo, queritur de siti. — Quintum verbum Domini fuit, cum *postea Jesus sciens quia omnia consummata sunt*, quæ Lex et Prophetæ prædixerant de eo, et quæ erant scripta de Christo passuro, et quæ oportebat fieri antequam acciperet acetum, traderetque spiritum ; *ut* hoc etiam *consummaretur* quod in *Scriptura* prædicta restabat, et consummandum erat, scilicet : *In siti mea potaverunt me aceto, ... dixit : Sitio.* Ac si diceret : Hoc solum ex Scripturis implendum restat, perficite quod prædixit. Unde cum dicitur, *ut consummaretur Scriptura, ut*, non ponitur causative sed consecutive. Non enim ideo Christus hoc fecit, quia Scriptura hoc prædixerat, nam tunc sequeretur

quod Novum Testamentum propter Vetus et ejus impletionem esset, cum tamen et converso sit ; sed ideo prædictum est, quia per Christum consummandum erat ; hoc enim facto impleta est Scriptura prophetiæ, et sic in aliis suo modo intellige. *Dixit* ergo : *Sitio*, scilicet hominum salutem, quia hanc desiderio cordiali sitivit, videlicet sitim sitiens, id est desiderans, ut nos sitiremus fontem vivum. Hoc quintum verbum, fuit maxime consolatorium omnium totius Ecclesiæ fidelium, quando dixit, *sitio*, scilicet salutem humanam, ferventissimo desiderio. In hoc enim ostenditur ejus ardens desiderium de salute generis humani, *qui vult omnes homines salvos fieri* ; nam vehemens desiderium exprimere consuevimus per sitim. Dicit enim Psalmista : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Unde *Bernardus*: « Sitio, ait Christus, non doleo. O Domine, quid sitis? Fidem vestram, salutem vestram, gaudium vestrum; plus animarum vestrarum quam corporis mei cruciatus me tenet, et si non mei, saltem vestri misereminі. » Et iterum : « O bone Jesu, coronam spineam sustines, de tua cruce, et de vulneribus tuis taces, et pro sola siti clamas, dicens, *sitio.* Quid ergo sitis ? Certe solam redemptionem hominis, et gaudium humanæ salutis. » Per hoc verbum quintum, docemur salutem nostram desiderare, et æternam vitam appetere. Unde *Augustinus* : « Adjecisti etiam, Domine Jesu Christe, *sitio.* Quid sitis, Domine Jesu ? Vinum de vite, aut aquam de flumine? Sitis tua, salus mea ; cibus tuus, redemptio mea. Siti igitur, anima mea, et desidera, sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, illum videlicet qui sitivit te. Nonne tædet te, anima mea, intemperies aeris, molestia carnis, et cordis pugna cum vitiis, varietas formæ, mutatio et incertitudo temporis, exspectatio et timor mortis ? Cur igitur non cupis dissolvi, et esse cum Christo ? Cur te retardat vita mortalis, et non provocat te vita vitalis, beatitudo fontalis, societas et lætitia spiritualis ? Desidera igitur, et considera quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam gloriosa dicta sunt de Civitate Dei, ubi est lumen vitæ, fons totius dulcedinis, et beatitudo utriusque hominis : » hæc *Augustinus.* In hoc autem verbo Domini fuit magna compassio Matris, et sociarum ejus, et Joannis ; et maxima exsultatio illis pessimis. Nam licet exponi possit quod sitiebat salutem, tamen ad litteram æstimare potes quod in veritate multum sitiebat ; quia propter nimium laborem, et sanguinis emanationem, totus desiccatus intus et arefactus et adustus erat, et propter hoc sitiebat supra modum, et talis sitis est maximum tormentum.

44 Christus potatur aceto. — Et cum illi maligni cogitare non possent in quo amplius ei nocerent, acceperunt vexandi materiam. *Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus* ; et sic dederunt ei in spongia, quæ propter porositatem de aceto multum imbiberat, arundini imposita, ut sursum ad os pertingeret, ac hyssopo circumposita et circumligata, ut per hyssopum herbam amaram de spongia sugeret, acetum seu vinum acetosum, cum felle mixtum, seu myrrhatum, quale etiam sibi priusquam crucem ascenderat propinaverant. Sic ergo bis potatus fuit : et ante crucifixionem, et in crucifixione. Et est ratio potationis, et ratio geminationis hujus. Dicunt enim quidam, crucifixos citius mori si aceto potentur, et ideo potatus est iste, et non alii, ut citius moreretur : et hoc, vel instinctu Judæorum, qui captabant maxime mortem Christi ; vel ex tædio militum, ut citius a custodia ejus absolverentur, quia tædebat eos ibi morari. Competit autem mysterio gemina potatio, propter geminam personam quæ peccaverat, gustato ligno vetito, ex qua damnata erat generis humani propagatio. In hoc etiam potu amaro, Judæi amaritudinem suæ perversæ voluntatis ostenderunt, quia quantum poterant, tantum ei nocuerunt. De quorum malitia, sic dicit *Chrysostomus* : « Tu autem mihi temeritatem eorum qui assistebant cogita. Et si decem millia habuerimus inimico-

rum, et si insanabilia passi sumus, videntes eos interfici flectimur ; hi vero neque in his quæ videbant facti sunt mansueti, sed sæviebant magis et insaniam intendebant et spongiam afferentes aceto potabant : » hæc *Chrysostomus*. Unde, secundum *Remigium*, ipsi Judæi erant acetum, degenerantes a vino Patriarcharum et Prophetarum in acetum, id est in malitiam et crudelitatem, habentes fraudulenta corda, quasi spongiam cavernosis atque tortuosis latibulis. Ob hoc signanter fel cum aceto sibi porrexerunt, ut in omnibus sensibus ipsum amaritudine replerent : jam enim velatus fuerat oculis, contra ligni vetiti procacem visionem, jam maxillas ejus pugnis attriverant, contra pomi vetiti masticationem, jam collum ejus alapis cæciderant, contra cibi vetiti trajectionem ; solum restabat os et nares affligere, et ideo nares Christi affligebant tam cadaverum fœtore, quam aceti odore, os vero affligebant, fellis amaritudine. Ipse vero acetum quidem accepit, non ut biberet ; sed gustavit, ut Scripturam, seu quod scriptum erat, adimpleret. Et quia *Eli*, *Eli* clamaverat, ceteri, potum ei dantes, *dicebant* : *Sine*, id est exspecta, *videamus*, per experimentum, *an veniat Elias liberans eum.* Quia vero vocem Domini male intellexerant : non enim Eliæ, sed Deo loquebatur, ideo frustra et inaniter adventum Eliæ exspectabant. Ecce qualis cœna dabatur Domino nostro ; hora autem jam cœnandi, sed præ labore et dolore non petit aliud pro cœna nisi potum, et filii diaboli dederunt ei pro cibo fel, et pro potu acetum. O nos miseri ! Quid faciemus, qui aliter cœnare, et aliter potare volumus, et delicias quærimus? Certe, si mille annis homo viveret, et quotidie in pane et aqua jejunaret, unicam tamen cœnam illam sufficienter compensare non posset. Verumtamen, qui potest capere capiat, quia durus est hic sermo pro carnalibus ; et ideo non sapiunt, nec sentiunt cum sapore quæ Dei sunt, et consolationes internas amittunt. Quia, si acetum Domino propinatum ad mentem reducerent, in cibo et potu quantumcumque vili saporem invenirent. Unde *Bernardus* : « Non est cibus adeo aridus, qui non efficiatur sapidus, si illius aceti quod propinatum est condimento fuerit temperatus. Si ergo cibus ex defectu salis, vel alia causa fuerit tibi insipidus, non apponas ibi sal, vel condimentum aliud ; sed propter Christum felle et aceto potatum sensualitati resistas, cogitans quod pro peccatis tuis in pane et aqua abstinere debes, et quod multi pauperes sibi ista reputarent ad delicias, et tunc videbitur tibi magna gratia aliquid abjecisse ad hæc ipsa. »

45 Documenta e potatione aceti, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo potationis aceti, trahuntur plura documenta. Primum accipiendo ista mystice in bono sensu, sicut Judæi et milites multa fecerunt mala intentione, quæ tamen mysterium boni nobis important ; et secundum hoc docemur hic, quod et nos vinum devotionis, admixtum myrrha mortificationis carnis, et felle amaræ compunctionis Christo propinare debemus Tale enim vinum myrrhatum et fellitum Christus a nobis sitit, et oblatum libenter gustat, sed non vult bibere, et in se trajicere : quia ipse bonorum nostrorum non eget. Quid enim Christo de nostra devotione, mortificatione, et compunctione accrescit ? Sed talia ab eo gratanter gustata nobis relinquit quibus omnia illa cooperantur in bonum, imo et amara fiunt nobis dulcia, merito suæ Passionis. — Aliud documentum est accipiendo ista in malo sensu, quod nos caveamus ne vinum myrrhatum vel fellitum Christo bibendum offeramus : quia sicut tunc Judæi, ita etiam mali Christiani dant Deo bibendum amarum potum, et Christo sitienti salutem animarum, offerunt amaritudinem peccatorum. Quicumque enim recte credunt, sed male vivunt, hi Christo dant bibere vinum cum myrrha et felle mixtum : quia vinum Christianæ professionis vel devotionis, miscent cum myrrha et felle scandalosæ conversationis, in quantum male vivendo scandalizant Eccle-

siam, quales sunt præcipue mali prælati, sacerdotes, et monachi, et aliæ personæ religionis speciem prætendentes, qui specialiter se ad cultum Dei devoverunt. Qui præ ceteris Christianis vinum devotionis quod Deum et homines lætificat, Deo offerre deberent, sed per suam scandalosam conversationem vinum suum myrrha et felle malorum exemplorum miscent, et hoc Deo offerunt; quibus Dominus exprobat, dicens: *Ego autem plantavi te vineam electam, quomodo conversa es in amaritudinem ?* Alii sunt, qui acetum in spongia cum calamo Domino offerunt, qui extraneas et a veritate alienas sententias ex Scriptura applicant Christo quasi eas dicenti; quales sunt qui singulares sensus, a communi Ecclesiæ doctrina extraneos, ex Scriptura trahere moliuntur, et sic in errores homines mittunt. Hi enim spongiam aceto implentes, calamo Scripturam imponunt, et ori ejus offerunt, et talis potus est Christo insipidus, nam cum gustasset, noluit bibere. — Ex quo etiam nobis datur documentum, quod sicut Christus non dedignatus fuit pro nobis acetum gustare, sed non bibit; sic et nos suo exemplo discamus prædictos aridos homines tam scandalosos in vita, quam superstitiosos in doctrina, gustare quidem, id est pati et tolerare, sed nequaquam bibere, et eorum vitam et exempla nobis incorporare, quemadmodum Dominus noster acetum non bibit; quia tales in corpus ejus trajici non possunt. — Item est documentum, pro religiosis et pœnitentibus, quod si quando eis apponitur cibus vel potus pœnitentialis et minus sapidus, recogitent Christum felle et aceto pro nobis potatum. Post concupiscentias ergo tuas non abeas; sed eas viriliter frangas, et tunc felle amaritudinis cum dilecto tuo potaberis. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo quanto desiderio Salvator noster salutem nostram sitivit, pro qua etiam acetum cum myrrha et felle accipere non dedignatus fuit, ad ostendendum quod non salutem, quæ est vita æterna, consequi valeamus, nisi prius amaritudinem vitæ præsentis gustemus. *Jesu, qui nostram salutem sitiens aceto et vino myrrhato cum felle potari voluisti, salva me tua gratuita gratia in numero salvandorum, et da mihi versa vice sitire te fontem vitæ et aquæ vivæ: corde diligendo, aure laudando et ore prædicando, et amorem ad te habitum operibus ostendendo. Fac me vinum devotionis, cum myrrha mortificationis carnis ac felle pœnitentialis compunctionis, tibi digne offerre; et da mihi acerbitatem calicis tui non horrere, sed cum gaudio amplecti et bibere ad æternam salutem ut pro amore tuo animæ meæ sitienti amara dulcia videantur.*

46 Sexto verbo, consummata omnia declarat. — Sextum verbum Domini fuit, *cum* postquam *accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est,* id est totum completum est in opere etiam usque ad aceti potum. Quidquid de me Lex et Prophetæ prædixerant, et quidquid de me scriptum erat, et opus redemptionis humanæ, et omne opus meum quod in mundo facere debui, consummatum est et perfectum; ac etiam omnis pœna et omnis pugna consummata est, et completa, omnisque labor et dolor, quem suscipere veneram, est finitus; tempus quoque, quo inter homines esse debui, ad honorem Dei Patris et utilitatem fidelium, est completum, et obedientiam, quam dedit mihi Pater, perfecte complevi; et quidquid oportebat fieri antequam morerer, factum est; et nihil remanet, nec quidquam jam restat quod antequam moriar adhuc fieri oporteat. Et hanc consummationem etiam ipse prædixerat: *Consummabuntur,* inquiens, *omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* Acetoso igitur et felleo poculo propinato, intulit: *Consummatum est,* tamquam si in gustu aceti et fellis totius amarissimæ Passionis consummata plenitudo consisteret. Per hoc enim diluitur primus ille male delectabilis gustus. Nam cum per gustum ligni suavis et vetiti totius nostræ perditionis causa exstiterit prævaricator Adam, opportunum fuit et congruum, per viam contra-

riam invenire saluti nostræ remedium. Et, cum in singulis membris ipsius acutissimarum passionum militantes sagittæ crebrescerent, quarum indignatio ebibebat ipsius spiritum, decebat, ut cibi verbique vehiculum nequaquam maneret immune, ut verificaretur illud Prophetæ : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Hoc verbum sextum magnæ perfectionis fuit, cum dixit : *Consummatum est*, per hoc insinuans, quod omnia consummaverat, quæ pro salute humana ipsum Christum pati vel agere oportebat; et exemplariter, *ut sequamur vestigia ejus.* Sicut bonus medicus primo pro infirmo dietam taxat; secundo sudorem procurat; tertio, si prædicta non sufficiunt, indicit minutionem, pro humorum correctione; quarto ministrat potionem pro malæ materiæ evacuatione : sic Christus, ut nos a morbo peccati salvaret, pro nobis primo quadraginta diebus jejunavit; secundo sudorem sanguineum pro nobis exhalavit; tertio per totum corpus suum minutionem celebravit, quando pro nobis totum sanguinem suum abundantissime sine numero et mensura fudit, sic quod corpus suum in cruce pendens tamquam cremium exaruit; quarto et ultimo, prædictis antidotis non contentus, potionem amarissimam sumpsit, quando pro nostra ægritudine fuganda, felle et aceto se potari permisit. Et ideo rationabiliter dixit : *Consummatum est*, inveniens per hoc quod omnia compleverat, quæ pro nostra salute fienda erant.

47 Doctrina ex hoc verbo resultans. — Per hoc verbum sextum, docemur pœnitentiam inchoatam consummare et vitam nostram fine debito terminare, ac omnia opera nostra ad virtutum perfectionem et debitam perducere consummationem. Unde *Augustinus* : « Dixisti etiam Domine : *Consummatum est*, consummata etenim erant vaticinia Prophetarum, figuræ hostiarum, acerbitas et diversitas pœnarum, emendatio culparum. Felix, qui poterit dicere cum Jesu : Consummatum est, cum Jesu qui est α et ω, et sermonum consummatio. Non est præmium in inchoatione, sed in consummatione; non datur denarius incipientibus, sed finientibus; et corona non currentibus, sed pervenientibus. Inchoa igitur pœnitentiam, et consumma, ut ac crucem sicut Christus, ad pœnitentiam sicut latro curras; non descendas de cruce, ut salutem consequaris perseverantia : » hæc *Augustinus.* Sciendum autem, quod consummare, idem est quod simul summare; unde tunc aliquid consummatur, quando omnia sigillatim acta vel passa simul summantur, id est in summa recolliguntur. Sic fuit in proposito. Nam postquam Christus omnes pœnas Passionis suæ sigillatim pertulerit, et nihil amplius circa mortem patiendum restaret, tunc demum omnia perpessa rememorans, recolligit ea simul in unam summam, et obtulit ea Deo Patri, dicens : *Consummatum est.* Quasi diceret : Consummatum est opus obedientiæ, quam assumpsi, consummatum est opus totius Passionis meæ, quod tibi Deo Patri meo offero pro salute generis humani. Unde Apostolus : *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Et adverte, quod hæc consummatio non fuit sine notabili pœna; sicut qui pertransivit multa pericula, vel gravia supplicia, non sine magno horrore potest cogitare ea, licet ex alia parte gaudeat ea in præteritum pertransivisse; talem horrorem dolorosum non dubium quin Christus habuerit in consummando omnia perpessa. Nec mirum : quia talis consummatio virtualiter, vel etiam integraliter continebat in se omnes partes Passionis, quas simul in summa significabat cum dicebat : *Consummatum est.* Quod verbum magnæ efficaciæ esse in periculis, perhibetur ab expertis. Et specialiter valere dicitur in immoderato fluxu sanguinis e naribus, si cum eodem sanguine scribatur idem verbum in fronte patientis. Et non mirum, si magnæ efficaciæ sit verbum istud, in quo tota summa Passionis Domini nostri Jesu Christi continetur.

48 Documentum morale ex totius Passionis consummatione, actus conformationis et oratio. — Et hoc articulo consummationis totius Passionis habetur documentum, quod nos in fine cujuslibet boni operis partes habentis, debemus facere summam ejus vel epilogum, et sic in summa illud offerre Deo. Si quis, verbi gratia, pro Deo vadat Romam, perveniens ad terminum, omnes passus et omnia vestigia sua offerat Deo et beato Petro, dicens cum Christo : Consummatum est. Similiter, si quis legat psalterium, in fine, omnes psalmos, versus, et verba totius psalterii in summa offerat Deo ; et sic de similibus. Ita etiam facimus in officio ecclesiastico, quod semper in fine cum collecta concluditur ; quæ et idcirco collecta dicitur, quia in illa oratione tota vis illius officii quasi in summa est collectio. Eodem modo hoc verbum, consummatum est, fuit collecta totius Passionis Christi, citra mortem. — Ad conformandum se huic articulo, recolligat homo breviter in summa omnes articulos Passionis prælibatos, et agat pro eis gratias Christo et Deo Patri, dicens : Consummatum est; vel alias prout devotio ministrabit. *Jesu, Salvator noster, et consummator gloriosi operis, quod accepisti a Patre consummandum, qui incepisti opus tuum cum multis laboribus, et consummasti illud cum maximis doloribus ; et tandem consummationem totius Passionis tuæ in summa Deo Patri obtulisti, dicens : Consummatum est ; benedictum sit, Domine, ex hoc nomen sanctum tuum, quia ad hoc consummasti, ut nos simus in bono consummati, et inimici nostri omnes consumpti. Rogo te, da mihi mandata tua perficere ; et in tuis virtutibus proficere, ac omnia per me, te operante, bene acta et passa ad tuam laudem consummare ; consummata tibi et per te Deo Patri offerre, ut in hora mortis possim dicere : Ecce, Domine , consummavi et perfeci opus quod dedisti mihi ut facerem, et nunc venio ad te Magistrum meum et Dominum Jesum Christum ; et tunc merear videre facie ad faciem, et omnis consummationis finem.*

### ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora diei sexta fuisti ante crucem vino myrrhato seu fellito potatus, ac denudatus, et tuis vestibus spoliatus, in manibus quoque et pedibus clavis acutissimis perforatus, et durissime cruci affixus, in cruce autem positus, a multis blasphematus et derisus, et iterum aceto seu vino acetoso potatus, da mihi, qui peccatis meis crucem merui, ut in te aspiciens, totus totaliter carne et spiritu transfigar, omnique injuria et contumelia ac confusione contempta, tecum cruci affigar ; ut nec aliquid sentiam, nisi te Jesum, te, inquam, crucifixum. Amen.

## CAPUT LXIV

### DE NONA, IN PASSIONE DOMINI.

Matthæi cap. XXVII, Marci cap. XV, Lucæ cap. XXIII et Joannis cap. XIX.

1 Contemplatio Christi moribundi. — Hora nona cogitabis mente lugubri et devota, si piam habes animam, qualiter siccatur ipse fons vitæ, et dulcedo cordium nostrorum, Jesus Dominus tuus amantissimus, et om-

ni gratiositate acceptissimus, venis jam ex sanguinis effusione exhaustis, et viribus deficientibus, appropinquans morti incipit oculos languescentes deprimere, et facie pallescere; et quomodo incipit inclinare caput: versus matrem suam, quasi dans ei ave ultimum, ave, inquam, doloris et omnis desolationis, quod non poterat ore et verbo exprimere præ nimia Passione et inæstimabili dolore, et quasi commendans ei corpus suum, tam crudeliter fossum, ac laceratum, et dissipatum undique; et etiam versus Patrem suum, quasi ostendens ex modo moriendi, quod moriebatur ex obediendia Patris, et non involuntarie, et quasi gratias agens eidem, quod ipsum revocabat ad se, docens nos similiter gratias in adversis agere; et significans se per varias tribulationes ad præmia sequendum, et quasi tradens ei spiritum suum; etiam quasi declinare a crucis titulo se ostendens, et vanam gloriam vitare nos docens, ac si diceret: Nolo hic regnare, nolo scribat aut nominet me Regem Pilatus; et etiam quasi me Patri reconciliato, nuntiens mihi pacem, me salutet, et osculum mihi præbeat, et aures meis precibus, quæ prius non profecerunt, ad exaudiendum inclinet.

2 Verbo septimo, Dominus animam in manus Patris sui commendat. — Quo facto, antequam traderet spiritum, conclusit Dominus ultimum verbum, scilicet septimum cum *clamans voce magna* et lacrymis *Jesus ait : Pater, in manus tuas*, id est in potestate tua, *commendo spiritum meum.* Per quod voluit nobis declarare, quod Sanctorum animæ ex tunc in manus Dei ascendunt, nam prius ab inferis omnium animæ tenebantur, donec venit qui captivis redemptionem prædicavit. Unde *Cyrillus* : « Hæc autem vox edocet, quod animæ Sanctorum non deinceps in inferno clauduntur, ut prius; sed apud Deum sunt, hujus rei facto Christo principio. » Unde et *Athanasius* : « Commendat enim Patri per se universos mortales in se vivificatos, nam sumus membra ejus, secundum illud Apostoli : *Omnes unum estis in Christo.* » Prius ergo Dominus clamaverat : *Eli, Eli, etc.*, et modo clamat : *Pater, in manus tuas commendo*, etc. Unde quidam dicunt, ut *Hieronymus*, quod ab illo Psalmo : *Deus, Deus meus, respice in me*, usque ad istum versum : *In manus tuas*, ubi sunt psalmi decem, et versus centum quinquaginta, Christus dixerit eos omnes, primum videlicet et ultimum versum cum clamore, sed intermedios sub silentio. De isto autem clamore Christi, sicut et de superiori, videtur loqui Paulus Apostolus, cum dicit : *Qui in diebus carnis suæ preces cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Et ex hoc videtur, quod Christus tam in illis verbis : *Eli, Eli, etc.*, quam in istis : *Pater, in manus tuas*, etc., lacrymatus fuerit. Alii vero dicunt, quod Christus totum Psalmum : *Deus, Deus meus, respice in me*; et deinde Psalmum : *In te, Domine*, usque ad versum : *In manus tuas commendo*, conclusive decantavit. Commendavit autem Dominus Jesus Patri spiritum, non quod egeret, sed ut nos instrueret. In hoc enim septimo verbo, quod maximæ devotionis fuit, exemplum multiplicis informationis nobis reliquit, prout infra in documentis articuli patebit.

3 Christus spiritum emittit. — *Et hæc*, scilicet illud verbum ultimum, *dicens, inclinato capite, tradidit* seu *emisit spiritum*, non coactus et invite, sed quando voluit et voluntarie, sine coactione *expiravit*, id est spiritum extra corpus sponte et propria potestate misit, non alius extorsit. Unde *Augustinus* : « Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit? Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? Quis ita, quando voluerit obit, quomodo Jesus cum voluit, obiit? Quanta speranda vel timenda est potestas judicantis, si tanta apparuit morientis! » hæc *Augustinus*. Hic ergo apparet quod Christus tradidit spiritum, clamando, orando et lacrymando. In primis duobus, scilicet : in tradendo spiritum, et in clamando, divinitas apparuit, et deitatis suæ potentiam Christus declaravit.

Tradere enim vel emittere spiritum propria virtute, divinæ potestatis indicium est, et nemini nisi Deo convenit. Et per hoc quod moriens clamavit, apertissime se Deum verum ostendit, nam homines alii morientes non clamare sed vix spirare, vel tenuiter loqui possunt. In aliis autem duobus scilicet: in oratione et lacrymatione, humanitas apparuit, et miserationis affectum Christus manifestavit. Quando igitur Matthæus dicit : *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum*; et Marcus : *Jesus autem, emissa voce magna, expiravit*, quid hac voce magna dixerit, Lucas aperte designat, sic dicens : *Et clamans voce magna Jesus, ait* : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hæc*, inquit, *dicens, expiravit*. Joannes vero tacens de hac voce, tantum scribit : *Cum ergo accepisset Jesus acetum. dixit : Consummatum est, et inclinato capite, tradidit spiritum*, emissa tamen prius voce prædicta. Fuit autem, ut dicitur, ita magnus et validus clamor iste, quod usque in infernum auditus fuit, et cœlum terramque tremere fecit. Vox ergo illa non fuit naturalis, sed miraculosa, quia homo magno et longo cruciatu afflictus, et ex tali afflictione morti sic proximus, non posset sic clamare virtute naturæ, et ideo sequitur quod vox illa sit formata Dei virtute. Hic nota, quod eadem hora qua primus Adam peccavit, secundus Adam expiravit. Primus enim post meridiem peccavit, quia mox ut peccavit, vocem Domini ambulantis ad auram post meridiem audivit; et tunc, circa horam nonam, secundus Adam expiravit. Unde, qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo induxit, eadem hora secundus Adam mortem nostram moriendo destruxit. Et qua hora illi paradisus est conclusus, eadem hora iste paradisum aperuit, quia, secundum *Bedam*, ordo poscebat ut eodem temporis articulo, quo Adæ peccanti concluserat januam paradisi, panderet eam latroni pœnitenti ; et, secundum *Glossam*, cum sol a fervore tepefactus est, Passionem consummat, ostendens se mori propter peccata, quibus a divina luce et dilectione in hanc noctem cecidimus. Item, hac hora Dominus mortuus est, quia per eum novem ordines Angelorum reparantur. Notandum etiam, quod, sicut dicitur in *Glossa* Tobiæ, Domino in cruce passo, diabolus, quo procurante crucifixus erat, advenit, quærens si quid peccati in ipso inveniret. Et dicit Magister in historiis, quod stabat supra brachium crucis, donec Christus expiravit, et tunc videns se confusum recessit, et veniens ad Tartara, invenit ibi animam Christi portas et seras confringentem , et justorum animas inde educentem. Et tunc mox remotum est divinæ visionis impedimentum, quod figuravit gladius flammeus et versatilis positus ante paradisum. Sciendum autem quod inter omnes pœnas Passionis Christi, ista pæna mortis fuit acerbissima, quia inter omnia terribilia terribilissimum est mors; et hoc est, secundum *Joannem Damascenum*, propter naturalem inclinationem animæ ad corpus. Et fuit specialis ratio in Christo de tali anima et de tali corpore, cui utrique divinitas unita fuit in unitate suppositi; unde oportuit quod illa separatio in Domino esset maxime pœnalis.

4 Septem documenta ex Christi exspiratione, actus conformationis et oratio. — Ex isto articulo expirationis, seu mortis Jesu Christi, habentur plura documenta. Primum est, quod nos debemus commori Christo, moriendo videlicet mundo et peccatis, si cum Christo in æterna vita vivere voluerimus. Unde Apostolus : *Si commortui sumus cum Christo, et convivemus*. Et de talibus idem Apostolus ait : *Mortui enim estis*, scilicet mundanis et caducis, *et vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo*. — Secundum est, quod Christus in angustia mortis voce alta clamans ad Patrem, et commendans ei spiritum suum, reliquit nobis exemplum intimæ devotionis, docens nos in hoc ipse bonus Magister, quid nos in articulo tentationis, et specialiter in agone mortis positi facere debeamus. Semper enim debemus auxilium nostrum in Deum ponere, et eum invo-

care, ac spiritus nostros ei commendare, quorum corpora quotidie tendunt ad mortem, cujus penitus ignoramus diem et horam. Et specialiter in hora et articulo mortis debemus hoc facere, quia maxime tunc est necessarium : et propter hostis importunitatem majorem, et propter nostræ virtutis debilitationem. Reliquit etiam nobis exemplum perfectæ fiduciæ in paterna defensione; etenim per hoc quod in manus Patris cœlestis homo spiritum suum commendat, securus esse debet quod divina virtute ab incursu malignorum spirituum defensatur. — Tertium documentum, specialiter pro religiosis, qui moriuntur mundo in religionis ingressu, est, quod ipsi debent spiritum, id est voluntatem et sensum suum tradere in manus spiritualis patris, scilicet prælati, sic quod amplius non resumant usque ad diem Resurrectionis, exemplo Christi qui spiritum suum, quem moriens in manus Patris commendaverat, ulterius non nisi in Resurrectione sua resumpsit. Commendans enim spiritum Deo Patri, exemplum perfectæ obedientiæ et subjectionis reliquit, qua quilibet subditus suo prælato spiritum suum gubernandum et dirigendum committit. Unde quilibet subditus, voto obedientiæ superiori astrictus, humiliter habet dicere suo prælato : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Illi ergo religiosi, qui numquam deposuerunt spiritum suum, vel ante resurrectionem resumunt, puta qui secundum voluntatem suam facere et sensum suum sequi volunt, mendaces sunt, et resurrectionem præveniunt, et ideo antichristi sunt. — Quartum documentum est, quod valde utile et salubre est legere illos decem psalmos, quos Christus oravit in cruce, quia nulli dubium quin devotionis effectum legenti eos conferant salutarem. Et dicitur quod specialiter valeant ad expiationem negligentiarum in horis canonicis negligenter dictis. — Quintum documentum est, quod quantumcumque aliqui sint justi et sancti, numquam tamen se putent securos de diabolo, cum ipse nec Christum in cruce dimiserit, quin eum observaret. Quid ergo præsumere poterit homo miser et fragilis? Certe de nullo nisi solum de morte Christi. Unde *Augustinus* : « Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus, est meritum meum, et refugium meum, salus, vita, et resurrectio mea. Non possum terreri multitudine peccatorum meorum, si mors Domini in mentem venerit, quia peccata mea illam vincere non possunt. » — Sextum documentum est, quod nos multum tenemur amare Christum, qui pro nobis animam suam posuit, et caput suum ad nos in morte inclinavit. Unde idem *Augustinus* : « Salvator noster caput suum inclinavit in morte, ut oscula daret dilectis suis. Et nos toties Dominum osculamur, quoties in ejus amore compungimur. » — Septimum documentum est, quod quilibet Christianus moriens debet illa quinque supradicta servare quantum poterit, quæ Christus moriens servavit. Ipse enim: oravit, clamavit, ploravit, animam Patri commendavit, et spiritum tradidit; sic et nos in extremis positi debemus : orare, clamare saltem corde, plorare pro peccatis per veram pœnitentiam, animam Deo commendare, et spiritum tradere voluntarie scilicet moriendo, et voluntatem nostram divinæ voluntati tradendo. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo : quanto amore Salvator noster mortem pertulit, ut nos vivificaret; et quod conditionem mortis subiit, qui vitam universis creaturis tribuit; et mortuus est, qui mortuos suscitavit; et revolvens in mente sua documenta præmissa oret. *Jesu, qui in cruce moriens animam tuam Patri commendasti : da mihi in hac vita tibi spiritualiter sic commori, quatenus tu in hora mortis meæ digneris animam meam miseram habere commendatam. Ego autem, Domine, in illas manus tuas extensas et perforatas, et sacro sanguine respersas commendo spiritum et corpus meum; et supplico caritati tuæ, ut in novissima hora possim cum memoria integra, fide pura, et spe firma animam meam in ma-*

*nus tuas misericordissimas commendare, quas pro me salvando expandisti in crucis patibulo; et audire merear verbum illud dulcissimum : Hodie mecum eris in paradiso.*

5 Veli templi scissio. — *Et* tunc, hac voce prolata, *ecce velum templi*, quod erat foris ante faciem et introitum templi, prohibens aspectum sanctorum, quæ erant intra templum, *scissum est in duas partes*, *a summo usque deorsum*, non illud quod erat intra templum inter sancta et sancta sanctorum. Unde *Origenes :* « Duo autem vela fuisse intelliguntur : unum quod velabat sancta sanctorum; alterum exterius, sive tabernaculi, sive templi. In Passione ergo Domini Salvatoris, velum quod erat a foris, conscissum est a sursum usque deorsum, ut ab initio mundi usque ad finem, conscisso velamine, mysteria publicentur, quæ usque ad Christi adventum rationabiliter fuerant occultata. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc auferetur etiam secundum velum, ut videamus etiam quæ intus sunt occultata, scilicet veram arcam Testamenti, et sicut ipsa se habet natura, videamus Cherubim et alia : » hæc *Origenes.* Per hoc ergo signum figurabatur revelata esse mysteria et secreta sacramentorum Legis, quæ ante velata erant : ut universis proderentur, et ad Gentes transirent : et impletam esse veritatem, quæ in figuris latebat; et cœlum apertum, quod ante clausum erat. Unde et nos in Passione Domini et cruces, et reliquias, et cetera sacra detegimus in ecclesia et patefacimus. Et in evangelio Nazaræorum legitur, superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum esse, auditasque esse voces in aere, et Virtutes angelicas, præsides quondam templi, tunc pariter clamasse : Transeamus ex his sedibus. Ut autem dicit *Chrysostomus*, hoc velum scissum, erat pretiosissimum de purpura et bysso, et cocco et auro, et serico, et hyacintho contextum, quod in diebus celeberrimis suspendebatur.

6 Alia signa facta, moriente Domino. — *Et*, hac quoque voce, *terra mota est* : quasi non valens ferre Dominum suum pendentem, et non potens sustinere Christi mortem, capax enim hujus mortui esse non poterat; et in signum quod Judæi de ea abjiciendi et destruendi erant. *Et petræ scissæ sunt :* in signum conversionis Gentilium ; et in signum quod corda quantumcumque dura deberent compati Christo morienti. Dicitur autem quod adhuc apparent ibi scissuræ, et deponunt ibi peregrini cruces suas. *Et monumenta aperta sunt* : ad denotandum quod mortis claustra erant reserata ; et quod resurrectio Christi et aliorum cum ipso resurgentium erat propinqua ; et in signum resurrectionis quæ exspectatur futura. *Et multa corpora Sanctorum*, *qui dormierant*, *surrexerunt* a mortuis, non tunc quando monumenta aperta sunt, scilicet hora mortis Christi ; sed quando resurrexit, quia cum eo surrexerunt tamquam testes suæ Resurrectionis, et ideo non ante, sed cum eo debebant resurgere, ut ipsum ostenderent resurrexisse ; et hoc est quod subditur ; *et exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus*, id est Christi, *venerunt in sanctam civitatem*, scilicet Jerusalem, *et apparuerunt multis*, ad declarationem Dominicæ Resurrectionis. Unde ait *Hieronymus*, quod cum monumenta aperta sunt, non ante resurrexerunt, quam resurgeret Dominus, ut esset primogenitus resurrectionis et mortuis. In Apocalypsi enim, Christus dicitur *primogenitus mortuorum* et in Epistola ad Corinthios, *primitiæ dormientium*. Hæc autem magnitudo signorum significat ut crucifixum Dominum suum cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, demonstrarent. Voce quippe Christi moventur elementa, et simul cum eo vult dissolvi atque finiri omnis creatura. Unde *Leo* Papa : « Pendente siquidem in patibulo Creatore, universa creatura congemuit. Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, ut in ejus occasu vellent universa finiri : » hæc *Leo*. Ecce quanta nunc apparet ejus majestas, cujus ante apparuit tanta infirmitas. Unde *Anselmus* : « Et jam quidem infirma ejus,

anima mea, vidisti et miserta es; nunc et majestatem ejus attende, et miraberis. Qualis est hic, quia cœlum et terra compatiuntur ei, cujus et mors mortuos vivificat? » Unde et *Augustinus* : « Quamquam autem tu judiceris ut maleficus, crucifigaris ut flagitiosus et impius; quamvis videaris a Deo derelictus, non desunt miracula, non deest virtutum abundantia. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Intende quanta signa Christus fecit, hoc quidem a cœlo, hoc autem in terra, hoc autem in ipso templo; simul quidem angustiam suam demonstrans. Etenim iræ Dei magnæ erant quæ fiebant, et non simpliciter signa, sed et furoris signa universa erant : tenebræ, scissæ petræ, velum medium scissum, terræ concussio, monumentorum apertio, et multæ angustiæ superabundantia erat : » hæc *Chrysostomus*. O quantum pia mater ejus tunc dolebat, quando fieri hæc videbat! Unde *Augustinus* : « Cogitare libet quantus dolor tunc fuerit matri, cum sic dolebant, quæ insensibilia erant. Non lingua loqui, nec mens cogitare velebit, quanto dolore tenebatur tunc anima Mariæ : » hæc *Augustinus*.

7 Mystice hæc signa fiunt in conversione peccatoris. — Mystice, hæc signa prædicta habent fieri in resuscitatione et conversione peccatoris. Dei quippe templum est fidelis anima, cujus velum scinditur quando velamen hypocrisis et cujuslibet peccati dissipatur. Sicut enim velum impediebat ne videri possent sancta templi; sic peccatum impedit ne videantur sancta paradisi, quod tamen, quantum ad sufficientiam, fuit amotum per mortem Christi. Velum enim templi scissum fuit, in signum quod per mortem Christi ablatum est impedimentum quod nos secreta gaudii paradisi prohibuit contemplari; sicut velum operiebat secreta templi. Terra movetur, in peccati recogitatione, et per timorem compunctionis internæ, et quando per compassionem mortis Christi terrenum desiderium in amorem commutatur cœlestium. Terra enim tremuit, et mota est præ horrore ignominiosæ mortis Christo inflictæ, ad designandum quod corda terrena Christo Domino compatienti debent compati et ejus strictum judicium formidare. Quod autem tremuit in resurrectione, hoc designat quoddam speciale tripudium, quo omnis creatura debet congaudere Christo resurgenti, sicut etiam compassa fuit Christo morienti : unde primus tremor designat metum et terrorem; secundus autem gaudium et exsultationem. Petræ scinduntur in contritione, et per dolorem contritionis in corde, et quando duritia cordis per pietatem emollitur compassionis. Petræ enim scissæ sunt, ad designandum quod corda lapidea et dura, per dolorem contritionis, et intimæ compassionis scindi debent. Monumenta aperiuntur, in confessione, et per pudorem confessionis in ore, et quando fœtor, qui intus latet, foras per os prodit. Mortui resurgunt, in spirituali vivificatione, et per laborem satisfactionis in opere, et quando ad boni operis exercitum excitatur somnus pigritiæ; et apparent in sancta civitate, in animæ illuminatione. *In hora mortis tuæ, Domine, velum templi scissum est : rogo te, aufer velamen ignorantiæ de corde meo, ut videam voluntatem tuam et eam opere perficiam. Terra contremuit : da mihi, obsecro, qui sum terra, et cinis coram te stare, cum casto timore et reverentia filiali, atque meam salutem cum timore et tremore operari. Petræ scissæ sunt : da mihi, ut lapideum cor tuo scindatur timore, et inhians ardenter a te rorem supernæ benedictionis accipiat, et tibi germinet fructum vitæ. Monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt : da, quæso, Domine, animæ meæ a sepultura resurgere peccatorum.*

8 Centurio Christum esse Filium Dei confitetur. — *Viso autem terræ motu et his quæ fiebant*, scilicet tot et tam mirificis signis in Passione Christi, inter quæ etiam fuit *quia sic clamans* voce magna, cito et sponte *expirasset Centurio*, *qui* crucifixoribus præerat ac *ex adverso stabat, et* mi-

lites *qui cum eo erant custodientes Jesum*, in cruce quousque expirasset, *timuerunt valde*. Et divinæ virtuti tot et tanta miracula ascribendo, centurio *glorificavit Deum*, fidei confessione ; ac potestatem et veritatem divinitatis in Christo confessi sunt omnes qui cum eo aderant, *dicentes : Vere hic homo justus erat* ;... *vere Filius Dei erat iste*, aliter enim tanta gloria in ejus morte non appareret. Matthæus dicit : *Vere Filius Dei erat iste* ; Marcus : *Vere hic homo Filius Dei erat* ; Lucas : *Vere hic homo justus erat*. Ibi resultat veritas deitatis in, Christo quia *vere Filius Dei* ; ibi veritas humanitatis, quia *vere hic homo* ; ibi veritas innocentiæ suæ et sanctitatis, quia *vere justus erat*. Et hæc tria necessaria erant ad redemptionem, scilicet : homo qui deberet, Deus qui valeret, justus qui congrueret. Et ex istis aggravatur scelus Judæorum : quia occiditur Deus a servis, homo a bestiis caninis, justus vero ab injustis. Multos quidem istos ad fidem divinitatis Christi disposuit, quod cum clamore magno sic potenter et dominative spiritum emisit. Videbant enim quod clamor ille supernaturalis et miraculosus fuit, quia propter defectum sanguinis et effluxum spirituum, talis clamor fieri non potuit ab homine sic propinquo morti ; et ideo concluserunt quod esset factus virtute divina supernaturali, et per consequens quod ipse esset Filius Dei. Quod etiam ex hoc perpenderunt, quia quando voluit, tunc spiritum dimisit ; ut enim dicit *Hieronymus*, nullus habet potestatem dimittendi spiritum, nisi ille qui animarum conditor est ; et, secundum *Augustinum*, cum post illam vocem continuo tradidit spiritum, hoc maxime qui aderant sunt mirati, longa enim morte cruciabantur in ligno suspensi. De isto Centurione, sic dicit *Bernardus* : « Erat ille Centurio incircumcisus, sed non aure, qui ad unam expirantis vocem sub tot infirmitatum induciis nihilominus Dominum majestatis agnovit ; ideoque non despexit quod vidit, quia credidit quod nondum vidit. Non autem credidit ex eo quod vidit, sed ex eo quod audivit : quia *fides* est *ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. » Et secundum *Chrysostomum*, Centurio, ut quidam dicunt, non solum confessor fuit ; sed etiam corroboratus in fide martyrium suscepit. Per hoc quod Centurio Gentilis confessus fuit Christum tam clare, significata fuit gloriosa confessio Gentilium, in eorum conversione ; et duritia Judæorum, in infidelitate. Unde *Hieronymus* : « Novissimi autem nunc primi efficiuntur, quia Gentilis populus confitetur ; et plebs Judaica cæcata negat, ut fiat eis error novissimus pejor priore. » Unde et *Beda* : Quanta ergo cæcitas Judæorum, qui, et per Dominum virtutibus factis, tantis in morte ejus apparentibus signis, credere respuerunt, et insensibiliores Gentibus Deum glorificare vel timore contempserunt ; unde merito per Centurionem fides Ecclesiæ designatur, quæ velo mysteriorum cœlestium per mortem Domini reserato, continuo Jesum, et vere justum hominem, et vere Dei Filium, synagoga tacente, confirmat. » Unde etiam *Ambrosius* : « O duriora saxis pectora Judæorum ! Judex arguit, credit minister, proditor scelus suum morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reserantur ; Judæorum tamen immobilis duritia manet, orbe concusso : » hæc *Ambrosius*.

9 Omnis creatura Christo morienti compatitur. — Considera ergo tu, homo redempte, quis et quantus et qualis est, qui pro te pendet in cruce ; cujus transitum et cœlum luget et terra, et lapides duri, quasi compassione scinduntur, cujus mors mortuos vivificat, et quem omnis creatura Dominum suum confitetur. O cor humanum omnium lapidum duritia durius, si ad tanti rememorationem piaculi, nec terrore concuteris, nec compassione afficeris, nec compunctione scinderis, nec pietate molliris ! Unde dicit *Hieronymus* : « Omnis creatura Christo morienti compatitur : sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur ; sed so-

lus miser homo non compatitur pro quo solo Christus patitur. » Unde et *Bernardus* : « Ascendit Christus in altum, ut ab omnibus videretur; alta et magna voce clamavit, ut ab omnibus audiretur; clamori fletum admiscuit, ut homo compateretur. Qui ad hanc vocem non concutitur, terra gravior est, petra durior, sepulchro fœtidior : » hæc *Bernardus.*

10 Dolor mulierum, præsertim Beatæ Mariæ Virginis. — *Erant autem ibi* ad associandum, ad considerandum, ad compatiendum cum matre Domini, Joannes et Magdalena, et duæ sorores Dominæ, scilicet Maria Cleophæ et Maria Salome, et præter istas, quæ principales erant, etiam *mulieres multæ* aliæ *a longe* stantes, et *aspicientes* ac *videntes hæc*, quæ fiebant, *quæ secutæ eum erant a Galilæa*, ex devotione quam ad audiendum verbum ejus habebant, *ministrantes ei* necessaria vitæ de substantia sua, ut meteret eorum corporalia, cujus illæ metebant spiritualia. Consuetudinis enim Judaicæ fuit, ut mulieres de substantia sua victum et vestitum prædicatoribus et præceptoribus suis ministrarent; et in aliis, ut in præparatione cibi, et in lotione vestium servirent, quod et Dominus accepit : ut exemplum daret Apostolis, eorum consulens infirmitati, et ut Evangelio magis vacarent. Nec tunc hoc scandalam erat; Paulus autem supererogavit, qui cum haberet potestatem circumducendi mulieres sicut alii, non tamen usus est ea : propter pseudo-apostolos, ut eos a prædicatione reprimeret; et propter suspicionem removendam, maxime inter Gentiles, ubi talis consuetudo non erat, et ideo scandalum facere poterat. Ministrabant autem Domino carnalia pro spiritualibus, non quod indigeret Dominus creaturis, sed ut ostenderet typum magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Ubi *Chrysostomus* : « Hæ autem mulieres considerabant, quæ gerebantur, quæ maxime erant compassibiles; et quæ sequebantur ministrantes, usque ad pericula affuerunt, maximam fortitudinem ostendentes, quia dum discipuli fugerunt, ipsæ affuerunt : » hæc *Chrysostomus.* O qualiter tunc anima matris intimi doloris gladio penetrata erat, cum sic pœnosum Filium deficere, languere, lacrymari, clamare, et mori, et se in mundo derelinqui in tanto dolore et anxietate videbat! Et qualiter clamavit, si tamen loqui poterat, et dixit : O Fili mi dulcissime, quid faciam ego mœstissima? Cui me miseram commendatam dimittis? Fili mi, memento mei, et omnis familiæ tuæ, quam ita desolatam relinquis; memento etiam hominum, qui servierunt tibi. Fili mi, et ego in manus tuas, et Patris tui commendo meipsam, et totam Ecclesiam nostram. O Pater sancte, Deus omnipotens, in manus tuas commendo Filium meum, imo Dominum meum, et Filium tuum. Jam enim deficio, et ante Filium meum, in ejus conspectu mori desidero. Talia dicens, æstimo quod propter angustiarum multitudinem vel absorpta erat, et quasi insensibilis, vel semimortua facta; et quod se sustinere non valens, corruit in faciem suam super terram. Nullus enim cogitare aut dicere posset, quanta mœstitia patientem et morientem suspiraverit et doluerit, unde ipsa sustinebat intus quod Filius tulit foris. Quid tunc Joannes specialiter a Christo dilectus, quid Magdalena fidelis et dilecta discipula, quidve sorores Dominæ faciebant? Sed quid facere poterant? Repletæ erant amaritudine, completæ doloribus, inebriatæ absynthio, et intolerabiliter flebant. O carissime, cogita et considera quanto dolore et ejulatu omnes amici ejus plorabant, quia etiam hi qui sibi nihil attinebant, et cum eo nihil habere videbantur, multum dolebant : sicut Centurio et alii milites, qui Jesum crucifixerant, et eum, quousque expirasset, custodiebant. *Et omnis turba eorum qui ad* videndum *spectaculum istud* convenerant, et *simul aderant, et videbant quæ fiebant*, qui *pectora sua*, in signum pœnitentiæ et luctus, *percutientes*, cum silentio *revertebantur*, dolentes de Christi persecutione et

morte. Quod, secundum *Bedam*, percutiebant pectora, quia pœnitentiæ est et luctus indicium, potest dupliciter intelligi : sive enim eum, cujus vitam dilexerant, injuste occisum dolebant; sive cujus mortem se impetrasse meminerant hunc in mortem amplius glorificatum tremebant : primum pertinet ad bonos, secundum ad malos. Condolens ergo plora, et tu, cum mulieribus, et aliis, si piam animam habes, et viscera pietatis. Unde ait *Anselmus* : « Stupet cœlum, terra miratur. Quid tu ? Non mirum, si sole contristato, tu contristaris; si terra contremiscente, tu contremiscis ; si scissis saxis, cor tuum scinditur; si flentibus juxta crucem mulieribus, et tu collacrymaris : » hæc *Anselmus*. Ecce igitur pendet Dominus in cruce mortuus; recedit multitudo tota, remanet mœstissima mater cum Joanne et Magdalena, et cum duabus suis sororibus. Sed quid tunc mater faciebat? Levabat manus præ cordis desiderio, tangere cupiens dilectum suum, ut vel sic dolori et amori melius consulere potuisset. Cumque aliud solatium non haberet, sanguinem fumantem, et ex vulneribus Filii ad terram usque stillantem, nimia cum aviditate deosculabatur, in tantum ut facies ejus de cruore Filii sui occisi sanguinolenta redderetur. Unde *Augustinus*, inter cetera, sic ait : « Juxta crucem stabat Maria, considerans vultu benigno Christum pendentem in crucis stipite sævo, pedibusque nitens, in altum manus levabat, amplectens crucem ruensque in oscula ipsius. Ex qua parte sanguinis unda crucem rigabat, illuc se vertebat, ut eam complecti valeret, ex quo sursum manus extendere non valebat. Volebat amplecti Christum in altum pendentem, sed manus inde frustra reversæ in se redibant complexæ. Se levans a terra, sursum erigebat ad Christum ; et quia tangere illud nequibat, male collidebatur ad terram. Mortis pallor ejus perfuderat vultum ; genis tamen et ore, Christi cruore rubea erat. Cadentes guttas sanguinis ore sacro lingebat terram deosculans, quam cruoris unda rigabat. O quam male tunc illi erat ! » hæc *Augustinus*. Tandem ponunt se omnes ad sedendum juxta crucem, contemplantur dilectum suum, exspectant a Deo auxilium, quomodo ipsum deponere valeant, et sepelire.

11 Franguntur latronum crura. — Commorantibus igitur, et sedentibus eis prope crucem, et aspicientibus sine intermissione Dominum Jesum Christum : sic pendentem in cruce inter latrones, sic nudum, sic deturpatum, sic afflictum, sic mortuum, et sic ab omnibus derelictum; ecce armati multi veniebant a civitate versus eos, qui licentia Pilati habita, mittebantur a Judæis, ut ipsis crucifixis crura frangerentur, ut citius morerentur, et taliter mortui tollerentur de patibulis, et sepelirentur, ut non in magno die sabbati, qui a vespera sextæ feriæ incipiebat, et propter ipsum sabbatum, et propter festum azymorum valde solemnis erat, corpora eorum in cruce pendentia remanerent, et festum horrore diuturni cruciatus fœdarent. Prima quidem dies Paschæ, qua crucifixus est Dominus, solemnis erat apud Judæos ; secunda tamen dies, pro tunc fuit solemnior, ratione sabbati apud eos, quia die sabbati, quæ intra octavas occurrebat, duplex festum erat. Ideo hoc faciebant, quia in Lege præceptum erat, ut cadavera suspensorum propter delicta, usque mane non essent suspensa, ne inde pollueretur terra. Unde *Theophilus* : « Sic enim jubebantur in Lege non occidere solem in hominis supplicio. » Sed, secundum *Chrysostomum*, Judæi hoc quidem in parvis diligentes sunt, sed in magnis contempserunt, et cum tantam fuissent operati audaciam de die diligenter ratiocinantur, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Appropinquant ergo ipsi armati cum furore et strepitu magno, et videntes latrones adhuc vivere, frangunt eis crura, et occidunt ac deponunt, et in aliquam foveam projiciendo, ne oleant, sepeliunt. Duo milites fregerunt crura unius latronis, et duo alterius ; et sic simul venerunt ad Jesum qui erat medius.

12 Sed Christi latus aperitur —

Redeuntibus autem illis versus Dominum, *ut viderunt eum jam mortuum* : eo quod acerbiora supplicia quam latrones pertulerat vel quia forte ante alios suspensus fuit, vel quia *potestatem ponendi animam* suam habuit ; *non fregerunt ejus crura*, quia hoc non fiebat, nisi ad hoc quod evadere non possent depositi de patibulis, *ut impleretur* consecutive *Scriptura*, qua dicitur in Exodo : *Os non comminuetis ex eo,* scilicet, ex Paschali agno, qui verum Agnum Dei, scilicet Christum, præfigurabat, qui mortuus jam coctus ad esum fidelium erat. Ideo etenim ordinatione divina constitutum est, ut ossa agni Paschalis non frangerentur, quia veri Agni ossa in cruce fracta non sunt, ut sic figura et veritas corresponderent. *Sed*, ut certificarentur de morte ejus, *unus militum*, Longinus nomine, tunc impius et superbus, post vero conversus et Martyr factus, porrigens ferrum de longe *lancea* sacrum *latus ejus*, scilicet Domini Jesu, dextrum vulnere grandi *aperuit* : *ut impleretur* alia *Scriptura*, per os scilicet Zachariæ *dicens : Videbunt in quem transfixerunt*; in qua prophetia, secundum *Augustinum,* promissus est Christus in ea qua crucifixus est carne venturus. Et nota quod iste miles fecit hoc ad complacentiam Judæorum, de morte Christi certificari volentium. In quo etiam patet nimia ipsorum crudelitas, quia non satiati pœnis, quas Christo viventi inflixerant, etiam mortuum vulnerare conati sunt. Sic et hodie Christum semel crucifixum conatur rursus vulnerare, qui sine timore peccare præsumit, vel de peccato se jactare. Unde *Theophilus* : « Ut Judæis milites complaceant, lanceant Christum, circa corpus exanime contumelias inferentes. » Unde et *Chrysostomus* : « Aperuerant ejus costam lancea, mortuo corpori de reliquo convitiantes, nam et in mortuum convitiari corpus militem, multo deterius fuit, quam crucifigi. » Fertur autem quod illius, qui eum lanceavit, cum fere caligassent oculi præ senectute, et casu, vel potius nutu divino, sicut et lanceavit, licet nesciens, sanguine Christi per lanceam defluente oculos tangeret, continuo clare vidit, et protinus illuminatus in Christum credidit. Unde et militiæ cedens, instructus ab Apostolis, in Cæsarea Cappadociæ triginta octo annis monachicam vitam duxit, et in omni sanctitate permanens, verbo et exemplo multos ad Christum convertit. De eo quoque sic dicit *Isodorus* : « Lancea Longinus latus Salvatoris aperuit, et non tantum veniam invenit, sed episcopatus honorem et martyrii coronam promeruit. » Non sufficit Judæis et aliis quod Christum occiderunt, sed etiam post mortem diversimode deriserunt. Istud olim fuit in Absalon præostensum, quem legimus in arbore suspensum ; et veniens Joab, tres lanceas in corde ejus fixit, et armigeri Joab gladiis ipsum crudeliter invaserunt. Sic et Christus in cruce lancea militis, et insuper tribus lanceis, id est tribus doloribus est confixus : quorum primum habuit ex propriarum pœnarum magnitudine; secundum, ex dilectæ Matris suæ amaritudine; tertium, ex peccatorum ingratitudine, quibus suam Passionem præscivit non profuturam fore. Et in super super hoc, Judæi invaserunt eum gladiis linguarum suarum acutissimis ; hoc modo omnes voluntarii peccatores Christum invadunt, qui sponte peccando, iterato ipsum crucifigunt. Plus autem peccant, qui offendunt Christum regnantem in divinitate, quam qui crucifixerunt eum conversantem in humanitate.

13 Miraculum et significatio sanguinis et aquæ de latere Christi fluentis. — Sed contumelia a Judæis illata in signum prodiit, quia de corpore exstincto sanguis verus, et aqua pura miraculose manaverunt. Unde sequitur : *Et continuo exivit sanguis et aqua,* ex quibus habent efficaciam Ecclesiæ sacramenta. Hoc autem factum est, ad ostendendum quod per Passionem Christi plenam consequimur ablutionem, scilicet a peccatis, et maculis : a peccatis quidem, per sanguinem, qui est pretium nostræ redemptionis, secundum illud Petri : *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi :*

a maculis vero, per aquam, quæ lavacrum est nostræ regenerationis, secundum illud Ezechielis: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Vel, potest referri sanguis ad pretium atque ad nostram redemptionem ut redimamur a pœnis: aqua vero ad lavacrum et ad peccatorum ablutionem, ut purgemur a culpis. Sanguine enim agni domus servantur a percussione Angeli; et aqua maris rubri exstinguuntur inimici. Effusus est inquam, ille ad redemptionem, ista ad redempti ablutionem; ille ut redimeret captivum, ista ut ablueret immundum. Sed hic secundus sensus satis intelligitur in primo: quia ubi est plena a peccatis ablutio, ibi sequitur et a pœnis redemptio; et ubi est a maculis ablutio, ibi præcedit et a peccatis purgatio. Hoc etiam factum competit figuræ: quoniam sicut de latere Christi dormientis in cruce exivit, vel fluxit sanguis et aqua, quibus consecratur Ecclesia; ita de latere Adæ dormientis in paradiso, mulier, quæ ipsam Ecclesiam figurabat, est formata. Et factum est hoc miraculose; quia de corpore mortui, in quo statim per mortis frigiditatem sanguis coagulatur, et in tabem convertitur, non solet sanguis exire, nec de aliquo aqua pura manare. Ille autem sanguis erat verus et purus; et aqua vera et pura, et non, ut quidam dixerunt, humor aquaticus, seu phlegma. Considera nunc quanta fuit malitia Judæorum, qui adhuc non fuerunt saturati pœnis et opprobriis Christo in vita illatis, quin etiam eum persequerentur mortuum. Et quamvis etiam istud vulnus lateris non senserit, cum corpus mortuum fuerit; tamen per hoc contumeliæ, et convitia sibi inferebantur, quia omnes contumeliæ et crudelitates illatæ mortuorum corporibus, ita utique reputantur ac si vivis inferrentur.

14 Tria documenta e lanceatione lateris Christi, actus conformationis et oratio. — Ex hoc articulo lanceationis lateris, habentur tria documenta. Primum est, quod nos cum mortui fuerimus cum Christo, scilicet mundo et peccatis, tunc debemus et lanceari cum Christo, cuspide videlicet caritatis; sicut anima illa se lanceatam gloriabatur, quæ dicebat, vulnerata caritate ego sum. Hac etiam amoris lancea, cor suum perforari *Augustinus* petiit, dicens: « Rogo te, Domine, per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es pro salute nostra in cruce, ex quibus emanavit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ potentissimæ caritatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: Caritate tua vulnerata sum; ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte. Percute, obsecro, Domine, hanc durissimam mentem meam valida cuspide piæ dilectionis, ut altius ad intima penetret virtute potenti: » hæc *Augustinus.* — Secundum documentum est, juxta *Chrysostomum*, quod nos percipere debemus sacramenta Ecclesiæ ea intentione atque devotione, ac si nobis de latere Christi profluerent. Vulnus etenim lateris Christi, fuit ostium sacramentorum: quia sicut de latere primi Adæ formata est Eva; ita de latere secundi Adæ, formata est Ecclesia. Unde secundum *Augustinum*, vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed *aperuit*, ut innuat, quod ibi quodammodo ostium vitæ apertum est; quia inde sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad veram vitam non intratur. Et nota quod hoc, quod dicitur sacramenta manasse de latere Christi, specialiter intelligendum est de duobus præcipuis sacramentis, sine quibus non intratur ad vitam, videlicet: de sacramento redemptionis, et de sacramento ablutionis. Quorum primum pertinet ad sacramentum Eucharistiæ, et significatur per sanguinem, imo est ipse idem sanguis quem quotidie sumimus, et qui fluxit de latere Christi; secundum vero, pertinet ad sacramentum Baptismatis, quod significatur per aquam. Unde idem *Augu-*

*stinus* : « Ille, inquit, sanguis in remissionem fusus est peccatorum ; aqua illa salutare temperat poculum, hæc lavacrum præstat et potum. » Hoc prænuntiabat, quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. De istis etiam sanguine et aqua dicit idem *Augustinus*, quod credibile est quod latro ille, cui promisit Dominus paradisum, aspersus fuit aqua et sanguine, de Christi latere exilientibus, et tali sanctissimo Baptismate salvatus sit ; cum sine Baptismate nemo salvetur, vel martyrio. — Tertium documentum est, quod nos omnem voluntatem nostram conformare debemus voluntati divinæ, et quod voluntas Dei in omnibus, et super omnia sit nobis accepta : eo quod cor Christi vulneratum est amoris vulnere propter nos, quatenus nos per amorem reciprocum intrare possimus per ostium lateris ad cor ejus, et ibi omnem amorem nostrum ad suum divinum amorem counire, ut sicut ferrum candens cum igne, in unum redigatur amorem. Homo enim omnia desideria sua debet fundare et ordinare in Deum, amore Christi : quia pedibus, per quos affectus accipiuntur, est crucifixus ; et in omnibus bonis operibus se exercere, ac cuncta mala opera devitare, amore Christi, quia manibus, per quas opera accipiuntur, crucifixus est; omnem vero voluntatem suam conformare voluntati divinæ, pro illo amoris vulnere, quod in cruce pro homine accepit, cum invincibilis amoris sagitta cor suum mellifluum perforavit. Per istud vulnus quasi per ostium amoris *Augustinus* intraverat, cum dicebat : « Longinus aperuit mihi latus Christi lancea ; et ego intravi, ibi requiesco securus. Clavi et lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. » — Ad conformandum se huic articulo, rememoretur homo, quam superexcellentissimum amorem Christus in apertione lateris sui nobis ostenderit, in quo nobis aditum patulum ad cor ejus dedit. Festinet ergo homo intrare ad cor Christi, ac recolligat omnem amorem suum, et counlat amori divino, revolvendo in mente sua documenta præmissa. Recogitet etiam homo, quanta caritate Christus ex latere suo nobis profuderit sacramenta, quibus intremus ad vitam æternam ; vel alias, sicut Dominus meditanti et oranti devotionem ministrabit. *Jesu, qui latus corporis tui mortui, lancea aperiri, et exinde sanguinem et aquam exire voluisti, vulnera, quæso, cor meum lancea caritatis, ut tuis dignus efficiar sacramentis, quæ de eodem sacratissimo latere profluxerunt. In apertura lateris tui, Domine, aperuisti electis tuis januam vitæ. Hæc porta tua, Domine, justi intrabunt in eam. Noli, Domine, quæso, iniquitatum mearum recordari, ut propter eas mihi claudas aditum istum, quem peccatoribus et pœnitentibus providisti.*

15 Beata Maria virgo sentit vulnus lateris Christi. — Et licet istud vulnus lateris non senserit Christus, quia mortuus, beata tamen Virgo Mater ejus bene sensit, cujus felicissimam animam crudelis illa lancea tunc transfixit. Tunc ipsa deficiens, et quasi mortua cecidit inter brachia Magdalenæ in terram. Vides quoties hodie mortua est, toties certe, quoties videbat contra Filium fieri novitatem. Unde nunc perfecte verificata est in ea Simeonis prophetia, qua sibi dixerat : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

16 Dominus sanguinem fundit piissime, plenissime et acerbissime. — Ex hac cordis Christi scissione, a cujus arcano, tamquam a fonte, pretium nostræ salutis copiose est effusum, merito etiam ad compatiendum et amandum vulneratur cor nostrum, quia hic maxime apparuit, quam copiosa apud eum redemptio fuerit. Unde *Bernardus* : « Ad cumulum postremo pietatis tradidit in mortem animam suam, et de proprio latere protulit pretium satisfactionis, quo placaret Patrem, per quod illum plane ad se versiculum traxit : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Prorsus copiosa, quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque

partes corporis emanavit. » Unde et *Anselmus :* « Adhuc autem attentius eumdem intuere, quam grandi et tenerrima compassione dignus appareat. Vide nudum et verberibus laceratum in medio latronum cruci ignominiose ferreis clavis affixum, aceto et felle potatum, et post mortem lancea in latere vulneratum, et copiosos sanguinis rivos ex quinque vulneribus manuum, pedumque, et lateris effundentem. Fletum deducite, oculi mei; et liquesce, anima mea, igne compassionis, super contritione amabilis viri hujus, quem in tanta mansuetudine tantis vides affectum doloribus » : hæc *Anselmus.* Quinque autem vulnera sibi infligi permisit, ut humani generis quinque sensus a diabolo captos redimeret. Christus quippe hodie pro nobis sanguinem suum fudit piissime, plenissime, et acerbissime. — Piissime fudit, si consideretur causa, nam causa effusionis sui pretiosi sanguinis, fuit piissima, quia ipsum fudit ex caritate ferventissima, ex qua voluntarie pro nobis pati voluit ; quod pulchre ostendit *Augustinus* in persona Christi, ita dicens : « O homo, recogita qualia et quanta pro te passus sum : cum esses inimicus Patri meo, reconciliavi te ; cum tamquam ovis perdita oberrares, quæsivi te, et in humeris meis portavi te, et Patri meo te reddidi. Caput meum spinis opposui, manus meas clavis objeci, sanguinem meum pro te fudi, animam meam pro te posui, ut jungerem te mihi ; et tu divideris a me ? Convertere ad me, et ego suscipiam te. » — Plenissime fudit, si consideretur mensura, quia totum sanguinem effudit, ita ut unica gutta in eo non remaneret. Nam sanguinem intercutaneum fudit in flagellatione; et quidquid sanguinis habuisset in vertice et capite, effusum fuit in spinarum confossione ; sanguinem vero venarum, atque nervorum, fudit in agonia, dum prolixius oraret, et in manuum et pedum conclavatione ; sed sanguinem qui remansit in corde, vel in membris inferioribus, effudit in lateris apertione : et ideo, quia nihil in eo sanguinis remansit, *non erat ei species neque decor.* — Acerbissime fudit, si consideretur natura, nam quanto natura et complexio est nobilior et delicatior, tanto est suæ læsionis perceptibilior, et per consequens pœna inflicta, et ejus sensibilitas est acerbior ; sed constat quod complexio corporis corporis Christi fuit delicatissima, quia Spiritus Sancti artificio, de Virginis sanguine formata ; et ergo sui sanguinis effusio et pœnarum illatio fuit acerbissima, et ideo dicit : *Attendite,* scilicet mentaliter ; *et videte,* sensibiliter, *si est dolor similis, sicut dolor meus.* Quasi diceret : Non.

17 Quid in vulneribus Christi quærendum ? — Surge ergo, amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis, ibi, ut passer inveniens domum, vigilare non cesses ; ibi, tamquam turtur, casti amoris pullos absconde; ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris. Hic enim est fons egrediens de medio paradisi, qui in corda devota diffusus, fœcundat et irrigat universam terram. Ecce ostium in latere arcæ, quo intrant animalia non peritura diluvio. Ad hujus ergo petræ foramina, et maceriæ cavernam stude nunc, et in die exitus tui recurre, et in eis latita, ut ibi valeas pascua invenire, et ora leonum evadere. Unde *Anselmus :* « Festina, ne tardaveris ; comede favum tuum cum melle tuo ; bibe vinum tuum cum lacte tuo. Sanguis tibi in vinum convertitur, ut inebrieris ; in lac aqua mutatur, ut nutriaris. Facta sunt tibi in petra foramima, in membris ejus vulnera; et in corporis ejus maceria, tua caverna, in quibus instar columbæ latitans et deosculans singula, ex sanguine ejus fiant sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. » Unde et *Gregorius :* « Per foramina petræ, vulnera manuum et pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam vero maceriæ, vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim : et bene in foraminibus petræ, et in caverna maceriæ, esse dicitur, quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera, propter exemplum, ad me-

moriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat invenit : » hæc *Gregorius*. In his etiam vulneribus Salvatoris, securitatem et protectionem, ac consolationem non modicam reperies. Unde *Bernardus*, quædam de verbis Augustini assumens, sic ait : « Et revera, ubi tuta firmaque infirmis requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ac salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado, fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbabitur conscientia ; sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe, *ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvatur ? Si ergo in mentem venerit tam potens tamque efficax medicamentum, nulla jam possum morbi magnitudine terreri. Ego vero fidenter quod ex me deest, usurpo mihi ex visceribus Domini ; quoniam misericordiæ affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus et pedes, latusque lancea perforaverunt ; et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est gustare et videre, quoniam suavis est Dominus. Patet arcanum cordis, per foramina corporis ; patet magnum illud pietatis sacramentum ; patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant ! In quo enim clarius quam in vulneribus tuis elucet, quod tu, Domine, suavis et mitis es, et multæ misericordiæ ? *Majorem enim* miserationem et *dilectionem nemo habet*, quam *ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Tu, Domine, majorem habuisti, qui animam tuam etiam posuisti pro abditis et damnatis. Meum proinde meritum, miseratio Domini. Non plane sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit ; quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid enim, si multorum sum mihi conscius delictorum? Nempe, ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia. Et si misericordiæ Domini ab æterno et usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Quanta in foraminibus petræ multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum ! » hæc *Bernardus*. *O Domine, sicut exivit sanguis tuus, copiosa redemptio nostra, non permittas me in hora mortis, vel in die judicii perire cum impiis ; sed me tuo pio cruore redemptum aggrega cum electis tuis, abscondendo me interim in foraminibus petræ, et in caverna maceriæ, et vulnerando me caritate tua, ut amore langueam. Qui enim vere te diligit, pro te vulneratur et languet ; et donec te videat, a mundi actionibus est velut mortuus alienus. Fortis est, enim, ut mors, dilectio tua ; et dura velut infernus æmulatio.*

18 Dispositio corporis Christi in cruce positi. — Considera nunc bene corporis Christi, in cruce positi, dispositionem ; quia ex hoc in spem et fiduciam rapieris majorem, attestante eodem *Bernardo*, qui ait : « Quis non rapiatur ad spem, et ad impetrandi confidentiam, qui ejus attenderit corporis dispositionem ? Vide caput inclinatum ad osculum, brachia extensa ad amplexum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedum affixionem ad nobiscum manendum, corporis extensionem ad se totum nobis impendendum : » hæc *Bernardus*.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora diei nona pendens in patibulo, et clamans voce magna, in manus Patris spiritum commendasti, et, inclinato capite, eumdem spiritum emisisti, et jam mortuus vulnus lateris, de lancea militis suscepisti : dignare, quæso, nunc et semper, spiritum meum tibi commenda-

tuum habere, et gladio caritatis cor meum transverberare, eique vulnera tui corporis imprimere, et per hæc, cogitationes illicitas ab ipso repellere, ac tandem in fine vitæ meæ, spiritum meum in manus tuas commendatum, cum beatis spiritibus collocare. Amen.

# CAPUT LXV

## DE SECUNDIS VESPERIS, IN PASSIONE DOMINI.

Matthæi cap. XXVII, Marci cap. XV, Lucæ cap. XXIII et Joannis cap. XIX.

1 Joseph ab Arimathia corpus Domini petit. — Hora vespertina meditaberis mente lugubri et lacrymabili, quomodo mater Domini, et alii quatuor, ponunt se iterum ad sedendum prope crucem, nescientes quid facere debeant. Corpus enim Domini deponere, et sepelire non possunt : quia nec vires sufficientes habent, nec instrumenta quibus deponant. Recedere autem, eo sic manente, non audent; et diu manere, nocte appropinquante, non valent. Vide in quanta sunt perplexitate, et eis corde compatere. Interim autem *Joseph ab Arimathia*, civitate Judææ, decem leucis ab Jerusalem distante, antiquitus dicta Ramatha, unde fuerunt Helcana et Anna, parentes Samuelis, *dives et nobilis* genere, et *Decurio*, id est de ordine curiæ, et officia curiæ imperii Romanorum administrans ; *vir bonus*, in se et quoad Deum, *et justus*, quoad proximum; ac *discipulus Jesu*, non de duodecim, vel de septuaginta duobus, sed de multis aliis credentibus, quia omnes credentes a principio discipuli vocabantur, *occultus autem, propter metum Judæorum*, ne de synagoga expelleretur, *qui non consenserat consilio et actibus eorum*, scilicet aliorum Judæorum Christum persequentium; *qui exspectabat*, scilicet certitudine spei, *et ipse*, sicut et alii discipuli *regnum Dei*, non temporale et terrenum, sed cœleste et æternum, id est regnum cœlorum, a Christo discipulis promissum, *venit* ad sepeliendum Christum, antequam intraret sabbatum, in quo talia facere non erat licitum. Quia enim erat discipulus Domini, ideo curam de corpore ejus habere voluit, ut cum honore sepeliretur, et non sicut damnati corpus projiceretur. *Et* hic virtute sanguinis Christi jam fusi roboratus, *audacter*, omni timore deposito, et confidenter, *introivit ad Pilatum*, nec Judæorum timens inimicitias, nec Pilati potestatem; *et rogavit* seu *petiit*, magno munere, *ut* de ejus licentia *tolleret corpus Jesu*, de cruce, et sepeliret illud honorifice, hoc præferens omni thesauro quantumlibet pretioso. Petiit autem hoc sibi concedi, quia, secundum leges humanas, corpora damnatorum, non debent sine licentia deponi, vel sepeliri. *Et permisit Pilatus*: tum propter petentis reverentiam; tum propter Christi innocentiam sibi notam; et quia plura in morte ejus viderat miracula. In quadam historia dicitur, quod Joseph servierat quinque annis Pilato, et pro servitio petiit et obtinuit corpus Jesu ab eo. Fit autem hic secularis dignitatis Joseph mentio, non quod Evangelista hanc commendet, sed quia ad Præsidem nisi talis accedere non poterat : quia ergo dives erat valde insignis, ac Pilato notus et familiaris, potuit de facili ad Pilatum intrare, et ab eo impetrare; quia vero bonus et justus, dignus fuit hoc ministerio, et meruit corpus Jesu sepelire. Unde

*Beda* : « Magnæ quidem Joseph iste dignitatis apud seculum, sed majoris apud Deum meriti fuisse laudatur, ut et per justitiam meritorum, sepeliendo corpore Dominico dignus foret, et per nobilitatem potentiæ secularis, idem corpus accipere posset; non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Præsidem accedere, et crucifixi corpus poterat impetrare. » Unde et *Augustinus*: « Joseph fiducia dignitatis, qua prædĭtus erat familiariter introivit ad Pilatum, jam minus curans de Judæis, quamvis antea in audiendo Domino devitaret inimicitias eorum. » Unde etiam *Gregorius Nazianzenus* : « Fuerat quandoque Joseph occultus Christi discipulus; denique vincula timoris rumpens, ferventior factus, Dominicum corpus turpiter pendens a ligno deposuit, comparans pretiosam margaritam verborum modestia. » Considera nunc fortitudinem Joseph : quia non solum audet corpus Christi petere, sed etiam sepelire, sicut homo potestatem habens, plus ex virtute quam ex adjutoribus. Unde *Chrysostomus* : « Inspice autem hujus viri fortitudinem : in mortis enim periculum se tradidit, inimicitiam ad omnes assumens, propter benevolentiam Christi. » Unde et *Theophilus* : « Audet ausum laudabilem, non enim excogitavit : a divitiis decidam, et expellar a Judæis, si corpus petam ejus qui est blasphemiis condemnatus : » hæc *Theophilus*. Qui ergo prius ex imperfectione meticulosus, et occultus discipulus Domini fuerat, propter metum Judæorum, vitans tunc inimicitias eorum, nunc exemplo mortis Christi animatus, ac virtute et vigore auctus, manifestat se; ac palam et facto fatetur, et ostendit se Christi discipulum, petendo ejus sepulturam et exsequendo, minus curans de illis, in hoc extremo officio.

2 Nicodemum sibi comitem adjungit. — Concesso autem sibi corpore, vocavit ad se quemdam virum sapientem et Legisperitum, discipulum Christi similiter occultum, Nicodemum nomine. *Joseph autem mercatus sindonem*, id est pannum lineum, candentem et mundum, venit ad crucifixionis locum, portans secum instrumenta, quibus clavis evulsis, corpus de cruce deponat, et ipsam sindonem qua involvat. Iste pannus mundus et candidus, innocentiam Domini, et liliosam significabat castitatem, ut qui rubricatus fuerat sanguine Passionis, candidaretur sindone innocentissimæ castitatis. Legitur enim in Canticis : *Dilectus meus candidus et rubicundus.... Venit autem* cum eo *et Nicodemus*, se illi associans, in quo dolus non erat *qui* prius timidus *venerat ad Jesum nocte primum*, scilicet ante Passionem, *ferens secum mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum*, ad ipsum condiendum. Hæc enim aromata, myrrha scilicet et aloes, sua amaritudine arcent vermes a corporibus mortuorum, et quam plurimum ea conservant, nec cito corruptioni subjici permittunt. Iste, ante Passionem Christi, sicut et Joseph, erat discipulus Domini occultus, sed post Passionem manifestavit se, sicut et ille, et factus est publicus, sed nondum habens veram fidem de Resurrectione, quia attulit myrrham et aloe, quasi corpus ejus muniri indigeret a putredine. Et ideo, licet ex devotione istam unctionem faceret, videtur tamen quod plenam notitiam de Resurrectione Christi non haberet, quia de eo scriptum erat : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, propter quod non indigebat unctione conservante contra putrefactionem. Unde ait *Chrysostomus* : « Adhuc enim ut de nudo homine disponebant, sed tamen multam dilectionem demonstrabant. » De isto Nicodemo legitur in revelatione corporis beati Stephani, protomartyris. Per Joseph, qui interpretatur *accrescens*, significabatur persona crescens in virtutibus, quæ corpus Domini postulat, quando pro digna receptione Eucharistiæ Deum suppliciter orat. Per Nicodemum vero *peritum*, significatur doctor bonus, ferens mixturam, id est doctrinam ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ confectam, ad ungendum corpus Christi mysticum, ad ejus salutem. In sindone etiam munda, paupertas et castitas notantur; et in aromatibus, virtutum varietas designatur. Felix talis con-

scientia, cui non deficit defunctio paupertatis, contra mundum; munditia castitatis, contra carnem; fragrantia virtutum, contra diabolum.

3 CHRISTUS AB EIS DE CRUCE DEPONITUR. — Cum autem Joseph et Nicodemus fuerunt prope crucifixionis locum, genua flectentes adoraverunt Dominum. Quos dum vidit mater, volentes deponere corpus ejus quasi de morte consurgens paululum revixit spiritus ipsius. Et applicantes recepti fuerunt per eam reverenter, et paraverunt se ad deponendum eum, quibus ipsa quod poterat ministrabat adjutorium. Unus clavos de manibus trahebat, alius ne corpus caderet exanime sustinebat. Stabat Maria levans brachia in altum; et dum tangere eum valuit, caput et manus ejus dependentia trahebat supra triste pectus suum, et ruens in amplexus et oscula, de Dilecto suo satiari non poterat, nec quis ipsam desuper corpus detrahere valebat. Corpore igitur Domini in terram deposito, Domina suscepit caput cum scapulis suis in gremio. Magdalena vero pedes, apud quos olim tantam gratiam meruerat. Alii autem circumstant, et omnes planctum magnum super eum faciunt; omnes enim amarissime plangunt illum, quasi unigenitum. Unde *Anselmus* : « Sed adhuc exspecta, donec nobilis ille Decurio veniens, extractis clavis, manus pedesque dissolvat. Vide quomodo felicissimis brachiis amplectitur, ac suo astringit pectori. Tunc potuit vir ille sanctissimus dicere : *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Cerne præterea, quam dulciter, quam diligenter beatissimus Nicodemus, sacratissima membra ejus tractat digitis, fovet unguentis : » hæc *Anselmus*. Venias et tu, carissime, devotis gressibus, et spiritualibus accessibus, ad deponendum Dominum Deum tuum de cruce, et ad plangendum eum cum sua benedicta Matre, et aliis qui ibi aderant, et ad sepeliendum, et alia faciendum quæ ipsi faciebant. Unde *Ambrosius* : « Veni et tu vel sero, vel nocte, vel quacumque hora; quacumque enim hora veneris, Jesum invenies ad suscipiendum paratum, nec minorem serius venientibus mercedem pia largitate solventem. Nam et qui hora sexta venit, non est mercede fraudatus, et qui undecima, plenitudinem mercedis accepit : » hæc *Ambrosius*. *Deus meus, bone Jesu, concede mihi quamquam per omnem modum immerito et indigno, ut qui his cum Matre tua et aliis, qui tunc aderant, corpore interesse, et ea facere non merui, fideli tamen hæc eadem mente pertractans, illum ad te, Deum meum pro me crucifixum et mortuum, compassionis affectum experiar, quem innocens mater tua, et pænitens Magdalena in ipsa Passionis tuæ hora senserunt*. Et sciendum, quod quamvis ista depositio Domini de cruce, non fuerit sibi in pœnam, quia corpus erat exanime, nec fieret ei in contumeliam, sed potius in honorem et reverentiam, præsertim cum non fieret a Judæis sævientibus, sed a devotis fidelibus eum multum diligentibus, imo etiam Judæis et hoc dolentibus, quod cum tanta solemnitate deponebatur, condiebatur, et sepeliebatur; istud tamen factum depositionis, in se valde miserabile fuit et lamentabile, quod videlicet corpus tantæ nobilitatis, tractabatur tamquam cadaver vile, licet in veritate cadaver non fuerit, propter divinum suppositum, in quo corpus illud imputribiliter subsistebat. Et si corpus illud non sensit pœnam, Beata tamen Virgo, quæ ibi aderat, pœnam in hoc facto sensit maximam.

4 DOCUMENTA DUO E DEPOSITIONE CORPORIS CHRISTI, ACTUS CONFORMATIONIS ET ORATIO. — Ex hoc articulo depositionis Domini de cruce, habentur duo documenta. Primum est, quod fideles communicantes Corpus Domini de altari, æquiparantur illis qui ipsum deposuerunt de cruce. Perinde enim est, imo plus Christi Corpus sumere de ara altaris, quam de ara crucis. Illi enim acceperunt eum in brachiis et manibus; sed isti sumunt in ore et cordibus. — Secundum documentum est, quod et nos libenter debemus Christum cum Joseph de cruce deponere. Quamdiu enim peccator in

peccatis est, Christum in cruce distentum, quantum in se est, vinculat et crucifigit, peccata enim nostra sunt in causa quod Christus crucifixus est. Sed mox, cum per pœnitentiam ad Deum convertitur, ipsum de cruce solvit et deponit, et inter brachia sua eum recipit, sicut fecit Joseph, qui in deponendo Christum de cruce, intra brachia sua eum complectebatur. Unde, sicut quis complectens aliquem inter brachia, potens est de eo facere quidquid vult, maxime si illud non repugnet; sic peccator conversus per pœnitentiam, constringens jam Christum brachiis amoris, potens est de eo, omnia quæcumque voluerit, obtinere. Nequaquam enim Christus repugnat pœnitenti, sed paratior est ad dandum gratiam, quam iste ad recipiendum. — Ad conformandum se huic articulo, recogitet homo, quam lamentabile factum fuit, quod tale corpus quod erat Deus, sic tractabatur ad modum cadaveris, et quod corona gloriæ, jacuit sic supina et prostrata in terra; qualem etiam planctum tunc Beata Virgo fecerit super corpus dilecti et dulcis Filii sui, vel alias, sicut dederit meditanti. *Jesu, qui de cruce non vivus descendere, sed mortuus deponi voluisti, ut de morte resurgeres ad electorum informationem, da mihi, de sacro altari tuo, ac si de ara crucis, Corpus tuum verum digne suscipere, et ut de hac cruce, quam suscepi in tui professionem servitii, quousque vixero, non descendam, sed cum tibi placuerit ab hoc corpusculo repetere animam quam dedisti, nunc, te vocante, de cruce deponar, et, te invitante, ad requiem paradisi perducar.*

5 Planctus et lacrymæ B. Mariæ virginis. — Post aliquam vero morulam, rogat Joseph Dominam, ut permittat corpus Domini perungi ac linteaminibus involvi et sepeliri. Ipsa vero contendebat, dicens : Nolite, amici mei, tam cito mihi Filium meum auferre, vel me secum sepelite. Illum adhuc paululum relinquite mihi, ut faciem ipsius valeam contemplari, et videndo aliquantulum inde consolari. Illi volebant eum tradere sepulturæ, et ipsa volebat eum retinere, et sic erat hæc pia lis et miseranda contentio inter eos. Flebat illa lacrymis irremediabilibus. Ipsius lacrymarum tanta ubertas fluebat, ut caro cum spiritu in lacrymis resolvi putaretur. Rigabat lacrymis faciem et exstinctum Filii sui corpus, et perfundebat undique plagas ejus. Lapidem quoque quo corpus ejus positum et locatum fuerat, lacrymis madebat, in quo ejus lacrymæ adhuc apparere dicuntur, qui nunc in ingressu ecclesiæ Sancti Sepulchri esse memoratur. Lavit et tersit vulnera ejus cruentata, et osculabatur ea, et faciem ejus sacratissimam. Aspiciebat vulnera corporis, et vultum ejus et caput, videbat spinarum puncturas, depilationem barbæ, faciem ex sputis et sanguine deturpatam; et de sic aspiciendo et flendo non poterat satiari. Virginis dolores narrari non possunt quia male illi erat, sicut esse poterat. Et ideo, quantas lamentationes, ululatus, planctus et fletus super idem corpus unici Filii sui tunc fecerit, verbis explicari non posset. Credendum tamen est, quod nullos planctus irrationabiles fecerit, quia dolor ejus ad rationem superiorem non pertingebat. Magdalena vero pedes Domini, quos alia vice lacrymis compunctionis rigavit, nunc multo magis undis lacrymarum compassionis largiter lavit. Aspiciebat pedes sic vulneratos et perforatos, desiccatos et sanguinolentos, et flebat amarissime, et præ dolore videbatur deficere; similiter flebant vehementer et alii, ac etiam Angeli præsentes ibi. Unde *Augustinus* : « O quis Angelorum vel Archangelorum illic non flevisset, ubi contra naturam, auctor naturæ immortalis Deus, mortuus homo jacebat? Videbant Christi corpus sic male tractatum, ab impiis sic laceratum jacere, et Mariam totam suo cruentatam in cruore sic amarissime flere; et nullo modo suas lacrymas poterant refrenare. Sicut enim possibile fuit, Deum per assumptum hominem mori, sic possibile fuit Angelos bonos in morte Domini sui dolere : » hæc *Augustinus*. Plange ergo et tu, carissime,

amare, et clama cum *Bernardo* dicente : « O bone Jesu, quam dulciter cum hominibus conversatus es, quam magna et abundantissima eis largitus es, quam dura et aspera pro eis passus es, dura verba, duriora verbera, durissima crucis tormenta! » hæc *Bernardus*.

6 In omnibus sensibus et membris passus est Dominus, ut totum hominem sanaret. — Contempleris etiam bene Dominum et Salvatorem tuum, gira et regira, volve et revolve, a latere in latus, a planta pedis usque ad verticem, et non invenies in eo sanitatem, sed undique dolorem, ubique cruorem. Non enim est in eo membrum, vel sensus corporis, qui suam afflictionem et infirmitatem, vel passionem non senserit. Vide quid in quolibet sensu, quid in qualibet parte sustinuit : in capite spinas, in auribus opprobria, in oculis fletum, in ore fel et acetum, in facie alapas et sputa, in collo colaphos, in naribus fœtorem, quia in loco ex cadaveribus corrupto fuit crucifixus : clavos in manibus et pedibus, flagella in dorso, lanceam in pectore. Quia enim genus humanum vulneribus peccatorum fuit plenum, secundum illud Isaiæ : *Omne caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas,* ideo Jesus in omni parte corporis sui plagas suscepit, ut per ejus livores in toto sanaremur. Homo enim erat infirmus in capite, id est in intentione, quæ est caput animæ, quia his quæ faciebat non sanam intentionem habebat. Erat infirmus in manibus, quia faciebat opera mala vel remissa. Erat infirmus in pedibus, quia habebat affectionem immundam aut terrenam, pes enim animæ est affectus et amor ejus, quia sicut corpus vadit pedibus, sic anima vadit affectibus. Erat infirmus in corde, quia habebat cogitationes noxias et vanas. Erat infirmus in toto corpore, quia habebat totam vitam mundanam et conversationem vanam. Ut igitur Christus suis livoribus et vulneribus nos totaliter et perfecte sanaret : voluit vulnerari in capite, ut sanaret omnes nostras obliquas intentiones; voluit vulnerari in manibus, ut sanaret nostras malas et remissas operationes; voluit vulnerari in pedibus, ut sanaret nostras immundas et terrenas affectiones; voluit vulnerari in corde, ut sanaret noxias et vanas cogitationes; voluit flagellari et vulnerari in toto corpore, ut sanaret totam nostram vitam et conversationem. Unde *Bernardus* : « Meditare, inquit, positionem corporis Crucifixi, et vide, si aliquid est in eo quod non peroret pro te ad Patrem. Divinum illud caput multiplici spinarum densitate depressatur, usque ad cerebri teneritudinem confixum est. Ad quid hoc? Ne doleret caput tuum, ne tua vulneraretur intentio. Caligaverunt in morte oculi sui, et illa luminaria magna, quæ illuminant orbem, ad horam exstincta sunt. Nonne illis obtenebrantibus, tenebræ factæ sunt super universam terram, et illa duo luminaria magna cum illis luminaribus semota sunt? Hoc autem totum factum est, ut averterentur oculi tui, ne viderent vanitatem, et si viderent, non ei adhærerent. Aures illæ, quæ in cœlis audiunt : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus Sabbaoth,* audierunt in terra dæmoniacorum voces : *Tolle, tolle; crucifige, crucifige.* Utquid istud? Ne aures tuæ obsurdescerent ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus, apertis poris, usquequaque susciperent. Speciosa illa facies speciosi forma præ filiis hominum, sputis illita est, afflicta colaphis, addictaque delusionibus. Quare hoc? Ut facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, et diceretur de te : Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati. Os illud quod Angelos docet, homines instruit, quod dixit et facta sunt, felle potatum est et aceto. Sed hoc factum est ut veritatem et judicium loqueretur os tuum, et confiteretur Dominum Deum suum. Manus illæ, quæ fundaverunt cœlos, extensæ sunt in cruce, clavisque transverberatæ durissimis, ut manus tuæ extenderentur ad inopem. Pectus illud in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei abs-

conditi, lancea militari perfossum est, ut pectus tuum a pravis cogitationibus mundaretur, mundatum sanctificaretur, et sic sanctificatum conservaretur. Pedes illi, quorum scabellum adorare debemus, quoniam sanctum est, dura transfixione transfixi sunt, ne pedes tui festinarent ad malum, sed currerent viam mandatorum Domini. Quid plura? Pro te carnem et animam posuit, ut corpus et spiritum sibi vendicaret. Totum toto, se te comparavit. Huic igitur omnem vitam tuam, o homo, debes, quoniam vitam suam pro tua posuit; et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuo sustineres. Cui vero justius vivam quam illi, qui si non moreretur, ego non viverem? » hæc *Bernardus*. Ad hoc etiam faciendum, et debitum Domino rependendum, idem *Bernardus* quasi monendo sic dicit : « O homo, respice oculo mentali, quanto remunerationis debito astringaris Domino patienti. Recole sudorem sanguineum, triginta argenteos, fictionis osculum, alaparum contumeliam, flagellorum instantiam, ictus arundinis, coronam spineam, sputi ludibria, crucis angariam, patibuli suspendium, oculos languentes, oris pallorem, fellita cibaria, amara pocula, spongiæ obsequium, caput inclinatum, latus perforatum, ulnas extensas, manus transfixas, pedes confossos, vocem lamentabilem, latrones altrinsecos, garrulationes irrisorias, titulum famosum, vestimenti sortem, geminatum *Crucifige*. Quid plura? vilissimum mortis supplicium, et probra nefandissima. » Et iterum : « Vide, homo, quo amore te dilexit Dominus Deus tuus, ut vestigia ipsius sequaris. Pro te ligatus est, ut te vinculis peccatorum absolveret. Pro te flagellatus est, ut te a flagellis æternæ iræ erueret. Pro te judicatus est, ut te a judicio æternæ damnationes liberaret. Pro te coronatus est spinis, ut te coronaret in cœlis. Pro te vulneratus est medicus, ut tu sanareris ægrotus. Pro te crucifixus, ut tuas concupiscentias crucifigeret. Pro te mortuus est, ut te a mortuis suscitaret. Pro te sepultus est, ut in te vitia sepeliret : » hæc *Bernardus*. Multa igitur pro nobis sustinuit Dominus Jesus, sed nos miseri, ad confusionem nostram, sæpius uno sermone fatigamur, unoque verbo dejicimur.

7 Multum valet contra iram Passionis memoria. — Omnia ergo, quæ Dominus Jesus passus, et quæ circa ipsum gesta sunt, mente revolve, ac diligenter pertracta ; et ex his te ad patientiam in omnibus adversis, quæ pateris, accinge viriliter et arma. Unde ait *Chrysostomus:* « Armemus nosmetipsos adversus omnem furorem, adversus omnem iram; et si inflammatum videris cor tuum, signa pectus, impone crucem. Convitiatus est tibi aliquis, recordare omnium quæ in Christo gesta sunt; et omnia exstinguentur. » Non solum legamus hæc omnia, sed et mente feramus ea. Sufficientia enim sunt hæc, continue revoluta, universam iram destruere. Et, si contumeliam, et si injustitiam patiamur, dicamus continuo hæc verba Christi : *Non est servus major Domino suo*. Propterea enim hæc omnia sustinuit, ut secundum ejus semitam gradiamur ; et nos contumelias feramus, quia maxime convitia a mente abjiciunt. Sed tamen ipse non solum tulit hæc, sed omnia egit, ut salvaret eos qui hæc faciebant. Hæc et nos zelemur. Unde idem *Chrysostomus* : « Nihil enim Deum ita propitium facit, ut inimicos amare, et his qui officiunt benefacere. Cum quis officit, non respicias ad ipsum, sed ad eum qui movet, scilicet ad dæmonem, et iram universam adversus illume vacua ; ipsius autem et miserere, qui ab illo movetur. Cum injuriantem videris, excogita quoniam diabolus est qui movet eum ; non enim Christianorum sunt injuriæ. Cum igitur quis injuriatus fuerit, memento tui Dominatoris, quoniam et per verba, et per res ei detrahebant, et ironiam multam ostendebant ; ipse vero non solum non ulciscebatur, sed et contrariis remunerabat in humilitate et mansuetudine. Hunc itaque et nos zelemur, ita enim poterimus et a convitio eripi omni Si enim non dolueris, non convitium patieris. Quid e-

nim doles? Si quidem injuste convitium pateris, hoc maxime tristari non oportet, sed illius misereri; si vero juste, multo magis silere oportet: neque doleas in verbis, sed corrigas in rebus. Quare si vigilaveris, dupla lucraberis: et propitium facere Deum silentio; et actionem accipere, ex his quæ dicta sunt, corrigere ea quæ acta sunt; et gloriam hanc humanam despicere. Etenim hinc dolor nobis sit, quoniam multi ad insensatorum suspicionem inhiant. Hæc igitur universa meditemur in operibus; si enim non hæc direxerimus, inaniter et vane in mundum venimus, magis autem et in malo. Non enim sufficit fides in regnum ducere, sed hæc maxime condemnare habet eos, qui vitam malam demonstrant. *Qui enim cognovit voluntatem Domini sui et non fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis.* Properemus igitur non ad exitum; etenim multis nobis opus est viaticulis, ut sufficientia æternæ vitæ accipientes viaticula, videamus Dominum nostrum Jesum Christum : » hæc *Chrysostomus.*

### ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora diei vespertina a Joseph de cruce deponi, et inter brachia ejus recipi voluisti, a Matre quoque tua mœstissima, et aliis amicis tuis planctus fuisti, fac me, quæso, Joseph crescentem in virtutibus quotidie; et da, ut peccata propter quæ crucifixus es, et iterum quasi in cruce ligaris, plangendo et deponendo merear te de cruce deponere; teque quasi fasciculum myrrhæ inter brachia amoris recipere, ubi digneris, Dilecte mi, semper commorari, et me a laqueis diaboli custodire, ne umquam vel hic, vel in futuro valeam a te separari. Amen.

## CAPUT LXVI

### DE SECUNDO COMPLETORIO, IN PASSIONE DOMINI.

Matthæi cap. XXVII, Marci cap. XV, Lucæ cap. XXIII, et Joannis cap. XIX.

1 Inungitur et involvitur corpus Christi. — Hora completorii cogitabis dolorosus et tristis, qualiter, tardante hora, rogat Joannes Dominam, ut permittat aptari et sepeliri corpus Domini nostri, antequam intret sabbatum, in quo non licet talia operari; et eo quod, propter nimiam moram, possent a Judæis pati calumniam. Tandem Domina tamquam grata et discreta, et cogitans quod ipsi Joanni esset per Filium commissa, amplius contendere noluit, ac signans et benedicens venerabile corpus, ut volebant aptari permisit. *Acceperunt ergo corpus Jesu* et unxerunt, *et Joseph involvit illud in sindone munda,* quam emerat; *et ligaverunt illud linteis* etiam aliis, scilicet : sudario quod capiti adhibebatur, et institis seu fasciis, quibus totum corpus alligabatur, quæ omnia etiam de lino erant, et, ut creditur, Nicodemus attulerat; ac etiam *cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire,* scilicet personas venerabiles : hoc enim acceperunt a patribus suis et senioribus. Domina tamen semper tenebat caput ipsius in gremio suo, quod sibi reservavit aptandum; et Magdalena pedes apud quos misericordiam est consecuta, tandem vero Magdalena pedes lacrymis rigatos devote abstergit, amplexatur, osculatur, et involvit, et aptat

fideliter, quam melius novit. Sic ergo, aptato reliquo corpore, respiciunt ad Dominam, ut ipsa compleat; et omnes planctum reincipiunt. Omnes enim sic amarissime flebant, ut vix quisquam eorum loqui posset. Videbant Matrem omni solatio destitutam; et super illam dabant potius planctum, quam super exstinctum Dominum suum. Reincipe etiam, et tu, planctum, si forte dimiseras eum. Tunc Domina videns quod amplius differre non possit, ponit vultum super faciem Filii, et ex inundantia lacrymarum multo magis lavit faciem, quam Magdalena pedes; abstergit autem et deosculans os ejus, in quodam sudario ipsum involvit, et diligenter aptat, iterumque benedicit eum, et signat. Et tunc omnes adorantes, flexis genibus, et pedes ejus osculantes, accipiunt et portant eum ad monumentum, quod a monte Calvariæ distat passibus quinquaginta : Domina tenebat caput, et Magdalena pedes; reliqui vero erant in medio. Unde *Anselmus* : « Sequere et tu pretiosissimum cœli terræque thesaurum; et porta vel pedes vel manus, brachiaque sustenta; terræ defluentes minutatim pretiosissimi sanguinis guttas curiosius collige; et pulverem pedum ejus linge. » — Dolorem, quem Maria in exsequiis Filii sui toleravit, olim David in exsequiis Abner præfiguravit. Abner a Joab fraudulenter interfectus erat; cujus interfectionem rex David, feretrum sequens, deflebat. David non solum ipse super exsequias ejus plorabat, sed etiam alios ad plorandum incitabat; ita beata Virgo Maria, et alii devoti discipuli exsequias Christi deplanxerunt, et corda sua intima compassione sciderunt.

2 Monumentum et exsequiæ Domini. — *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum*, ipsius Joseph, sumptuose factum; et in petra excisum, id est in uno lapide, secundum quantitatem hominis concavatum; *in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt* et sepelierunt *Jesum*, reverenter et devote, flexis genibus, magnis singultibus, et suspiriis validis; et sic Dominum vitæ dederunt sepulturæ mortis. Sepelierunt eum in loco propinquo, quia non poterant longe portare, propter solemnitatem sabbati imminentem. Unde *Chrysostomus* : « Quia vero brevitate temporis urgebantur, et vespera imminebat, ideo ponunt eum in proximum monumentum. » Unde et *Augustinus* : « Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret; quando jam propter Parasceven facere aliquid tale non licebat. » Tunc, ut ait idem *Augustinus*, illius exsequias Angelorum millia millium decantabant, qui omnes convenerant ad sepulchrum Domini sui. Illi cantabant laudes, sed Maria dabat gemitus et suspiria cordis. Dispensative autem in novo ponitur monumento, ubi nullus positus erat : ut, secundum *Ambrosium* et *Chrysostomum*, non alius qui cum eo jaceret, surrexisse a perfidis diceretur; vel, secundum *Augustinum*, sicut in Mariæ virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est, ita in hoc monumento ante illum nemo post illum sepultus est. *Et*, secundum *Hieronymum*, Joseph ab Arimathæa *posuit eum in monumento*, *quod erat excisum de petra*, ne si ex multis lapidibus fuisset ædificatum, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur. Item, secundum *Augustinum*, si etiam sepulchrum fuisset in terra, dicere poterant : Suffoderunt terram, et furati sunt eum. Quod autem in alieno sepulchro Christus ponitur, paupertatem ejus testatur. Unde *Theophilus* : « Attende etiam abundantiam pro nobis susceptæ paupertatis; namque domum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulchro reconditur, et nudus existens a Joseph operitur. » Unde et *Anselmus* : « Pauper ita fuit Christus ut non in sua, sed in aliena domo nasceretur; et vivens in hoc mundo, non haberet ubi caput suum reclinaret; nec moriens, unde nuditatem suam tegeret; nec mortuus, unde involveretur, nec sepulchrum aut

locum, ubi corpus suum poneretur. » Ideo etiam, secundum *Ambrosium* et *Augustinum*, Salvator in aliena sepultura ponitur, qui pro aliena moriebatur salute. Utquid illi propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? Item, secundum *Ambrosium,* ad ostendendum quod non debuit detineri a morte. Non enim ille sepulchrum mortis desiderabat, qui de morte triumphum quærebat. Secundum *Hieronymum* autem et *Bedam*, ex simplici sepultura Domini, ambitio divitum condemnatur, qui nec mortui et in tumulis possunt carere divitiis. Sed, ut ait *Augustinus* : « Pompa funeris, agmina exsequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum : » hæc *Augustinus*.

3 Materia sindonis et aliorum linteaminum, quid doceant? — Non fuit in sepultura Domini aurum, non gemmæ, non sericum; sed linteamen purum et nitidum. Sindon enim pannus, seu tela de lino est; de quo etiam erant institæ, quibus corpus est alligatum; et similiter capitis sudarium. Unde, secundum *Hieronymum*, possumus intelligere quod corpus Domini, non auro, non gemmis, non serico, sed linteamine puro obvolvendum sit. Unde etiam, quia in simplici sindone involutum est corpus Jesu; ideo Sylvester Papa instituit, ut sacrificium altaris, non in panno serico, vel tincto, vel auro texto, sed puro linteo terreno et sindone munda consecretur et celebretur. « Ex eo autem, ait *Petrus Cantor*, quod dicitur, in sindone munda et in monumento novo, colligi potest pallas altaris, dalmaticas, casulas, albas, sicut nec sindonem, fieri debere de aliqua veste prius in communes usus assumpta, propter reverentiam tanti sacramenti; sed ex nova, prius non induta, quæ Domino consecrata, non debet ad communes usus assumi. Sed nonne corpus Christi ponitur sæpe in aureis scyphis? Ita, sed mediantibus pixidibus novis : » hæc *Petrus Cantor*.

4 Magnus lapis sepulchro advolvitur. — Sepulto autem Domino, Mater ejus omni corde amplexabatur sepulchrum et qua poterat voce, benedicebat Filium suum. Ad sepulchrum sedens innixa illi manus extendebat; et de super illud exosculans, amaro nimis Dominum singultu deplorabat. Accessit Joannes, et lugens ipse multum levavit eam lugentem; *et*, exeuntibus omnibus de monumento, *advolvit Joseph lapidem*, Matthæus dicit *saxum magnum*, quasi pro clausura, *ad ostium monumenti*, ne ipse locus bestiis esset pervius; ceteri vero adjuvabant eum : lapis scilicet erat magnus, qui non posset de facili et sine multorum auxilio amoveri; ne aliquis veniens posset rapere Christi corpus, quia per illud ostium erat ad sepulchrum ingressus. In quo patet virtus Resurgentis, quem non potuit retinere magnus lapis; et tollitur omnis in Resurrectione ejus suspicio, quia nec ab aliquo fieri potuit violentia, aut furtum, autfictio. Unde ait *Augustinus* : « Si fuisset lapis parvulus suppositus, dicere poterant : Dormientibus nobis, tulerunt eum. » Unde et *Hieronymus* : « Saxum enim magnum appositum ostendit non absque auxilio plurimorum sepulchrum potuisse reserari. »

5 Mystica Christi sepultura in corde nostro. — Mystice, in actibus Joseph et Nicodemi signantur plura requisita in nobis, si Christus in corde nostro debeat sepeliri. Nam debet communicans esse involutus linteaminibus, per mundam affectionem, et conscientiæ puritatem; in sindone enim munda Jesum involvit, qui eum pura mente et puro corpore suscipit : decet namque non solum pura anima, sed et corpore puro, Corpus Christi suscipere. Involvere autem oportet, quia mysterium ejus clausum et occultum est. Debet etiam unctus esse aromatibus, per ferventem devotionem; cum myrrha enim et aloe Jesum involvit, qui crucifixum in corde cum amaritudine pœnitentiæ et compassione recondit. In novitate vero monumenti designa-

tur, quod cor debet esse per gratiam et puritatem innovatum, et ab omni vetustate peccati purgatum, priusquam ad Corpus Christi accedat, in quo corde etiam ponit eum quando de ipso jugiter cogitat, quia monumentum dicitur, quasi monens mentem. Sumpturus igitur Eucharistiam, videat ut cor suum sit quasi monumentum novum, in quo locetur; et quasi hortus in quo delectetur; ne in monumento suo alius positus sit, vel circa hoc quidquam inutile excreverit, quod erit, si bene per pœnitentiam mundatum fuerit et innovatum, alioquin non poterit, in eo digne sepelire Christum. Per monumentum autem lapideum, in petra excisum, designatur cordis stabilitas, quia debet in bono proposito esse firmum; et fidei soliditas, in qua apud Ecclesiam sepultus est Christus, hoc est fides Christi, supra quam petram ædificata est Ecclesia. Sed pro custodia omnium prædictorum, debet adhiberi longanimitas perseverantiæ, ut mens Corpus Christi recipiens, in prædictis conditionibus intendat finaliter perseverare; et hoc designatur per saxum ostio monumenti advolutum. Ille etiam, sepulto Christo in corde suo, advolvit pro clausura lapidem magnum ad ostium, qui se claudit ne possit ingredi peccatum; et ponit diligens obstaculum contra peccati recidivum, ne Christus eum deserat et relinquat, donec a mortuis ipsum resurgere faciat. Unde ait *Ambrosius :* « Cui pulcherrime lapis admotus est, ne pateret; quicumque enim in se humaverit Christum, diligenter custodiat ne eum perdat, ne perfidiæ sit ingressus. » Unde et *Hilarius :* « Et, quia nihil præter eum oporteat in pectora nostra penetrare, lapis ostio advolvitur, ut nihil absque eo inferatur. » Voluit autem Christus in monumento justi, scilicet Joseph, sepeliri, ad ostendendum quod non requiescit nisi in corde justi, et quod non amplius peccatorum consortia volebat, quia amplius pro ipsis non moriturus erat. Unde *Ambrosius :* « Mystice autem justus Christi corpus sepelit; talis enim est Christi sepultura, quî fraudem iniquitatemque non habebat. Justus autem corpus Christi operit sindone; vesti, et tu, Domini Corpus gloria sua, ut et ipse sis justus. Bene autem in monumento conditur justi, ut justitiæ habitatione requiescat : » hæc *Ambrosius.*

6 Sepulchri Dominici forma et situs. — De monumento Domini fertur quod domus seu spelunca fuerit rotunda, de subjacente rupe excisa; erat enim lapis seu rupes grandis in horto, in cujus latere erat monumentum excisum seu spelunca, habens octo pedes longitudinis, et totidem latitudinis, et tantæ altitudinis, ut homo intro consistens, et in ejus pavimento rectus stans, vix posset manu extensa culmen attingere; introitum patulum habens ad Orientem, cui lapis ille magnus advolutus atque appositus erat pro ostio. In cujus monumenti parte aquilonari sepulchrum Domini, hoc est locus Dominici corporis, de eadem petra est excisus, septem pedes et medium habens longitudinis, et a cetero pavimento altius eminens; tres palmos et medium habens altitudinis, ejusdemque existens latitudinis cujus est altitudinis. Qui videlicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum est patulus. Unde inde inferebatur corpus, ut esset quasi sarcophagus superpositus fundamento et inclinatus super latus, aperturam habens a latere, et non superius. Color autem ejusdem monumenti ac loculi rubicundo et albo dicitur esse permixtus. Monumentum igitur factum, erat ad modum cujusdam domunculæ, intra quod erat sepulchrum Christi positum. Sic enim sepulchra Judæorum, antiquitus, et maxime magnarum personarum solebant fieri, ut eorum filii possent ibi etiam sepeliri. Propter hoc dicitur frequenter de regibus Juda : *Sepultus est in sepulchro David,* etc. Est autem ibi in eodem loco, ob reverentiam Dominici sepulchri, artificioso opere, forma rotunda uno tantum foramine superius aperto, Dominicæ Resurrectionis ecclesia maxima constructa, continens

montem Calvariæ, ac locum sepulchri, et multa loca sacra; in qua sepulchrum Domini est intra quamdam cellam rotundam pulchris lapidibus constructam. Hæc siquidem ecclesia Dominici sepulchri est Patriarchalis, et olim habebat canonicos regulares et priorem, secundum habitum et regulam sancti Augustini viventes, quibus loco Abbatis Patriarcha præerat, cui soli obedientiam promittebant. Hæc ecclesia inter sancta et venerabilia loca, non immerito obtinet principatum, in cujus loco tam magna et mira per Dominum sunt facta et ostensa.

7 Feriæ sextæ, qua Christus mortuus et sepultus est, mysterium. — *Et dies erat Parasceves*, id est præparationis, scilicet sexta feria, in qua præparabantur illa quæ in sabbato comedi debebant; *et sabbatum illucescebat*, quia vespera ad sabbatum pertinens instabat, a qua solemnitas sabbati incipiebat. Ubi sciendum, quod sicut homo sexta feria creatus est, et peccavit; sic Christus sexta feria pro homine mortuus est, et satisfecit. Unde et dixit : *Consummatum est*, opus scilicet recreationis, sicut eadem die consummatum fuit opus creationis ; et sicut sabbato requievit ab omni opere suo, sic sabbato quievit in sepulchro, in signum quod in hac sexta ætate pro eo operari, et pati debemus, ut in septima cum ipso quiescamus ; donec in octava, veniente gloria Resurrectionis, cum ipso simul gaudio perfruamur. Unde *Beda* : « Parasceve Græce, Latine *præparatio* interpretatur, quo nomine Judæi, qui inter Græcos conversabantur, sextam sabbati, quæ nunc a nobis sexta feria vocatur, appellabant ; eo quod in illo ab opere suo requievit Deus, unde et hanc sabbatum, id est requiem vocari præcepit. Recte Dominus eadem die sexta crucifixus, humanæ reparationis implevit arcanum; sabbato autem in sepulchro requiescens, Resurrectionis, quæ octava die ventura erat, exspectabat eventum. Unde nostræ simul devotionis ac beatæ retributionis præluceat exemplum, quos in hac quidem sexta mundi ætate pro Domino pati, et velut mundo crucifigi necesse est; in septima vero ætate, id est cum lethi quis debitum solvit, corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace, cum Domino manere, et post bona oportet opera quiescere ; donec octava tandem veniente ætate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata, cum animabus simul incorruptionem æternæ hereditatis accipiant. Unde pulchre septima dies in Genesi vesperam habuisse non legitur : quia requies animarum, quæ in illo seculo nunc est, non consumenda mœrore, sed pleniori gaudio futuræ est resurrectionis adaugenda : hæc *Beda*. Ubi etiam nota, quod inter cetera mysteria, quæ hodie Ecclesia facit, hoc unum est, quia hodie pro omnibus orat. Cujus oratio est, quia Christus fuit hodie valde pius, in parcendo, quoniam orans dixit : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* ; fuit valde liberalis, in largiendo, quia ad modicam petitionem dedit latroni regnum cœlorum dicens : *Hodie mecum eris in Paradiso*; fuit valde largus, in redimendo, quia non guttam, sed totum sanguinem pro nostra redemptione dedit, unde in Psalmo : *Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio*. Ideo Ecclesia, ad similitudinem Christi, est hodie multum liberalis in orando, et multum pia in parcendo, Hodie etiam fideles ecclesias omnes, et altaria visitare consueverunt, cujus triplex ratio est : prima est, quod illa visitatio repræsentat visitationem Apostolorum et sanctarum mulierum, quæ crebro visitabant sepulchrum ; secunda est, quia Christus hodie omnes Sanctos, qui fuerunt a principio mundi usque nunc præsentialiter visitavit, dum ad limbum descendit ; tertia ratio est, quia Sancti hodie debent valde liberales esse, fuerunt enim hodie de carcere liberati, et in cœleste regnum sublimati : si quis enim de carcers liberaretur, et in imperium sublimaretur, illam diem utique multum diligeret, et in illa die multum liberalis esset; merito igitur hodie fideles Sanctos visitant, ut ab ipsis de car-

cere liberatis, et in imperium sublimatis, beneficia valeant obtinere.

8 Devotio et constantia mulierum circa Domini sepulturam. — *Mulieres autem, quæ* erant Christo devotæ, et *cum eo venerant de Galilæa*, funus *subsecutæ, viderunt monumentum et quemadmodum positum erat corpus ejus*, id est quomodo et in quo loco corpus Domini poneretur ; sic autem diligenter curaverunt respicere et notare, ut postea ei tempore congruo munus suæ devotionis possent offerre, et officium funeri impendere, ac corpus ejus inungere. Per hoc significatur, quia animæ devotæ debent mysterium Passionis Christi sollicite considerare, et eam pro posse imitari. Unde *Beda* : « Sed et hactenus sanctæ mulieres die Parasceves, id est præparationis, idem faciunt, cum animæ humiles et quo majoris sibi consciæ fragilitatis, eo majori Salvatoris amore ferventes, Passionis ejus vestigiis in hoc seculo, quo requies est præparanda futura, diligenter obsequuntur ; et si forte valeant imitari, pia curiositate quo ordine sit eadem Passio completa, perpendunt. Qua lecta, audita, et bene recordata, mox ad parandum opera virtutum, quibus Christus delectetur, se convertunt ; ut finita præsentis vitæ Parasceve, in requie beata exspectent tempore resurrectionis, occurrere Christo cum aromatibus spiritualium actionum : » hæc *Beda*. Joseph autem et Nicodemus inclinantes Domino, et adorantes sepulchrum, recesserunt ; Maria vero et alii, qui arctius amabant, remanserunt : *Erat autem ibi Maria Magdalene et altera Maria, sedentes contra sepulchrum*, et lamentantes Dominum, et exspectantes ejus promissum. In quo ostenditur earum constantia, et fervor dilectionis erga Dominum, quia, recedentibus discipulis ac aliis notis, adhuc remanebant circa sepulchrum. Unde *Hieronymus* : « Ceteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perseverant, exspectantes quod promiserat Jesus ; et ideo meruerunt primo videre resurgentem, quia perseveraverunt usque in finem. » Unde et *Rabanus* : « Aliis notis Jesu ad sua redeuntibus, solæ mulieres, quæ ardentius amabant, obsequium funeris inspiciebant, exspectantes quod promiserat ; et ideo post Resurrectionem primo Christum vident. Beatæ mulieres, quæ ministraverunt viventi, adstiterunt morienti, ac obsecutæ sunt sepulto, et sic congavisæ sunt resurgenti ! » Unde etiam *Chrysostomus* : « Vidisti mulierum fortitudinem, vidisti dilectionem, vidisti magnanimitatem, quæ usque ad mortem fuit. Imitemur has mulieres nos viri ; neque derelinquamus in tentationibus Jesum : » hæc *Chrysostomus*. Per devotionem quippe harum mulierum ostenditur, quia devotæ personæ mundo mortuæ debent cum Christo per compassionem sepeliri, ut mereantur Resurrectionis ejus participes fieri. Lava ergo et tu lacrymis corpus ejus sacratissimo sanguine aspersum ; et unge ipsum unguentis sanctæ orationis ; et porta brachiis caritativæ et humilis operationis ; et sepeli cum aromatibus bonæ conversationis, ac bonis doctrinis et exemplis, cum multis gemitibus ac planctibus et lamentis ; et cooperi sub amoris et devotionis pavimento conscientiæ tuæ in sindone et castitate mentis, ac sudario et labore pœnitentiæ ; et sedebis ibi juxta eum ad monumentum, donec videas ipsum a mortuis resurgentem. Quæso, ne mortuum pro te dilectum rejicias, sed totis desideriis in sepulchro cordis recipias ; stringas candidissimis cogitationum et purissimis affectionum linteaminibus, roseas, speciosissimas, amorosissimas ejus plagas ; donec te ducat in Resurrectionis suæ lætitiam mirabilibus dotibus decoratam, et in Ascensionis suæ excellentiam super omnes cœli ordines elevatam. Et nota, quod licet in hac sepultura Christus nihil passus fuerit, quia mortuus ; tamen hoc factum in se miserabile fuit et lamentabile, propter rationes et causas supra, circa depositionem Domini de cruce, tractatas.

9 Quatuor documenta e sepultura Christi, actus conformationis et oratio. — Ex isto articulo sepulturæ trahuntur plura documenta. Primum est,

secundum *Theophilum*, quod nos simus imitatores Joseph in hoc, quod, quando corpus Christi susceptum fuerit a nobis, et involutum, tunc debemus ipsum ponere in monumento novo exciso in petra, id est in mente nostra Dei imagine insignita, renovata et firmata in Christo, qui est Petra, ut dicat illud Canticorum : *Tenui eum, nec dimittam.* — Secundum est, quod sicut Dominus passus mortuus, et sepultus, lamentatus fuit ; sic et nos lamentari eum debemus, per compassionem et veram compunctionem. — Tertium est, quod sicut Christus sepultus custoditus fuit, sic et nos eum in mente nostra sepultum firmiter custodire debemus, ne latrunculi, id est dæmones sepulchrum cordis nostri subintrent, et furentur nobis Jesum. — Quartum est, quod et nos qui spiritualiter mortui sumus peccatis, consepeliamur etiam cum Christo ; ita ut abscondamur et quiescamus a peccatis, sic quod vetus homo in nobis amplius non resurgat. Unde Apostolus : *Consepulti*, inquit, *sumus cum Christo per Baptismum in mortem.* Ubi ait *Glossa* : « Christus in persona veteris hominis habebat membra confixa in cruce, ne ad priores actus moverentur, a quibus etiam mortuus et sepultus quievit humanis subtractus aspectibus, per hoc exigens a nobis, ut membra nostra continentiæ et justitiæ clavis confixa habeamus, ne ad priora mala redeamus, a quibus etiam ita perfecte quiescamus, ut nec eorum visio, nec memoria habeatur ; et sic veteri homine in nobis crucifixo, mortuo, et sepulto, ad bona resurgentes, in novitate vitæ ambulemus : » hæc in *Glossa.* — Ad conformandum se huic articulo, imaginetur homo quasi cor suum sit Christi sepulchrum, et inibi ipsum venerabiliter recondat, reconditum lamentabiliter defleat, et diligenter custodiat, ne ipsum amittat. Consepeliat semetipsum in eodem sepulchro cum Jesu, et ruminet sensum documentorum de quibus supra, vel alias sicut Deus ministrabit. *Jesu, qui in monumento sepeliri, lamentari, et custodiri voluisti, da mihi, te in corde meo spiritualiter sepelire, lamentari, et diligenter custodire*; *ut et ego tibi consepultus tecum merear ad resurrectionis gloriam pervenire. Et qui positus in sepulchro a visu hominum es segregatus, in pace dormiens, absconde interim me servum tuum in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum, ut, mundo mortuus, tibi vivens in te dormiam, et suaviter in te requiescam.*

10 Modus quadruplex nos cum Christo sepeliendi. — Hic nunc videndum est, qualiter debemus cum Christo sepeliri. Sepulchrum autem istud in quo debemus sepeliri, est ipsa religio, in qua ipse religiosus spiritualiter debet mundo mori et sepeliri. Assimilari autem debet religiosus mortuo et sepulto, quantum ad plurima. — Primo, quantum ad censum rerum : quia sicut mortuus et sepultus nihil proprium habet ; sic et religiosus nihil proprium habere, sed omnia in communi dividere debet. — Secundo, quantum ad sensum carnis et motuum, quia sicut mortuus privatur sensu, nec sensibilibus gaudet, sic et religiosus debet esse mortuus quantum ad delectationes, quæ ad sensum carnis pertinent ; et sicut mortuus, moventi se non contradicit, sic et religiosus prælato se regenti non debet contradicere, sed in omnibus obedire. — Tertio, quantum ad domicilium, quia sicut mortuus clauditur in sepulchro, sic et religiosus debet esse clausus in claustro ; et sicut mortuus de monumento non exit, nisi ad jussionem Dei, scilicet die judicii, sic nec religiosus debet exire claustrum sine jussione prælati ; et sicut mortuus non murmurat quando transfertur de monumento in monumentum, sic nec religiosus debet murmurare quando tranfertur de monasterio ad monasterium. — Quarto, debet assimilari maxime morti Christi : in morte enim Christi anima fuit a carne separata, anima tamen et caro fuerunt divinitati unitæ ; sic in vero religioso anima debet esse separata a carne, ut scilicet carni non consentiat in aliquo carnali amore, anima tamen et caro Deo debent esse unitæ : anima per amorem, caro per incorrupti-

onem, ut possit dicere cum Propheta : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

11 Figuræ sepulturæ Domini. — Sepulturam Christi olim filii Jacob præfiguraverunt, qui fratrem suum Joseph in cisternam miserunt. — Hanc etiam Jonas præfiguravit, quem projectum de navi in mare cetus devoravit. Jonas fuit per tres dies et noctes in ceto, ita Christus fuit usque ad triduum in monumento.

12 Memoria septem horarum Dominicarum. — Nunc recogita qualiter Dominus tuus septem horis prædictis pro te passus sit, et ausculta eum quasi te moneret et diceret : Cum primo nocte surrexeris, ob reverentiam illius amoris, quo me vinctum tradidi in manus malorum et quo factus sum obediens usque ad mortem; disponas in corde tuo obedire velle ad omnia quæ tibi injunguntur. Circa Primam, ob reverentiam humilitatis, qua coram indigno judice velut agnus mansuetus steti ; subjicias te omni creaturæ propter me, et ad quæque vilia opera sis paratus. Ad Tertiam, ob amorem, quo ego contemptus, consputus, et opprobrio saturatus fui; teipsum contemnas et vilipendas, et opprobria sustineas. Ad Sextam, crucifigas tibi mundum, teque mundo, recogitans qualiter ego, omnium Creator, pro amore tuo crucifixus sum, et ideo omnia delectabilia mundi sunt tibi quasi crux amara. Ad Nonam, moriaris mundo et omni creaturæ, scilicet ut amara mors in tantum corde tuo dulcescat, ut omnis creatura desipiat. Circa Vesperam, qua de cruce depositus sum, recolas in gaudio qualiter, post mortem et omnes labores tuos, felici requie pausabis in sinu meo. Ad Completorium, memor sis unionis illius, qua spiritus unus mecum effectus, meipso in summa experientia perfrueris ; quæ unio hic in via incipit per voluntatis meæ et tuæ concordiam in omnibus, tam adversis quam prosperis, et in futuro complebitur per æternam gloriam in cœlis.

13 B. Maria Virgo, postquam crucem adoravit, mœsta recedit a monumento. — Appropinquante autem nocte, dicit Joannes Dominæ quod eis expedit recedere, quia non est conveniens ibi morari, vel de nocte ad civitatem redire. Tunc Domina prout potest, surgit, et ad monumentum genuflectit, et ipsum amplectitur ac benedicit. Nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflicta ploratibus, nequibat stare pedibus. Tamen. sicut poterat, a mulieribus sanctis adjuta, cunctis plorantibus simul cum ea, cœpit recedere. Cum autem venerunt ad crucem, ibi ipsa genuflexit, et crucem adoravit : similiter et omnes fecerunt Cogitare namque potes, quod ipsa fuit prima quæ crucem adoravit, sicut et prima quæ Filium natum adoravit. Hæc autem sancta crux, post Passionem et Resurrectionem Domini per Judæos, cum crucibus latronum, sub monte Calvariæ profunde sub terra abscondita fuit, ubi ducentis annis et amplius, usque ad tempora Constantini et Helenæ latuit ; sed Helena in lapide plus quam viginti passibus fodere faciens, ipsas tres cruces invenit, quibus sublatis, crucem Domini ab aliis, signo resurrectionis mortui probavit et discrevit. Ipse autem locus in quo crux inventa est, distat a loco Calvariæ decem pedibus, versus Orientem descendendo, ubi in ecclesia quæ continet montem Calvariæ, est crypta profunda, inferior pavimento quadraginta gradibus, vel circa ; et sunt ibi quatuor columnæ, quæ dicuntur mortem Domini flevisse. Deinde recedunt versus civitatem, et per viam sæpe Domina se vertebat retro, aspiciens per compassionem. Intrantibus autem illis civitatem, multi videntes Dominam, moti pietate super illius dolore, ad luctum convertebantur amarum ; et concurrunt undique bonæ matronæ, et virgines ambulantes post ipsam, et associantes eam per viam, et consolantes, ac etiam lamentantes eam. Sed et boni homines, per quos transibat, compatiebantur eidem, et movebantur ad fletum Undique fit ploratus magnus et luctus. Nam dolor ejus multos faciebat dolentes. Vix lacrymas continere poterant, quicumque eam plorantem videbant. Fiebat lu-

ctus quocumque transibat Maria : plorabat ipsa, plorabant et omnes ambulantes cum ea, plorabant et multi venientes obviam ei. Sic utique deducitur a plorantibus plorans, quousque perventum est ad domum Joannis. Cum autem venerunt ad domum, tunc ipsa vertens se versus dominas illas, inclinavit se agens gratias. Illæ vero inclinantes se eidem valedixerunt, et cum lacrymis recesserunt. Intravit ergo Domina domum, ibi resedit, ibi permansit; et eam Joannes in sua cura et custodia retinuit, ac super propriam matrem omni corde amavit. Flebat et plangebat valde cum Joanne et Magdalena et sororibus suis. Solvebat dolore amaras lacrymas, Filii sui mortem nimis amaram in corde suo recolens, ac Passionis loca, et cuncta quæ passus fuerat in animo volvens. Tandem Joannes hortando quod desisteret, consolatus est eam, ut poterat. Tu quoque experiaris vires tuas, si scires eam consolari et confortare, quod parum comederet, et alios comedere faceret, quia adhuc jejuni sunt, et refectione indigent, ac eis parare, et ministrare coneris; et postea, benedictione ab ea et aliis singulis accepta, recedere poteris.

14 Feriæ sextæ insignia. — Hic nota, quod hodie, scilicet die Parasceves, non consecratur hostia; quia vera hostia hodie est oblata. In hac etiam sexta feria, in qua passus est Christus, multa sunt facta diversis annis et vicibus, de quibus sunt isti versus :

*Salve, festa dies, quæ vulnera nostra coerces :*
*Angelus est missus, est passus et in cruce Christus ;*
*Est Adam factus, et eodem tempore lapsus.*
*Ob meritum decimæ, cadit Abel fratris ab ense.*
*Offert Melchisedech, Isaac supponitur aris.*
*Est decollatus Christi Baptista Joannes.*
*Est Petrus ereptus, Jacobus sub Herode peremptus.*

15 Judæorum perversitas Christum seductorem vocantium. — Tædet jam audire, et recitare Judæorum blasphemias : *Altera* enim *die, quæ est post Parasceven* jam incepta, scilicet cum jam sexta feria transisset, et sero facto, post solis occasum, sabbatum jam intravisset, *convenerunt* iterum *principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, dicentes : Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam.* Quod dicunt illi ex invidia est, quæ etiam proprium nomen non patitur, et dicentes seductor, hoc quod ipsimet erant, Domino imponunt. Non sufficit seductoribus scelus mortis, nisi et post lacerent famam ejus. Est autem seductio duplex, scilicet bona et mala : prima est seductio sanctitatis, scilicet a falsitate in veritatem, de qua seductione dicit Jeremias : *Seduxisti me, Domine, et seductus sum*; alia est seductio perversitatis, scilicet a veritate in falsitatem, et hæc est quam imponunt Judæi Christo. Unde *Hieronymus* : « Principes autem sacerdotum, licet immensum facinus in nece Domini perpetraverint, tamen non sufficit eis, nisi etiam post mortem ejus conceptæ nequitiæ virus exerceant, famam ejus lacerantes; et quem innocentem sciebant, seductorem vocant. Sicut autem Caiphas ignorans ante prophetaverat, dicens : *Expedit unum hominem mori pro populo, et non tota gens pereat*; sic et modo. Seductor enim erat Christus non a veritate in errorem mittens, sed a falsitate ad veritatem, a vitiis ad virtutes, a morte ad vitam ducens : » hæc *Hieronymus*.

16 Custodum positio et sigillorum appositio resurrectionem Domini irrefragabilem redditura. — Et subjungunt Judæi : *Jube ergo custodiri sepulchrum, usque in diem tertium, ne forte veniant discipulis ejus et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit a mortuis.* Stulti custodiam petunt, quasi in sepulchro teneri valeat qui ubique est, et omnia continet. Ubi *Ambrosius* : « Quanta malitia sacerdotum, qui non tantum Magistro, sed etiam discipulis detrahunt! » Addunt : *Et erit novissimus error pejor priore.* Ubi *Rabanus* :

« In hoc autem ignoranter verum dicunt. pejor enim fuit contemptus pœnitentiæ in Judæis, quam error ignorantiæ. Pejor erat infidelitas Resurrectionis, quam crudelitas Passionis. Confitentur ergo plane quod prius fuit error in nece Domini. » Ubi etiam *Chrysostomus* : « Vide autem qualiter etiam nolentes concertant ad demonstrandam veritatem. Irrefragabilis enim demonstratio Resurrectionis facta est per ea quæ prætenderunt. Quia enim custoditum est sepulchrum, nulla fraus facta est. Si autem fraus facta non est, manifeste et irrefragabiliter Dominus surrexit : » hæc *Chrysostomus*. *Pilatus* vero jam fatigatus *ait illis* : *Habetis custodiam*, id est do vobis licentiam ponendi custodes, et concedo quod accipiatis milites ad custodiendum eum pro vestra voluntate ; *ite* et *custodite sicut scitis*. Quasi diceret : Si debet resurgere. male poteritis custodire. Quam impius et fatuus erat Pilatus, qui sicut Christum permisit occidi, ita et custodiri ; eum morti adjudicavit, eis etiam custodes dedit. *Illi autem abeuntes*, et venientes illuc primo corpus ejus inspiciunt, et eum, qui Auctor vitæ claruerat, in infernis claustris retentum, se deprehendisse lætantes, ipsius *munierunt sepulchrum cum custodibus*, scilicet milites armatos custodes posuerunt; deinde *signantes lapidem*, qui erat in ostio monumenti unde accessus in sepulchrum erat, sigillum Præsidis ac etiam sigilla sua ei apponunt, ne aliquis sine scitu eorum ingredi possit; et diligenter omnia fecerunt. Et in hoc apparet malitia eorum, quia etiam in custodibus non confidunt , sed insuper sigilla apponunt. Hoc autem totum Dominus voluit fieri, propter majorem certitudinem Resurrectionis suæ, ut et ipsi, quamvis nolentes, sibi tamen testes sint Dominum resurrexisse, et nullo modo sic positum furari potuisse : *Non est enim consilium, nec sapientia, nec fortitudo contra Dominum*. Et recte in tali loco Dominus sepulturam suam elegit, ubi nulla possibilitas fodiendi esset, quatenus omnem occasionem calumniandi Judæis auferret, ne forte, si in maceria circumclusus esset, vel quolibet pariete, dicerent ipsi discipulos illius furatos eum fuisse. Unde *Hieronymus* : « Non suffecerat principibus sacerdotum et Scribis et Pharisæis crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent, et signarent lapidem, et quantum in illis est, manum opponerent resurgenti ; sed ut diligentia eorum nostræ fidei proficeret, quando enim diligentius servatur, tanto magis Resurgentis virtus ostenditur. » Unde et *Chrysostomus* : « Et in durissimo lapide monumentum, fuerat excisum, et grandis lapis positus est ad ostium, et custodia ponitur militum in circuitu ; ut quanto fortius servatur ne furari posset, tanto magis virtus Dei appareat cum resurrexerit. Si enim sepulchrum fuisset in terra, dicere poterant : Suffoderunt terram, et furati sunt eum. Si fuisset lapis parvulus positus, dicere poterant : Parvulus lapis fuit, et dormientibus nobis, tulerunt eum. » Et iterum : « Diligentia Scribarum prodest fidei nostræ. Servate, Pharisæi, servate. Deus includi non potest, Deus in sepulchro teneri non potest, qui fecit cœlum et terram, cujus in pugillo terra est et cœlum, qui appendit mundum in tribus digitis. Qui ergo appendit mundum, uno sepulchro non potest contineri. » Unde etiam *Hilarius* : « Metus furandi corporis, et sepulchri custodia atque obsignatio, stultitiæ atque infidelitatis testimonium est, cum prius præcepto Domini conspexissent de sepulchro mortuum suscitatum : » hæc *Hilarius*.

17 Pilati Herodisque exsilium et obitus. — Pilatus autem prædictus, postmodum in multis apud Tiberium Cæsarem a Judæis accusatus, deportatus est in exsilium Lugdunum, unde erat oriundus. — Herodes vero, qui consensit Pilato in nece Domini, deportatus est in exsilium Viennam, et mortuus ibi est.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, qui hora Completorii aromatibus ungi et condiri, ac sindone et aliis linteis involvi, et ligari, Matre quoque tua et aliis amicis tuis lamentantibus ad sepeliendum portari et sepeliri voluisti; da mihi, quæso, ut te aromatibus inungam per ferventem devotionem, et bonam conversationem ; sindone et linteaminibus te involvam, per mundam affectione et conscientiæ puritatem ; lamenter te lacrymis pœnitentiæ et compassionis, portemque brachiis caritativæ et humilis operationis; et sepeliam te in corde meo, per jugem recordationem, et memoriam ; ut et ego tibi consepultus pervenire tecum merear ad resurrectionis gloriam Amen.

# CAPUT LXVII

### EPILOGUS DOMINICÆ PASSIONIS, ET DE LAUDE CRUCIS.

1 Passio Christi nobis eum reddit amabilem. — Considera nunc quæ pro salute hominis omni tempore, et specialiter hodie passus est Dominus, ut inde advertas quantum sibi debeat quilibet Christianus ; hæc enim quæ pro nobis passus est, super omnia quæ operatus est, valde amabilem eum nobis reddunt, et nos ad eum amandum fortius astringunt. Unde dicit *Bernardus* : « Valde omnino amandus est mihi, per quem sum, vivo, et sapio. Pro his ergo ita sum amans te, quantum possum. Sed est quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, bone Jesu, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis; hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc, inquam, est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illic denique : *Dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt*; hic vero : et in dictis suis sustinuit contradictores, et in factis observatores, et in tormentis illusores, et in morte exprobratores. » Et iterum : « Memento jam homo, etsi de nihilo te factum, non tamen de nihilo te redemptum. Sex diebus condidit omnia, et te inter omnia. At vero per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens! » hæc *Bernardus*. Unde et *Ambrosius* : « Plus itaque mihi contulit Deus redimendo, quam creando. Creando quippe me mihi dedit, redimendo autem, et seipsum dedit, et me mihi reddidit. Itaque, si me totum illi debeo pro me facto, quid jam addam pro me refecto? Non enim tam facile sum refectus, quam factus. Siquidem de omni quod factum est : dixit et facta sunt ; in me autem reficiendo, et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura, nec tantum dura, sed etiam indigna : « hæc *Ambrosius*.

2 Passus est Dominus omni ætate, membro et tempore. — Non est autem æstimandum quod Passionis suæ pœna, in ejus solum captione et traditione fuerit inchoata ; sed potius ab instanti suæ conceptionis usque ad mortem ejus duravit. Cum enim mortem suam acerbissimam, quam pro salute nostra pati voluit firmissime præsciret, et eam futuram infallibiliter cognosceret, oportuit quod in qualibet hora pro ea naturaliter doleret, præsertim cum cogitaret tantam doloris generalitatem, quæ per to-

tum corpus et omnia membra corporis, et per omnes vires inferiores animæ diffundi debebat. Multa vero de his Dominus passus est pro nobis, quæ colligi possunt ex verbis *Augustini*, dicentis : « Attende et intellige, anima mea, tempus beatissimæ Passionis. Passus est Jesus meus, amor meus, dulcedo mea, spes mea, beatitudo mea, consolatio mea, et in omni tempore, in toto corpore et in omni suo opere. In tempore infantiæ : angustias uteri, paupertatem, asperitatem, et humilitatem præsepii, consecutionem adversarii, fugam in Ægypto. In tempore adolescentiæ : disputationem, et præcipitationem. In tempore juventutis : amarissimam et turpissimam Passionem. Passus est etiam in toto corpore : in oculis, effusionem lacrymarum ; in auribus, auditum contumeliarum et blasphemiarum ; in genis, molestiam alaparum ; in naribus, fœtorem sputi ; in ore, amaritudinem aceti et fellis ; in manibus, vincula et afflictionem plagarum, sicut in pedibus ; in toto corpore, flagellationem. In opere vero detraxerunt prædicationi, conversationi, miraculorum operationi. Traditur et ligatur justus et innocens, sicut agnus ad sacrificium, et sicut latro ad suspendium ; et tamen non quærit vindictam, non ostendit impatientiam, imo arguit Petrum amputantem auriculam, cum posset obtinere a Patre legionem angelicam duodenam. Ligatur ergo sicut latro, accusatur ut latro, condemnatur ut latro, expellitur ut latro, plectitur inter latrones, ut princeps latronum. Ligaris, Domine ut solvas vincula peccatorum ; ut dissolvas colligationem impietatis et fasciculos deprimentes. Pungeris, bone Jesu, spinis, clavis et lancea, ut sit in nobis recta intentio, discreta operatio, manifesta dilectio. Flagellaris, ut a me flagella tuæ iracundiæ propulsares. Vulneratus es, Domine Jesu, propter peccata nostra, attritus propter scelera nostra ; ut sint plagæ tuæ nostrorum vulnerum efficax medicina. Tempus etiam, dulcis Jesu, tuam aggravat Passionem. Passus enim es tempore nocturno, diurno, frigido, æstivo. In Matutinis castigatus, in mane accusatus, in Tertia acclamatus, in Sexta condemnatus, in Nona cum clamore et lacrymis expirasti. Plange igitur et dole, et satage, anima mea, et deducant oculi tui lacrymas, et non taceat pupilla oculi tui super fratrem tuum decorum nimis, et amabilem super amorem mulierum, qui vestivit te coccino, et præbuit tuo cultui ornamenta. Dolebis enim, si consideras lacrymas mulierum, lacrymas piscatoris, lacrymas insensibilium ; si videas obtenebrationem solis, ut celaret membra Domini patientis, terræ motum, concussionem lapidum, resurrectionem corporum, apertionem monumentorum, et velum dissolutum ; lacrymas patientis, et lacrymas Genitricis. Dolet enim beata Virgo Mater de proditione et captione, de condemnatione, de crucifixione, potissime in commendatione et depositione.

3 Locus etiam et genus mortis passionem ipsius aggravat. — Locus etiam tuam, bone Jesu, aggravat Passionem. Passus est enim Dominus Jesus : in præsepio, in deserto, in templo, in hospitio, in itinere, in horto, in atrio, in prætorio, in loco crucifixionis. In præsepio, indigentiam ; in deserto, pugnam ; in templo, resistentiam ; in hospitio, observationem detentoriam ; in itinere, fatigationem et molestiam ; in horto, sudorem sanguinis, verbum et osculum proditoris, vexationem corporis, comprehensionem et ligationem cohortis ; in atrio, interrogationem, alaparum afflictionem, trinam negationem, accusationem : ibi in faciem conspuunt, colaphis cædunt, in faciem palmis percutiunt, insultando et illudendo Prophetam eum dicunt ; in prætorio iniquitatem testium, et accusationem infidelium, amarissimum flagellum, iniquum judicium, illusionem persequentium. Et vide perversitatem nimiam, iniquitatem maximam : judicatur Judex, deridetur Rex, et cruciatur Pontifex. Vide iniquuum judicium : ex parte testium, quia non conveniunt ; ex parte rei, quia accusatur innocens. Defecit etiam Pilatus

in isto judicio rectitudine animi : *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum*; defuit etiam justa causa, quia non culpa propria sed aliena; justus ordo, quia capitur et ligatur ante sententiam. Admittit Pilatus accusationem falsam, condemnat innocentem ad crucis ignominiam. Erubesce, Pilate, judex inique! Quomodo vinceris, superaris, subverteris, seduceris, qui prius eum eripere conabaris jure communi, consuetudine loci, et flagello corporis? Erubescite, infideles, et perfidi Judæi, qui Magistrum vestrum, ac Dominum vestrum crucifigitis et percutitis. Plectitur in loco crucifixorio, patitur namque Dei Filius, amor æternus, sincerus, dulcis et suavis : in mulieribus plangentibus, in Judæis infidelibus, in latrone blasphemante, in populo acclamante, in Matre lacrymante. Attende etiam et intellige, anima mea, genus mortis suæ Illud enim genus mortis fuit turpissimum, vilissimum, amarissimum, acerbissimum. Spoliatur enim vestibus, expellitur a civibus, cruciatur cum latronibus, illuditur a militibus. Illuditur in domo Herodis, in veste candida; in domo principis colaphis, sputis, et alapis; in prætorio judicis, in veste purpurea, in corona spinea, in salutatione, in genuflexione irrisoria; in cathedra crucis, in titulo, in consortio, in multiplici opprobrio. Fuit etiam amarissimum, si consideres : causalitatem, generalitatem, diuturnitatem, et acerbitatem. Causa enim non est tua, sed mea, o Domine Jesu, tu enim solus hominum fuisti absque macula. Passus est etiam generaliter. Ut videas igitur anima mea generalitatem hanc, vide lectum sponsi, non est floridus, non est aureus vel argenteus, sed durissimus; nescit enim stramina, desunt culcitra, linteamina, coopertoria, pulvinaria; vide titulum famosum, tripliciter a Pilato conscriptum; considera cibum ejus et potum, comitatum ejus, scilicet mulierum et latronum, verba et verbera, vincula et flagella, coronam et lanceam. Passus est etiam in omnibus partibus corporis, ut misericordia Redemptoris amoveret transgressus prævaricationis Acerbitatem etiam habet, bone Jesu, Passio tua : et propter innocentiam, ex parte tui; et propter excæcationem et ingratitudinem, ex parte populi; et propter compassionem, ex parte Matris, et tui dilecti collegii; et propter complexionem, ex parte corporis, quia pateris in partibus magis passibilibus et sensitivis, quod accidit propter raritatem et teneritudinem carnium, propter multitudinem ossium, et collectionem nervorum. Pateris igitur, o Domine Deus meus, dux meus, et notus meus, in latere, manibus, et pedibus : ut accelerares homini originalis, actualis, et venialis criminis medicinam. Dedisti etenim, Domine Jesu Christe, sanguinem tuum in pretium redemptionis, et in potum inebriationis fidelibus, in lavacrum coinquinationis, in antidotum curationis, in scutum præsentis impugnationis. Fuit igitur, bone Jesu, lectus tuus durissimus, cibus et potus amarissimus, cruciatus singularis et acerbissimus; nec revocat te, nec retrahit tenerrimus amor Matris, aut timor turpissimæ mortis, non pudor spoliati corporis, non dolor singularis, aut fallacia sponsionis, quia indutus es veste nuptiali, instructus lege legali, armatus armatura spirituali.

4 Virtutes Christi patientis. — Egredere igitur, filia Sion, et vide gloriam Salomonis : in equitatura, in ramis, in vestibus et laudibus. Quomodo igitur emarcuit tam cito flos gloriæ tuæ, umbra honoris tui? Nimirum convertunt honorem in opprobrium, dulcedinem in absinthium. Portas etenim crucem in humeris, spoliaris vestibus tuis, cruciaris flagellis, satiaris opprobriis, de urbe expelleris. Vide nostri sapientiam Salomonis, a parte temporis : passus est enim sexta feria et hora sexta, ut hominem lapsum sexta hora et die, per mortem suam repararet a parte medii; hoc enim opus nostræ salutis ordo depoposcerat. Vide et patientiam, ipse etenim tamquam agnus, qui portatur ad victimam, et sicut ovis ad occisionem ductus est. Vide ejus humilitatem, quia damnatur cum

latronibus. Vide caritatem, quia indulget crucifigentibus. Vide et paupertatem : pauper enim fuit et in laboribus. Paupertatem tuam ostendit mihi, pauper Jesu, mater tua, familia tua, domus tua; domus, inquam, præsepii, cœnaculi, patibuli, et tumuli, nec non equitatura asinæ et pulli. Ubi sunt insignia tua, Rex regum, princeps pastorum? Ubi est equitatura tua, vestis purpurea, palatium, sceptrum, solium, et diadema regni? Ubi sunt ornamenta tua, Sacerdos in æternum et Pontifex futurorum bonorum? Ubi sunt pretiosa, annulus et gemma, baculus et cappa serica, chirothecæ et sandalia ? Ubi sunt arma bellica, fortis armate, et miles nove? Non defuit tibi in gloria alapa, vestis alba, et purpurea. Non defuit pugna : superasti latronem et mortem, spoliasti infernum omnia spoliantem, in funda vinculorum, in lapidibus quinque vulnerum, in baculo crucis. Ubi sunt codices tui, Magister optime? Liber tuus, corpus tuum, scriptus intus et foris, scriptus spinis et clavis , illuminatus unda sanguinis, ligatus vinculis, signatus clavis. Attende et hujus mortis diuturnitatem, et præpositiones acerbitatum , et pone super caput tuum, sicut signaculum; inter ubera tua, sicut fasciculum, sicut antidotum contra omnem morbum. Ascende super palmam crucis, per compassionem, meditationem, imitationem, ut apprehendas dulcissimos fructus ejus. Vade ergo, o anima mea, ad montem myrrhæ et considera altitudinem paupertatis, latitudinem caritatis, longitudinem acerbitatis, amaritudinem et dolorem mortis, et affer ramum virentis olivæ ad arcam tuæ conscientiæ. Accipe etiam, columba mea granum frumenti, seminatum in Incarnatione, in terra Virginis gloriosæ, præcisum in circumcisione, excussum et flagellatum in Passione, candidum in mente, rubicundum in corpore, divisum in latere, multiplicatum in morte, reconditum in horreo in Ascensione. Hoc sit tuum edulium, pulmentum, et viaticum. Si autem fastidit appetitus, si lacescat interior gustus, adhibe agnum immaculatum, adjunge et piscem assatum in craticula crucis. Revera, bone Jesu, agnus es, et propter medicinam tuam, patientiam, et innocentiam atque notitiam : agnoscis quippe Matrem tuam in patibulo, Virginem virgini, Evangelistam Evangelistæ commendas. Si autem amplius desideret gustus tuus; si non quiescit appetitus, fac pulmentum de pisce assato, ut comedas. Piscis assatus Christus passus est, nutritus in aquis tribulationis, apertus in latere, exsquamatus in exspoliatione, sallitus in sputorum multiplicatione, assatus in cruce. Hujus felle piscis inunge oculos tuos, ut videas, si est dolor sicut dolor ejus.

5 Laus et præconia crucis, quæ nobis omnis generis arma suppeditat. — Si contingat plerumque stare in acie, accipe scutum militiæ, vexillum victoriæ, arcum gloriæ. Scutum hoc, quod miles contra hostes debet accipere, propter figuram, picturam, efficaciam et materiam, crux Domini arbor salutifera est. Hujus scuti cornua, in manibus crucifixi. Tria enim cornua tua tria exsuperant prælia : cornu etenim paupertatis, exsuperat avaritiæ prælium; cornu humilitatis, pugnam superbiæ; sed cornu adversitatis, lasciviam voluptatis. Istud scutum fuit rubricatum et picturatum sanguine veri Agni; istud scutum fuit perforatum lancea, clavis, et spina. Si autem nondum bene vales resistere, vide arcum, et benedic qui fecit illum. Iste arcus habet chordam ex corpore, lignum ex cruce. Iste arcus percussit latronem, mortem; et vulneravit hostem, serpentem antiquum. Sed, ne inermis et imparatus appareas, præcedat vexillum Regis, crux; ostendatur sanguis Christi militibus, ut in prælium acuantur, et non formidabitur fortis armatus. Si insurgat flatus elationis, aut ventus tribulationis et naufragium suggestionis; ascende in naviculam sanctæ crucis, bonis omnibus refertam, in dextro latere perforatam, ab hostibus violenter detractam, catena vinculorum ligatam. In hac invenies Filium dormientem, ventis imperantem, et omnino nau-

fragium propulsantem. Per hanc fugabis periculum, et appropinquabis ad portum optimum. Ipse enim crux sancta, est lignum exiguum, per quod factum est judicium veritatis. Si sit tibi clausa janua paradisi, adhibe tibi baculum sanctæ crucis, et pulsa, et aperietur tibi. Si autem ostium clausum est, et jam dormiunt pueri in cubili, et non habes quod ponas ante amicum tuum; accede ad arcam sanctæ crucis, ut inde tres panes accipias, quos apponas hospiti recumbenti: scilicet panem humilitatis maximæ, panem patientiæ, panem caritatis affluentissimæ. Si non potes tibiipsi thesaurum sapientiæ aperire, adhibe clavem David, quæ aperit, et nemo claudit. Si gravat longitudo itineris, et concidit vultus tuus, et desperas de viribus; accipe virgam et baculum sanctæ crucis, quo Jordanem transeas hujus mundi, et viaticum ligni vitæ, ne in via deficias aut torpescas. Si viator es in solitudine hujus mundi, et serpentes igniti contra te morsum et mortem intentant; aspice serpentem æneum positum supra palum, ne antiqui serpentis virus inficiat aut irrepat. Si spiritus malus quemquam accipiat, arripiat citharam sanctæ crucis, et refocillabitur, leviusque habebit. Si invaluerit ægritudo, aut infirmitas spiritualis, adhibe tibi hujus pretiosi sanguinis medicinam. Si desperas ex meritis, et videas tua opera nequaquam tibi sufficere; de statera crucis accipe decorem pretium animarum; et accipe in ara crucis hostiam immaculatam, conscientiam ab operibus mortuis emundantem. Denique crux sancta et benedicta est in Christi corpore dedicata, et ex membris ejus tamquam margaritis ornata, decorata Regis purpura, quæ meruit Christi membra tangere, quæ sola fuit digna Regem cœlorum et Dominum sustinere: » hæc *Augustinus*. Unde beatus Andreas ductus ad crucem, et videns eam, prorupit in laudem crucis, et salutavit, dicens: Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tamquam margaritis ornata; antequam in te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti, modo vero amorem cœlestem obtines. Pro voto susciperis; securus ergo et gaudens venio ad te, ita ut et tu exsultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te; quia amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te. O bona crux, quæ decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, cum sollicitudine amata, sine intermissione quæsita et jam concupiscenti animo præparata! Accipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. De laude etiam crucis sic dicit *Chrysostomus*: « Si nosse desideras, carissime, virtutem crucis, et quanta sit, ut possum ad ejus laudem dicere, audi. Crux nobis totius beatitudinis causa est: hæc nos a cæcitate liberavit erroris; hæc e tenebris reddidit luci; hæc debellatos quieti sociavit; hæc alienatos Deo conjunxit, et longe constitutos proximos præsentavit; hæc peregrinos cives ostendit; hæc discordiæ amputatio est; hæc pacis firmamentum est; hæc omnium bonorum operum largitio. Crux est clavis paradisi, crux spes Christianorum, crux resurrectio mortuorum, crux cæcorum dux, crux errantium via, crux claudorum baculus, crux consolatio pauperum, crux refrenatio divitum, crux destructio superborum, crux male viventium pœna, crux adversus dæmones victoria, crux devictio diaboli, crux adolescentium pædagogus, crux sustentatio pauperum, crux spes desperatorum, crux navigantium gubernator, crux periclitantium portus, crux obsessorum murus, crux pater orphanorum, crux defensor viduarum, crux justorum consiliarius, crux tribulatorum requies, crux parvulorum custos, crux virorum caput, crux senum finis, crux lumen in tenebris sedentium, crux regum magnificentia, crux scutum perpetuum, crux insensatorum sapientia, crux libertas servorum, crux imperitorum philosophia, crux Imperatorum lex, crux Prophetarum præconizatio, crux annuntiatio Apostolorum, crux Martyrum gloriatio, crux monachorum abstinentia, crux

virginum castitas, crux gaudium sacerdotum, crux Ecclesiæ fundamentum, crux orbis terræ tutela, crux templorum destructio, crux idolorum repulsio, crux scandalum Judæorum, crux perditio impiorum, crux invalidorum virtus, crux ægrotantium medicus, crux mundatio leprosorum, crux paralyticorum requies, crux esurientium panis, crux sitientium fons, crux mundorum protectio : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Rabanus* : « Quantos et quales fructus lignum sanctæ crucis germine suo proferat, dignum est commemorare; cujus fructus æternus est, et radix perpetua; cujus odor mundum replet, et sapor fideles satiat; cujus solem splendor superat, et candor nivem obfuscat; cujus cacumen polum excedit, et cujus infimum inferna penetrat? cujus infirmitas humillima exaltat, et cujus potentia exaltata humiliat. Omnium enim virtutum jucunditas per ipsum et in ipso mundo collata est, quia in ipso rerum perfectio completa est. In cruce insinuatur a morte redemptio, demonstratur sancta morum conversatio, intimatur omnium virtutum perfectio, promittitur ad æternam vitam resurrectio, æternæ beatitudinis speratur adeptio, et veræ felicitatis acquisitio. O vere bona, et vere sancta crux Christi! Quis te rite totam enarrare potest, aut quis condigne digne laudare? Quæ cœlestium arcanorum pia es revelatrix, quæ mysteriorum Dei sacra es conservatrix, quæ etiam sacramentorum Christi idonea es dispensatrix. In te Angeli gaudia sua accumulata conspiciunt, in te homines jura salutis suæ cognoscunt, in te inferi justam retributionem fraudis suæ recipiunt. Omnibus es æqua, omnibus bona, omnibus justa; præterita renovas, præsentia illustras, futura præmonstras; perdita requiris, quæsita invenis, inventa custodis; lapsa restituis, restituta gradu munis, munita in viam pacis dirigis. Tu quidem æterni Regis es victoria, et cœlestis militiæ lætitia, terrigenarumque potentia; tu peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, et meritorum augmentatio. Tu infirmorum remedium, laborantium auxilium, et lassorum refrigerium, tu insanorum incolumitas, quietorum serenitas, et fortunatorum felicitas. Tu cura ægrotos medicans, tu gaudium mœstos consolans, tu sanitas dolentes lætificans, tu status credentium recte, tu firmitas operantium bene, tu beatitudo perseverantium rite. Sancta, pia, bona, justa, benigna, rationabilis, laudabilis, venerabilis, fortis, suavis, mitis, sapiens, patiens ac potens! Quidquid ergo corde digne de redemptione nostra potest cogitari, vel quidquid rite lingua loqui, omnia ad laudem tuam decentissime possunt aptari : quia quidquid in te laudatur, crucifixo in te Christo Regi deputatur; et quidquid Christo honoris datur, ad reverentiam summi Patris, cujus ipse unigenitus Filius est, refertur. » Et iterum : « Grandis consolatio fidelium est spes sanctæ crucis, et materiam tribuit laudis, quia bonitatem nos facit scire Creatoris. Crux Christi via est justorum, ascensus ad cœlum, rota de infimis ad superiora nos trahens, dux cœli, et janua regni. Hujus pars erecta divinum, et transversa commendat amorem fraternum. Cujus amoris integritatem Christus nobis ostendit, ac suo exemplo, nos instruxit, qui dilectam animam suam in cruce moriens pro amicis suis posuit, et nos idem facere docuit. Hunc amorem, o Deus semper laudabilis, tu pone in me; et timor noxius, atque carnalis affectus procul recedant a me, ut gloria sanctæ crucis aucta et multiplicata in vera promissione, dignaque laude in æternum persistat; ipsaque mihi carmine et amore venerabilis, semper laus ejus in ore meo, et in corde exsultatio sempiterna permaneat. Vos quoque precor, cœlestes plebes Angelorum, animasque justorum, qui in conspectu divinæ majestatis veraciter exsultatis, ut sicut *alleluia* sine cessatione, et *Amen* Deo Christo in æternum cantatis; ita quoque nostram sortem precibus adjuvare studeatis, quatenus beatitudinem veram quam tenetis jam perfecte, tandem et nos per gratiam Christi mereamur accipere : » hæc *Rabanus*.

Unde et *Cassiodorus*: « Crux est humilium invicta tuitio, superborum abjectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium reformatio, mors infidelium, vita justorum. » Et, ut ait *Hieronymus*, ligno hoc vehimur per mare undosum, ad terram viventium.

6 Passionis epilogus. — De his etiam quæ passus est Dominus, quasi concludendo cum gratiarum actione et oratione sic dicit *Anselmus* : « Expergiscere nunc, anima mea, excutere de pulvere, et contemplare attentius virum hunc memorabilem, quem ecce in speculo Evangelici sermonis, quasi præsentem intueris. Cognosce, anima mea, cognosce. Hic est Dominus Jesus Christus, Creator et Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus et verus homo, qui solus sub sole sine macula inventus est; *et* ecce quoniam *cum sceleratis reputatus est*, et quasi vir leprosus et novissimus virorum æstimatus; et tamquam abortivum, quod projicitur ab utero, et nemo curat, sic projectus est ab utero matris suæ infelicis synagogæ. Iste formosus præ filiis hominum, quasi deformis præ filiis hominum factus. Siquidem *vulneratus est propter iniquitates nostras*, *attritus est propter scelera nostra*, et factus est holocaustum suavissimi odoris in conspectu tuo, Pater æternæ gloriæ, ut averteret indignationem tuam a nobis, et consedere sibi nos faceret in cœlestibus. *Respice*, Domine sancte Pater, *de sanctuario tuo*, *et de excelso cœlorum habitaculo*, et intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum, *et esto placabilis* super multitudinem malitiæ nostræ. *Respice*, Domine, *in faciem Christi tui*, qui tibi usque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris quantam pro peccatis nostris satisfactionem ab eo susceperis. Utinam, Domine, appendas in statera peccata, quibus iram tuam meruimus, et calamitatem quam passus est pro nobis innocens Filius tuus! Certe hæc gravior apparebit et magis digna, ut propter ipsam effundas misericordiam tuam super nos, quam sint ista peccata, ut pro illis contineas in ira misericordias tuas. Gratias tibi, Domine Pater, referat omnis lingua, super inenarrabili abundantia pietatis tuæ, qua unico Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis illum tradidisti in mortem, ut tantum tamquam fidelem advocatum haberemus in cœlo coram te. Et tibi, Domine Jesu, zelotes fortissime, quid gratiarum, quid retributionis dignæ tribuam, ego pulvis, et cinis, et vile figmentum? Quid enim pro nostra salute facere debuisti, et non fecisti ? Ab imo pedis, usque ad summum verticis te totum in aquis Passionis demersisti, ut me totum de illis extraheres. Nam et animam tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligavisti : nam et pro eo, quod mihi dedisti; et pro eo quod mei causa perdidisti, debitor sum. Et pro anima mea quidem bis mihi a te data, semel in creatione, semel in redemptione, quid magis tibi juste reddam quam ipsam, non habeo. Pro tua autem pretiosa anima ita tribulata, quid ab homine digne rependi possit, non invenio. Nam si cœlum et terram, et omnem ornatum eorum possem rependere, certe nec sic usque ad mensuram debiti ullatenus attingerem. Et si idipsum quod et debeo, et possibile mihi est, tibi, Domine, retribuam, tuum, Domine, totum est. Diligendus igitur mihi ex toto corde, tota anima, tota mente ; et tua mihi sequenda vestigia, qui mori dignatus es pro me. Et quomodo fiet hoc in me, nisi per te? Adhæreat anima mea post te, quia tota virtus ejus pendet ex te. Et nunc, Domine Redemptor meus, ut te verum Deum adoro, in te credo, in te spero, et quibus possum desideriis ad te suspiro. Adjuva imperfectionem meam. Ad tuæ Passionis gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, me totum incline. Tuæ victoriosæ crucis regale vexillum in nomine tuo, Christe, adoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguine clavos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam

mortem, tuam sepulturam, tuam victoriosam Resurrectionem, et glorificationem, Christe, adoro supplex et glorifico. Horum vivifico odore spiritum meum a peccati morte resuscita, horum virtute ab astutiis Satanæ me custodi, meque conforta, ut et jugum mandatorum tuorum suave mihi fiat, et onus crucis quod bajulare me jubes post te, humeris animæ meæ leve sit atque portabile. Quæ enim fortitudo mea, ut juxta præceptum tuum, mundi pressuras tam multiplices invicto animo sustineam? Sed audi, quæso, vocem meam, et inclina super servum tuum suavem crucem illam, quæ lignum vitæ est his qui apprehenderint illam; istam, inquam, divinissimam crucem humeris meis impone, cujus latitudo est caritas super omnem creaturam se extendens, cujus longitudo æternitas, cujus sublimitas omnipotentia, cujus profundum inscrutabile est sapientia. Contige illi manus meas, et pedes meos, et totam Passionis tuæ formam servulo tuo imprime. Da, obsecro, mihi continere ab operibus carnis quæ odisti, et facere justitiam quæ dilexisti, et in utroque tuam quærere gloriam: et sinistram quidem meam, clavo temperantiæ; dexteram vero, clavo justitiæ in illa sublimi cruce affixam arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, et deinde cogitatum jactare in te; et dexterum pedem meum eidem ligno vitæ clavis prudentiæ affigi. Da ut ministram spiritus mei sensualitatem non enervet labentis vitæ infelix felicitas, nec conturbet perennis vitæ prævia felix infelicitas: et sinister quoque pes meus clavo fortitudinis in cruce tenebitur. Ut autem et spinarum tui capitis aliqua in me similitudo appareat, detur, obsecro, menti meæ, et saluti pœnitentiæ compunctio, et alienæ miseriæ compassio, et stimulus zeli æmulantis illud quod rectum est coram te, et ad te reconvertar in ærumna mea, dum triplex mihi configitur spina. Libet ut et spongiam per arundinem ori meo porrigas, et aceti amaritudinem gustui meo adhibeas, ut per Scripturas tuas rationi meæ conferas gustare et videre, quoniam florens hic mundus tamquam spongia inanis est, et omnis concupiscentia ejus aceto amarior. Ita, Pater, in me fiat ut calix iste aureus Babylonis inebrians omnem terram, nec inani splendore seducat; nec falsa dulcedine inebriet. Tuæ quoque vivificæ mortis, Domine, effigiem facies in me servum tuum, ut moriar quidem peccato secundum carnem, vivam autem justitiæ secundum spiritum. Ut autem integram Crucifixi imaginem portare me glorier, illius quoque quod post mortem tuam insatiabilis malitia impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum vivus et efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, et pertingens usque ad interiora animæ meæ; producat ex ea tamquam a dextro latere meo vice sanguinis et aquæ, amorem tuum, Domine, et fratrum meorum. Postremo munda sindone primæ stolæ spiritum meum involve, in qua requiescam ingrediens ad te in locum tabernaculi admirabilis, et abscondas me donec pertranseat furor tuus. Die autem tertio post diem laboris, post diem simplicis gloriæ, mane prima sabbati, perpetuo inter filios tuos me indignissimum resuscita; ut in carne mea videam claritatem tuam, et adimplear lætitia vultus tui: » hæc *Anselmus*.

7 Triduum Passionis Domini mystice. — Imaginem itaque Crucifixi, secundum modum præmissum, portans in te, ora et conare ut spiritus tuus involvatur munda sindone puritatis et innocentiæ, in qua absconsus mundi vanitatibus sepeliaris in secreto mentis tuæ, et ibi requiescas in meditatione Passionis Dominicæ; mortuus quidem mundo, et vivens Deo Et hoc aperte signatum est, ubi dicitur, quod pretio sanguinis Christi emptus est ager figuli, in sepulturam peregrinorum; ubi dicit *Glossa*, quod sepultura Christi nihil est aliud quam requies Christiani, et tunc cor debet sigillari sigillo Passionis Christi, et clausum teneri ac custodiri. Deinde sic sepultus in secreto mentis tuæ ab omnibus vanitatibus, gloriosum triduum mortis Christi peragas: quorum primus dies

est afflictionis et pœnitentiæ, ut pro omnibus commissis vel omissis Deo voluntarie satisfacias; secundus dies est quietionis et gratiæ, ut in solo Deo requiem mentis ponas, quia in eo solo pax invenitur et tranquillitas; tertius dies est præmiationis et gloriæ, ut ejus conjunctionem et amplexum, fervente desiderio, jugiter concupiscas. Quibus transactis, in mane prima sabbati, hoc est in futura vita perpetua, inter filios et electos Dei gloriose resusciteris : et in carne tua videas gloriosam humanitatem Domini nostri Jesu Christi, in spiritu autem beatifice contempleris inæstimabilem claritatem Dei, et per hoc adimplearis perpetua lætitia vultus ejus.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, qui pro redemptione mundi miserias et angustias, opprobria et convitia, calumnias et injurias, pœnas et afflictiones, Passionem et mortem patienter ferre voluisti, tu per hæc omnia quæ propter peccata nostra pertulisti, a peccatis omnibus et vitiis, ab omnibus hujus seculi periculis, et infernalibus pœnis, a subitanea et æterna morte, me libera; et da mihi, obsecro te, omnia quæ pro me tolerasti non fugere vel oblivisci, sed præ oculis semper habere, et ardenter amplecti, ut laboris et doloris participem, etiam requiei et consolationis tuæ me velis esse consortem. Amen.

# CAPUT LXVIII

## DE SABBATO SANCTO, IN PASSIONE DOMINI.

1 Fides et spes B. Mariæ Virginis. — Mane autem sabbati, stabant simul in domo januis clausis. Domina et aliæ sociæ cum Joanne, afflictæ et dolorosæ, tamquam orbatæ et plenæ mœrore, memorante saugustias tribulationis hesternæ Sedebant simul, aspicientes se tantum ad invicem, cum lacrymis, sicut contingere solet magna pressura et calamitate gravatis. Successive autem veniunt discipuli, plorantes et ipsi; tandem cessantes a fletu, loqui de Domino suo incipiunt, et cum lacrymis discipuli se redarguunt, quod eum dereliquerunt. Et de his, quæ fecerat Dominus Jesus cum eis, narrant ad invicem : modo unus, modo alius, et sic per ordinem. Intuere igitur eos diligenter, et compatere, quia in magna sunt afflictione. Quid enim est videre quod Domina mundi, et principes ecclesiarum, et omnium populorum, ducesque divini exercitus, sic timorosi et afflicti stant in quadam domuncula reclusi, nescientes quid facere debeant, nisi quod conferunt, et se confortant de verbis et factis Domini sui? Domina tamen semper mente tranquilla et pacata stabat, quia certissimam spem de Resurrectione Filii sui habebat; et in ea sola remansit fides Ecclesiæ, in ipsa die sabbati. et propterea specialiter dies sabbati attribuitur ei. Et ideo, aliis luminaribus exstinctis, una candela in officio tenebrarum servatur accensa, quia lumen fidei in sola remansit virgine Maria. Unde *Augustinus* : « Quem genuit Virgo, injuste mori dolebat; sperans vero et firmiter credens ipsum, secundum promissum, tertio die, morte devicta, resurgere, in hac enim sola interim fides Ecclesiæ in triduo illo stabat. Et dum unusquisque vacillando hæsitabat; hæc, quæ fide concepit, fidem, quam semel a Deo

suscepit, numquam perdidit : speque certissima Resurrectionis gloriam exspectavit : » hæc *Augustinus*. Non tamen poterat ipsa Domina gaudenter stare, propter memoriam mortis Filii sui, passi injuste. *Et sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum* Legis, id est ab operibus quieverunt; nam sabbatum custodire oportebat, et tunc neque vendere, neque emere, neque aliquid tale fieri licebat. Unde et ipsum sabbatum, latine *requies* seu *intermissio* interpretatur. Magna est dignitas sabbati, quia in eo tota Trinitas requievit. Nam Pater requievit, ab opere creationis, quod fuit magnæ potentiæ; Filius, ab opere recreationis, quod fuit infinitæ sapientiæ; Spiritus Sanctus requievit hodie in Virgine, quod fuit magnæ et infinitæ bonitatis, quia ipsa stabat, ceteris scilicet Apostolis et mulieribus, a gratia Spiritus Sancti cadentibus.

2 Mulieres emunt aromata. — *Et cum transisset sabbatum*, sero facto, et stellis apparentibus, post solis occasum, cum operari erat licitum, *Maria Magdalene et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes* pro faciendis unguentis, *ungerent Jesum*, ipsius scilicet corpus sacratissimum. Intuere igitur eas diligenter, et quæ faciunt, quomodo eundo et redeundo, mœstis vultibus more viduarum et orphanorum, incedunt. Emunt aromata et redeuntes parant se ad faciendum contra corruptionem unguenta, quasi nescientes illud propheticum : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Unde ait *Theophilus* : « Neque tamen fidem debitam adhuc habebant, sed ei quasi puro homini aromata et unguenta parabant, more Judæorum, qui talia exhibebant defunctis : » hæc *Theophilus*. Aromata dicuntur, quasi aeromata, quia diffundebant longe lateque odorem in aerem, et significant virtutes, quas in conversatione mulieres habebant; et famam Crucifixi, quæ longe lateque diffundenda erat. Devote ergo mulieres illæ et sanctæ, quæ fuerant viventi obsecutæ, ut etiam mortuo pietate officiosa famulatum possent impendere, *emerunt aromata*, et paraverunt unguenta, *ut venientes* mane, ex devotione ad visitandum sepulchrum, *ungerent Jesum*, scilicet ejus corpus sacratissimum; neque enim vespere sabbati, præoccupante jam noctis articulo, adire voluerunt monumentum. Conspice nunc quomodo fideliter et devote, cum lacrymis et suspiriis, pro Domino suo laborant, secundum quod melius sciunt. Et in hujusmodi operibus per totam noctem laboraverunt, et nihil vel parum quietis habuerunt. Domina vero et Apostoli aspiciunt, et forte adjuvant in quibus possunt. Adjuva et tu eas, si permitteris, et potes.

3 Quo sensu accipienda triduana Domini sepultura. — Venit hic in considerationem quid fecerit Dominus in triduo mortis suæ. Corpus quidem ejus fuit in sepulchro; anima vero cum sanctis Patribus in limbo; et deitas utrique conjuncta. Nam quia passio non attingebat in Christo divinam naturam sed humanam; ideo in morte Christi facta est sic divisio animæ a carne, ut tamen salva esset unio tam carnis quam animæ cum divinitate. Ut enim ait *Leo* Papa, forma servi, et forma Dei, quæ in unitatem convenerunt, nec separationem possunt habere, nec finem; dum ita sibimet inhæserunt, ut sive in omnipotentia, sive in contumelia, nec divina in Christo careant humanis, nec humana divinis. Tunc ad impletum est quod de semetipso dixerat : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ*. Sepultura enim Christi triduana, in Propheta Jona, qui triduo fuit in ceto, erat præfigurata. Hoc autem de sepultura Christi, secundum *Augustinum*, accipiendum est synecdochice, scilicet accipiendo partem pro toto. Fuit enim Dominus in sepulchro : per extremam partem parasceves, per quam tota dies cum sua nocte jam præterita accipitur ; et per totum sabbatum, quod integram diem et noctem complectitur ; et per primam partem diei Dominicæ, scilicet per noctem sequentem sabbatum, per quam tota

dies Dominica ad quam pertinet intelligitur. Et sic sunt tres dies naturales, et quælibet noctem suam habet præcedentem. Et tunc mutatus est ordo dierum naturalium : non quantum ad ordinem observationis, sed quantum ad ordinem creationis. Nam ante ordo erat, ut dies præcederet noctem, quia primo creata est dies, et subsecuta est nox ; sed deinceps Creator temporum fecit, ut nox præcederet diem, quia nox qua surrexit, adjuncta est diei qua se ostendit. Unde *Augustinus* : « Sicut primo computabuntur dies propter hominis conditi lapsum a luce gratiæ, in noctem culpæ ; ita nunc propter hominis reparationem, per Passionem et Resurrectionem Christi, a tenebris culpæ in lucem gratiæ, merito computantur. » Unde et *Beda* : « Dominus, auctor et ordinator temporum, qui in ultima noctis hujus parte surrexit, totam eam, nimirum ejusdem Resurrectionis luce, festivam et coruscam reddit. Siquidem hucusque ab exordio mundanæ creationis, ita temporum cursus distinguebantur, ut noctem dies præcederet, juxta ordinem videlicet primæ conditionis. Hac autem nocte temporum ordo mutatus est, per mysterium Resurrectionis Dominicæ. Nam, quia nocte a mortuis resurrexit, die vero sequenti ejusdem Resurrectionis effectum discipulis ostendit, et participato cum eis convivio veritatem virtutis ejus mirantibus, simul et gaudentibus astruxit, rectissime nox illa sequentis diei luci conjungitur; ac sic temporum ordo statutus est, ut dies noctem sequatur. Et quidem aptissime quondam nox sequebatur diem, quia homo a luce paradisi peccando lapsus in hujus seculi tenebras ærumnasque decidit ; aptissime vero nunc dies sequitur noctem, quando per fidem Resurrectionis, a peccati tenebris et umbra mortis ad lucem vitæ, Christo largiente, reducimur. » Unde etiam *Petrus Cantor* : « In exordio conditionis rerum, computatur dies cum nocte sequenti, quia in primaria creatione rerum præcessit dies noctem : primo enim facta est lux, postea vergente luce ad occasum, facta est nox, et ita fuit unus dies naturalis, dies præcedens cum nocte sequenti. In Passione vero Domini facta est mutatio ordinis naturalis, ut scilicet computetur nox præcedens cum die sequenti pro mysterio, noxque præcedat diem ; ac super hoc dicatur mystice: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* ; et : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Hanc autem commutationem naturalis computationis in artificialem, voluit Dominus præfigurare in legitimis ; ideoque præcepit observantiam sabbati, et legalium fieri a vespera in vesperam : » hæc *Petrus Cantor*. Et sic, ut visum est, quidam dicunt hanc mutationem factam in Parasceve, ut nox, scilicet quintæ feriæ fuerit etiam Parasceves; alii in nocte Resurrectionis, ut nox illa communis fuerit sabbato, et diei Dominicæ, sed totum ad unum tendit sensum et effectum.

4 Descensus Christi ad inferos hujusque figuræ. — Illa ergo hora qua Salvator noster, inclinato capite, tradidit spiritum, corpore in cruce derelicto, anima simul cum divinitate ad inferna spolianda descendit. Cum autem ad inferos descenderet, et chorus angelicus ante faciem ejus portas principum tolli præciperet. Sanctorum populus qui tenebatur in morte captivus, voce lacrymabili clamabat :

*Advenisti desiderabilis,*
*Quem exspectamus in tenebris,*
*Ut educeres vinctos de claustris.*
*Te nostra vocabant suspiria,*
*Te larga requirebant lamenta.*
*Tu spes es effectus desperatis,*
*Magna consolatio in tormentis.*

Sed quis per singula dicere valeat, quanta ibi lætitia fuerit, cum Christus Sol justitiæ eis apparuit ; et habitantibus in regione umbræ mortis, diu novæ lucis exspectata claritas radiavit ? Et stetit Dominus cum eis ibi, et tunc fuerunt in gloria ; nam visio Dei, perfecta est gloria. Ibidem fuit et latro, cui Dominus dixerat :

*Hodie mecum eris in paradiso.* Nomine paradisi notatur ibi Dei fruitio, et visio divina, quia, peracta Passione, tam ipse latro, quam alii, qui erant in limbo, viderunt Deum per essentiam. — Istud quod Christus infernum introivit et Sanctos lætificavit, præfiguratam erat in tribus pueris in fornace Babylonis, ubi ad ingressum Angeli ignis versus est in suavitatem roris. Qui in fornace erant, fuerunt pueri; sic in limbo non erant nisi innocentes et puri : qui enim ante plenariam satisfactionem decedebant, in purgatorio purgabantur, et tunc ad limbum ascendebant. Istud etiam præfiguratum fuit per Danielem in lacu leonum, cui Dominus misit per Habacuc prandium. Dominus Danielem illæsum a leonibus custodivit, et per Angelum refectionem sibi misit; sic Deus Patres in limbo a dæmonibus defensavit et tandem ipse veniens divina refectione eos pavit.

5 INFERNUS PŒNARUM QUADRUPLEX. — Et sciendum quod nomen inferni sumitur dupliciter, scilicet : pro pœna, et pro loco pœnæ. Secundum primum modum dicitur, quod dæmones sem per infernum secum portant. Sed prout infernus pro loco pœnæ sumitur, sic quadrupliciter distinguitur. Unus, infernus damnatorum, in quo est pœna sensus et damni, id est sensibilis pœna et divinæ visionis carentia; et sunt ibi tenebræ interiores, id est absentia divinæ gratiæ, et exteriores, scilicet corporales. Super istum est limbus puerorum in quo est pœna damni, et non sensus; et sunt ibi tenebræ interiores et exteriores. Super hunc est locus purgatorius, in quo est pœna sensus et damni ad tempus; et sunt ibi tenebræ exteriores, et non interiores, quia per gratiam habent lucem interiorem. Supremus locus inter hæc, est limbus sanctorum Patrum, in quo fuit pœna damni, et non sensus; et fuerunt ibi tenebræ exteriores, et privationis gratiæ divinæ. Ad hunc locum Christus descendit, et suos, qui non propter reatum personæ, sed propter reatum naturæ detinebantur, inde liberavit; et sic infernum mormordit, quia partem ejus abstulit, et partem reliquit.

6 QUO SENSU CHRISTUS MORTEM PROSTRAVIT ET DIABOLUM DECEPIT. — Mortem vero, prostrato mortis auctore, quoad electos, penitus destruxit, ut ille qui nihil juris habebat in capite, quod invasit, per injustitiam plus petendi, etiam id perderet, quod habere videbatur in corpore, quod deceperat. Christus enim, secundum naturam divinam impassibilis et immortalis fuit, quia passio vel mors pœna est peccati, sed ipse sine peccato venit, et absque peccato vixit ; secundum potentiam vero et mortalis voluit esse et passibilis. Mercedem quoque suæ mortis dedit homini pro quo omnia sustinuit : pro passione, impassibilitatem ; pro morte, immortalitatem; pro peregrinatione, æternam patriam. Unde *Leo* Papa : « Perstitit improbus prædo, et avarus exactor in eum qui nihil ipsius habebat insurgere, ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam; et per justitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille nectitur vinculis suis, et omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe, captivitatis vasa reperiuntur. » Unde et *Anselmus* : « Vitam homo-Deus, cum ex debito mori non deberet, quoniam peccator non erat, sponte sua dedit ad honorem Patris, cum eam sibi auferri propter justitiam permisit. Dedit itaque humana natura Deo Patri in illo sponte, et non ex debito quod suum erat ; ut redimeret se in aliis, in quibus quod ex debito exigebatur, reddere non habebat. Sic homo ille redemit omnes alios, cum quod sponte dedit Deo, computavit pro debito quod illi debebant. Quo pretio non semel tantum homo a culpis redimitur, sed quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur : » hæc *Anselmus*. Non tamen Deus diabolum fefellit, aut fallere voluit; sed diabolus seipsum in Deum insurgendo decepit. Unde idem *Anselmus* : « Cur, bone Domine, pie Redemptor, potens Salvator, cur tantam virtutem operuisti tanta humi-

litate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem ejecit de paradiso? Sed, utique Veritas nullum fallit: qui ignorat, qui non credit veritatem, ipse se fallit, qui veritatem videt, et odit, vel contemnit, ipse se fallit. Veritas autem nullum fallit. An ideo, ut ipse diabolus se falleret? Sed utique sicut Veritas nullum fallit; ita non intendit ut aliquis se fallat, quamvis hoc dicatur facere, cum permittit. Non enim assumpsisti hominem, ut te notum operires, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, et operibus ostendisti. Res per se fuit occulta, non studiose occultata. Non sic est facta ut absconderetur, sed ut suo ordine perficeretur; nec ut aliquem deciperet, sed ut, quemadmodum oportebat, fieret. Et si dicitur occultata, non est aliud quam, non est omnibus revelata. Nam et si Veritas non omnibus se manifestat, nulli tamen se negat. Ergo, Domine, nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret, sic fecisti; sed ut faceres quod et quomodo faciendum erat, in veritate per omnia perstitisti. Qui ergo se fefellit in tua veritate, non de te, sed de propria quæratur falsitate: » hæc *Anselmus*.

7 Humilitas et benignitas Domini ad limbum patrum descendentis. — Prædictus quoque locus supremus, scilicet limbus Patrum, ad quem Christus descendit, sinus Abrahæ dicebatur, quia ibi Abraham fuit cum liberandis, cui primo hujuscemodi liberatio est promissa; sed nunc cœlum empyreum sinus Abrahæ est, quia ibi jam est Abraham. A nullo autem prædictorum locorum est transitus ad alium, nisi de tertio ad quartum, hoc est de purgatorio ad limbum Sanctorum. Unde quando cantamus: *Libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni*, sumitur ibi infernus, pro purgatorio; sicut et ibi sumitur pro limbo, quando Christus dicitur ad inferos descendisse, vel infernum destruxisse. Igitur, secundum *Gregorium*, quod ante Passionem promisit, in Resurrectione sua Dominus adimplevit. *Si exaltatus*, inquit, *fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, omnia videlicet electa. Omnia namque traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit, quos suos in fide et actibus recognovit. *Expansis in cruce manibus, exaltatus a terra, traxisti ad te omnia, precor et obsecro te, benigne Domine, noli me dimittere in cœno concupiscentiarum; trahe me ad te, ut crucifigar tibi, et mundo mortuus, tibi vivam, vivam vero jam non ego, vivas autem in me, Christe.* Considera hic attente, quanta fuit Christi benignitas in infernum sic descendere, quanta caritas, quanta humilitas. Poterat enim unum ex Angelis cœli ad eos mittere, et facere ipsos servos suos liberari, et sibi præsentari prout voluisset, si hoc suus amor et humilitas sustinuisset. Per seipsum ad inferna descendit, et non ut servos, sed ut amicos Dominus omnium eos visitavit; et ibidem usque ad diem Dominicam, prope auroram, cum eis stetit.

8 Jubilatio sanctorum quos liberaturus venit. — Jubilaverunt sancti Patres in suo adventu, et repleti sunt jucunditate immensa, omni miseria procul pulsa. Et procidentes, adoraverunt; et surgentes, stabant in laudibus et canticis coram eo, cum reverentia et ingenti exsultatione. Et in hujusmodi laudibus et canticis et jubilationibus steterunt in limbo usque prope auroram diei Dominicæ, et in conspectu etiam multitudinis Angelorum ibidem exsultantium et jubilantium cum eis. Assiste et tu, ac in vocem exsultationis et jubilationis erumpe, Sanctorumque melodiæ tuas preces interpone. O quam dulce et quam jucundum talibus interesse, vel saltem a longe talia contemplari! Tunc portis inferorum confractis, et diabolo magno alligato, accepit eos Dominus cum exsultatione ab inferis educens; et ante eos cum gloria et triumpho lætus procedens, Sanctorumque exercitu comitante, ad superos rediens, posuit eos in paradiso deliciarum et voluptatis, qui est ad Orientem, in extremis maris. Tunc verus Samson moriens, hostilem exercitum prostravit; et Agnus sine

macula in sanguine Testamenti sui, de lacu, in quo non erat aqua, vinctos eduxit. Tunc quoque Angelus Loth cum suis de Sodoma eripuit, et nefarios igne sulphureo involvit. Tunc etiam Angelus Ægyptum devastavit, et filios Israel inde liberavit. Cum ergo fortis armatus, scilicet diabolus, custodiret atrium suum, id est limbum, Christus fortior superveniens, atrium suum intravit, et ipsum per crucem suam devincens, alligavit. Istud Banaias olim in figura demonstravit, qui ad leonem in cisternam intrans, cum virga sua ipsum prostravit; sic Christus intravit ad diabolum in infernum, et per sanctam crucem prostravit ipsum. Per fortissimum etiam Samsonem, Christus fortissimus designatur, a quo infernalis leo, scilicet diabolus superabatur, et potentia sua privabatur; et tunc homo est liberatus de captivitate diabolica, quæ olim fuit in captivitate Ægyptiaca præfigurata. Filii Israel in Ægypto a Pharaone oppressi, clamaverunt ad Dominum pro sua liberatione, et misertus Dominus liberavit eos de captivitate; ita genus humanum a principe tenebrarum detentum, clamavit pro sua redemptione ad Dominum, et misertus ejus, liberavit ipsum. Hanc liberationem hominis Deus præfiguravit, quando Abraham de Hur civitate Chaldæorum liberavit. Chaldæi enim *Hur*, hoc est *ignem* pro Deo coluerunt, quod cum Abraham renueret, ipsum in ignem projecerunt, Deus autem verus, quem ipse coluit, de igne eum liberavit; sic et Sanctos de inferno redemit. Hanc etiam redemptionem hominis Deus præfiguravit, quando Loth cum suis de subversione Sodomæ liberavit. De Sodomis tantum boni liberati fuerunt, mali autem igne et sulphure interierunt; sic Christus bonos tantum de limbo liberavit, de inferno autem damnatorum neminem eripuit. Et justi quidem cum tanta lætitia liberantur. Sed; quid putas indicibilis amaritudinis et inconsolabilis doloris, imo extremæ damnationis accidit remanentibus in igne inexstinguibili, verme immortali, tenebra palpabili, morte infinibili? Væ illis quibus datum est hoc potius experiri, quam credere, vel timere!

9 Christus resurrecturus limbum relinquit. — Aliqua vero morula in paradiso facta cum eis, et etiam cum Elia et Henoch ipsum recognoscentibus et exsultantibus, dixit eis; quia erat tempus, ut iret ad excitandum et reassumendum suum corpus. Qui omnes procidentes, adoraverunt, rogantes ut cito rediret, quia gloriosissimum corpus suum videre plurimum affectabant. *Da et mihi, o Domine benignissime, corpus tuum gloriosissimum in secundo adventu tuo cum gaudio videre, et de tua visione æternaliter cum electis tuis gaudere.* Considera nunc quomodo omnia quæ Christus pro nobis pertulit, pro nostra utilitate pati voluit. Unde *Hieronymus* quædam ex his colligens, sic dicit: « Opprobria autem ejus nostrum abstulere opprobrium; vincula ejus, nos liberos fecerunt; corona spinea capitis ejus, diadema regni adepti sumus; vulneribus ejus sanati sumus; sepultura ejus resurgimus; et descensu ad inferos, ascendimus ad cœlos. »

## ORATIO

O bone Jesu, nec adhuc satiata est tuæ ineffabilis clementia pietatis, nisi et inferni claustra penetrans tuos captivos redimas. Descendit igitur illa felix tua et sanctissima anima ad inferos, educens vinctos de tenebris et umbra mortis. Descendat et nunc, Jesu misericors, per hanc ineffabilem pietatem tuam, gratia et misericordia tua super animas famulorum famularumque tuarum, parentum et propinquorum meorum, familiarium, benefactorum et recommendatorum; ut eas a pœnis quas pro peccatis suis merentur eripias, et ad gaudia æterna perducas. Amen.

# CAPUT LXIX

## DE RESURRECTIONE DOMINI NOSTRI.

### Matthæi cap. XXVIII.

1 Lætitia paschalis de Resurrectione Domini. — Nunc, ut ait *Hieronymus* : « Nunc aromatibus redolentibus, cum sponsa et adolescentulis, quæ currunt post eam, conspergimus librum et cubiculum mentis nostræ. Nunc introducit nos Rex in cellaria sua, nunc surgit amica Maria : *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra. Vox turturis audita est in terra nostra. Vineæ florentes dederunt odorem.* Redit sponsus de umbra sub qua dormit in meridie. Radix amara crucis evanuit, flos vitæ cum fructibus erupit; et qui jacuit in morte, surrexit in gloria; sol post occasum oritur; aquilæ ad corpus congregantur. Post sabbata tristia, felix irradiat dies, quæ primatum in diebus tenet, luce prima in ea lucescente, et Domino in ea cum triumpho resurgente, et dicente : *Hæc dies, quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea :* » hæc *Hieronymus*. Unde et *Augustinus :* « Post illusiones et verbera, post aceti et fellis pocula mixta, post supplicia crucis et vulnera, et postremo post ipsam mortem et inferos, surrexit de suo funere caro nova, redit ab occiduo latens vita ; et in morte salus reservata, resurgit pulchrior reditura post funus : » hæc *Augustinus*. Veniens itaque anima Domini Jesus die Dominico, et summo mane, cum honorabili multitudine Angelorum ad monumentum, et reaccipiens illud corpus sanctissimum, propria virtute resurrexit, et ex ipso monumento clauso processit. Nemo quippe tam facile excitatur et surgit a somno, quam Christus surrexit a morte et sepulchro, quia excitatus est tamquam dormiens Dominus, qui etiam de se dicit : *Ego dormivi, et soporatus sum; et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Sicut autem Christus exivit, clauso Virginis utero, sic potuit clauso prodire sepulchro ; hoc tamen aliter fuit, quia in Resurrectione habuit corpus gloriosum, cui aliud non resistit, sed exitus de utero Virginis miraculosus fuit. Ut autem ait *Beda :* « Resurrexit Dominus mane de monumento, in quo sero jam facto erat depositus, ut adimpleretur illud Psalmistæ : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* »

2 Terræ motus, resurgente Christo, factus. — *Et ecce terræ motus*, Domino resurgente, *factus est magnus*, cujus causa subditur : *Angelus enim Domini descendit de cœlo*, et virtute ejus factus est terræ motus, quia corporalia obediunt Angelis ad nutum, quantum ad motum localem. Sicut in Passione Christi terra mota est, in signum tristitiæ; sic in Resurrectione ejus, mota est in signum lætitiæ. Ubi ait Beda : « Quod etiam terræ motus, resurgente Domino de sepulchro, sicut et ipso moriente in cruce, factus est magnus, significat terrena prius corda per fidem Passionis ac Resurrectionis ejus fore concutienda ad pœnitentiam, et saluberrimo pavore permota ad vitam sublimanda perpetuam. » Ubi et *Severianus :* « Si autem sic terra tremuit, cum Dominus ad veniam suorum resurgeret, quomodo contremiscet cum noxiorum omnium resurget ad pœnam ? Et quomodo Domini præsentiam sustinebit, quæ Angeli præsentiam sustinere non valuit ? » Et no-

tandum, quod legitur terræ motus factus in Legis datione, unde Psalmista : *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel*; in Christi Passione mota est, ut visum est supra ; in Resurrectione mota est, ut hic dicitur ; in judicio generali erit terræ motus, ut infra patebit. Secundum hæc, moraliter, in terræ motu significatur contritio, quæ provenit secundum quatuor prædicta, videlicet : ex consideratione divinorum mandatorum, hoc est in Legis datione ; ex consideratione passionum Christi et dolorum, et hoc est in Passione ; ex consideratione amissæ vel dilatæ beatitudinis, et hoc est in Resurrectione ; ex consideratione pœnæ gehennalis, et hoc est in extremo examine.

3 Exaltatio Christi per Resurrectionem non differenda fuit. — Merito autem Christus exaltatus est a Deo usque ad gloriam Resurrectionis, quia propter obedientiam Dei Patris, se humiliavit usque ad mortem crucis. Unde *Anselmus :* « Resurrectionis sacræ gloria sublimandus, ludibria perfidorum, asperitatem verberum, crucis opprobrium, fellis amaritudinem, et ad ultimum mortem sustinuit, admonens suos, ut si post mortem ad gloriam pervenire contendunt, vitæ præsentis angustias et labores, pravorumque oppressiones, non solum æquo animo tolerent ; sed omnia hujus mundi aspera pro præmiis æternis ament, appetant, et gratanter suscipiant : » hæc *Anselmus*. Sicut ergo humiliatus est Christus per hoc, quod mala sustinuit moriendo, ut nos liberaret a malis ; ita et glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona, secundum illud quod ait Apostolus, mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Sustinuit enim Passionem pro nobis, ut nos a pœna inferni liberaret ; et resurrexit a mortuis, ut nos de morte ad vitam traheret. Unde bene suam Resurrectionem longius quam usque in diem tertium differre noluit, ita ut duabus noctibus et uno die in sepulchro quiesceret ; nox enim ad peccatum pertinet, et natura quidem humana duabus mortibus tenebatur astricta, scilicet : animæ propter peccatum, carnis propter vindictam peccati. Quia ergo Dominus sola carne mortuus est, ut nos a morte animæ et carnis liberaret, recte duabus noctibus et una die in sepulchro quiescere voluit, quoniam videlicet lucem suæ simplæ mortis, tenebris duplæ nostræ mortis adjunxit ; et per suam simplam mortem, nostram duplam damnavit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret ; sed unam misericorditer suscepit, et juste utramque damnavit : simplam suam duplæ nostræ contulit, et duplam nostram moriens subegit. Duæ ergo noctes significant duas nostras mortes, dies vero significat suam mortem, quæ fuit lux nostrarum mortium. Unam abstulit, alteram ad exercitium electis reliquit, quam denuo veniens exterminabit. Resurrectio itaque sua, est causa efficiens nostræ resurrectionis, quæ fit in præsenti, et quæ fiet in futuro. Resurrectio quæ fit in præsenti, est nostra justificatio, et dicitur resurrectio prima, unde in Apocalypsi : *Beatus qui habet partem in resurrectione prima.* Resurrectio quæ fiet in futuro, est corporis resuscitatio, et dicitur resurrectio secunda, unde in Osea : *Vivificavit nos post duos dies, et in tertia die suscitavit nos.* Ad resurrectionem quippe primam duo dies requiruntur, scilicet : ablatio omnis culpæ, et collatio consummatæ gratiæ, nullus enim resurget resurrectione secunda ad gloriam, nisi prius resurrexerit resurrectione prima per gratiam. Mortuus autem fuit Christus quadraginta horis, ut quatuor mundi partes, quæ in decalogo Legis mortuæ erant, vivificaret. Prima quoque die hebdomadæ resurrexit, ut ea die mundum innovaret, qua illum creaverat. In tertia vero die Passionis resurrexit, ut eos qui tribus temporibus, scilicet : ante Legem, sub Lege, et sub gratia in peccatis mortui fuerant, sublevaret ; et nos qui factis, dictis, cogitationibus labimur, per fidem sanctæ Trinitatis resurgamur. Et, se-

cundum *Augustinum*, ideo post tres dies resurrexit, ut in Passione Filii, totius Trinitatis monstraretur assensus, triduum enim legitur in figura: quia Trinitas quæ in principio fecit hominem, ipsa in fine hominem per Christi reparat Passionem. Ideo etiam Resurrectionem suam Dominus sic accelerare voluit, ne discipulos diu in mœstitia cruciari permitteret. Unde *Leo* Papa : « Dominus nempe Christus, ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram, tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima, et pars tertii prima concurrit, et aliquantulum de spatio temporis decideret, et nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur Salvatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulchro; et tam velox vivificatio fuit incorruptæ carnis, ut magis ibi esset soporis similitudo, quam mortis. Quoniam deitas, quæ ab utraque hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, et potestate conjunxit : » hæc *Leo* Papa. Passionis igitur et Resurrectionis exemplum Christus nobis præbuit : Passionis ad firmandam patientiam; et Resurrectionis, ad excitandam spem; ut duas vitas nobis ostenderet in carne, unam laboriosam, quam tolerare debemus, alteram beatam, quam sperare debemus.

4 Corporis Christi resurgentis dotes. — Resurrexit autem Christus cum corpore glorioso; cujus dotes sunt : claritas, agilitas, subtilitas, et impassibilitas. Quamvis enim anima Christi a principio suæ conceptionis fuerit gloriosa, per apertam visionem, et perfectam fruitionem divinitatis ; dispensatione tamen et dispositione divina factum est, ut gloria animæ ejus non redundaret in corpus, ut sic corpus esset passibile et mortale, ad adimplendum pretium et mysterium redemptionis humanæ in sua Passione. Et ideo, peracto mysterio Passionis et mortis, anima Christi statim, resumpto corpore in Resurrectione, in ipsum corpus suam gloriam derivavit, et ita factum est corpus Christi gloriosum. Ut enim ait *Augustinus* : « Carnis quippe ille gerebat infirmitatem, quæ infirmitas Resurrectione consumpta est. » Unde et *Leo* Papa : « Sicut ergo dicit Apostolus : *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*, ejus namque Resurrectio non finis carnis fuit, sed commutatio, nec consumpta est substantia, virtutis augmento. Qualitas transiit, non natura defecit. Et merito dicitur ejus caro nesciri in eo statu quo nota fuerat, quia nihil in ea passibile, nihil infirmum remansit, et ut ipsa sit per essentiam, et non sit ipsa per gloriam : » hæc *Leo* Papa. Interim igitur, o anima mea, deponamus pissimas tristiæ querelas, ac nubila mœroris, et in lætitiæ respiremus serenum; et qui funera Redemptoris nostri prosecuti sumus cum lacrymis, qui mortem nostram moriendo destruxit, de ipsius Resurrectione et gloria jucundemur, qui vitam resurgendo reparavit. *Christus* enim *resurgens a mortuis*, *jam non moritur*, *mors illi ultra non dominabitur*. Induit enim eum Dominus Pater stola immortalitatis et gloriæ, et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus, jucunditatem et exsultationem thesaurizavit super eum. Totum igitur in eo plenum est gaudio, totum lætitia cumulatum, totum exsultatione refertum. Caro enim Christi, flos ille pulcherrimus de radice Jesse, qui in nativitate floruit, quia ex Virgine sine peccato tamquam pulcherrimi floris singulare decus emicuit, qui in Passione defloruit, quando neque species, neque decor ei fuit ; sic in Resurrectione, resumpto etiam sanguine fuso in cruce, cum omnibus quæ sunt de veritate humanæ naturæ, per gloriam refloruit, ut omnium esset decor. Nam corpus illud gloriosissimum subtile, agile et immortale, tantæ claritatis supervestitum est gloria, ut vere sole fulgentius, exemplarem præferens pulchritudinem suscitandorum corporum humanorum, de quibus ipse Salvator ait : *Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris*, scilicet, in beatitudine sempiterna.

Quod si quilibet justus fulgebit ut sol, quanti putas esse fulgoris ipsum justitiæ Solem ? Tanti, inquam, est, ut sit speciosior sole, et super omnium dispositionem stellarum luci comparatus, decor præcipuus non immerito judicetur. Tunc renovata est, ut aquilæ juventus Christi ; tunc leo suum catulum suscitavit ; tunc phœnix revixit ; tunc ex eodem luto, fractis vasis, fecit aliud vas figulus sicut placuit in oculis suis ; tunc Jonas de ventre ceti illæsus exivit ; tunc vestitum est candelabrum auro ; tunc suscitatum est tabernaculum David, quod cecidit ; tunc refulsit sol, qui prius erat in nubilo ; tunc vivificatum est granum frumenti, quod cadens in terra mortuum erat ; tunc cervus resumpsit cornua ; tunc Samson tulit portas civitatis et exivit; tunc Joseph eductus de carcere tondetur, et constituitur Dominus Ægypti ; tunc conscissus saccus circumdatur lætitia.

5 Magnitudo solemnitatis pascalis et diei Dominicæ. — Magna igitur et solemnis valde est solemnitas Pascalis, et ceteras præcellit solemnitates. Unde omnes dies Dominici octavæ sunt hujus festi, et in eo omnia signa lætitiæ proponuntur. Dignitas quippe Dominicæ diei notatur : in hoc quod fuit prima dierum ; item, nox illam non præcessit ; item, ut dicitur, erit ultima dierum ; item, nox illi non succedet ; item, cœlum et terra sunt in ea creata ; item, Angelus est in ea creatus, et ad Deum conversus ; item, primo data sunt in ea filiis Israel mandata ; item, Christus in ea natus est ; item, Christus in ea resurrexit ; item, Spiritus Sanctus in ea datus est Apostolis ; item, in ea omnes resurgemus, atque judicabimur ; item, in ea continuandum est perpetuo in laude Dei. Unde *Gregorius* : « Hanc recte nobilitatem solemnitatis dicam, quia solemnitate ceteras antecedit. Sicut enim in sacro eloquio sancta sanctorum, vel cantica canticorum, pro sui magnitudine dicuntur ; ita hæc festivitas recte dici potest solemnitas solemnitatum. Ex hac quippe solemnitate exemplum nobis resurrectionis datum est, spes cœlestis patriæ aperta, et facta superni regni jam præsumptibilis gloria. Per hanc electi, qui quamvis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt. Quanta est ergo ista solemnitas, quæ et inferni claustra destruxit, et januas nobis regni cœlestis aperuit ? » Unde et *Augustinus* : « Alacrior dies illa refulget, non de usitatis solis circulis illuminata præclarius, sed de lumine Agni resurgentis illustrata sublimius. Hac enim die Sol justitiæ Christus ascendit ab inferis, et idcirco pulsemus citharam David, canentes : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea.* Contemplemur hunc diem, qualem noctem habuerit genitricem. Nox quæ cœlum luminaribus imitatur, imo in qua cœlum et terra lætantur, nox bonæ parturitionis, nox de qua dicitur : *Et nox sicut dies illuminabitur,* et ab ipsa est dies quam fecit Dominus, dies Dominicus. Et recte dies dicitur lucis, in quo fugerunt tenebræ cæcitatis ; exclamaverunt qui erant in regione umbræ mortis, quia lux orta est eis. Lætetur terra, quia novam lucem vidit, lætentur et Angeli, quia peccatoribus Dominus claritatem dedit. Contremuerunt inferi sustinendo splendorem insolitum, et incurvatum est omne genu Christo Domino, cœlestium, terrestrium et infernorum. Omnia ergo nobiscum hodie triumphant, et Angeli, et Archangeli, ceterique beatorum spirituum ordines nobiscum festa concelebrant. Nos quoque imitamur cantilenam cantantes cantica cœlestia, quæ adhuc humana cantare non potest lingua. Exsultemus ergo in Domino, sed in timore, non remissa securitate. Nam et beatus Joannes præcursor exsultavit in utero matris, sed vinum non bibit, præcepto Angeli Gabrielis. Nos autem, qui infirmi sumus, sobrie bibamus, modum non excedamus, ut lætitia nostra cum exsultatione nullam sentiat corporis tempestatem, sed per sobrietatis serenitatem, portum intremus salutarem. Accepimus jejuniorum palmam, festivitatis non amittamus victoriam,

quam nobis tribuat Dominus Christus adjuvando, quia vicit in nobis patiendo, ut digno carmine triumphemus cantantes : *Absorpta est mors in victoria, alleluia.* Ignitam quippe romphæam illam, et paradisi januam, quam nullus effringere potuit, hac die Christus cum latrone reseravit, dicens ad Angelos : *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino.* Ex illo nimirum tempore, quo passus est Dominus Jesus, porta hæc et clausa et reserata est : clausa quidem incredulis et peccatoribus, reserata vero justis et credentibus. Quomodo Mater Domini virgo Maria inter omnes mulieres principatum tenet ; ita et inter ceteros dies hæc omnium mater est. Hæc dies est una de septem, et extra septem. Hæc est dies, quæ appellatur octava, unde et in quibusdam psalmorum titulis superscribitur: *Pro octava.* Hæc est dies, in qua synagoga finitur, et Ecclesia nascitur. Hæc est dies in cujus numero octo animæ servatæ sunt in arca Noe. Et quid mihi necesse est infinita replicare ? Dies mihi deficiet, si voluero omne diei istius exponere sacramentum. Hoc tantum dico, quod universa sabbati gratia, et antiqua illa festivitas populi Judæorum diei istius solemnitate mandata est. Illi in sabbato non faciebant opus servile ; nos in die Dominico, hoc est, in die Resurrectionis opus servile non facimus. Illi de domibus suis non egrediebantur ; et nos de domo Christi non egrediamur. Illi non accendebant ignem in die sabbati ; nos e contrario accendamus in nobis ignem Spiritus Sancti, de quo igne Dominus ait : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur ?* Desiderat Dominus istum ignem ardere in nobis ; Spiritum Sanctum fervere, ut non refrigescat caritas Dei. Illis agnus aut hircus, nobis Christus occiditur. Pro quibus universis fratres consona voce pariter cantemus : *Hæc dies quam fecit Dominus ; exsultemus et lætemur in ea :* » hæc *Augustinus.*

6 Vox ALLELUIA QUID SIGNIFICET ? — Idem vero *Augustinus* de voce *alleluia* tempore pascali præsertim usurpari solita sic ait : « Hinc ergo et a nobis *alleluia* decantetur, quod Latine *laudate Dominum* interpretatur. Laudemus Dominum, fratres, vita, lingua, corde et ore, vocibus et moribus. Sic enim sibi dici vult Deus alleluia, ut non sit in laudante discordia. O felix alleluia in cœlo, ubi templum Dei sunt Angeli ! Ibi enim concordia summa laudantium, ubi nulla lex in membris repugnat legi mentis, ubi non est rixa cupiditatis, in qua periclitetur victoria caritatis. Hic ergo alleluia cantemus, adhuc solliciti ; ut illic possimus aliquando cantare securi, quando scilicet hoc mortale corpus, immortale et incorruptibile factum fuerit ; quando tota tentatio perierit. O felix illic alleluia, o vita secura, o sine adversario, o ubi nemo erit inimicus, nemo perit amicus ! Ibi laudes Deo, et hic laudes Deo : sed hæc a sollicitis, ibi a securis ; hic a morituris, ibi a semper victuris ; hic in spe, ibi in re ; hic in via, ibi in patria. Modo ergo, fratres mei, cantemus, non ad delectationem quietis ; sed ad solatium laboris. Quomodo solent viatores cantare, tu, canta et ambula, et cantando laborem consolare. Pigritiam noli amare ; sed ambula, et in bono profice. Canta et ambula ; noli errare, noli redire, noli remanere : » hæc *Augustinus.* Unde et *Beda :* « Et quoniam illa vita tota in Dei laude geritur, cessantibus cunctis languoribus, merito quinquaginta diebus in memoriam hujus nostræ quietissimæ ac felicissimæ actionis crebrius ac festivius alleluia canere solemus : *alleluia* namque Hebræus sermo est, et interpretatur Latine : *laudate Dominum.* In Psalmis itaque, ubi nos canimus : Laudate Dominum, pro hoc verbo apud Hebræos semper canitur : Alleluia, quod Evangelista Joannes in Apocalypsi sua cœlestium agmina virtutum cantica se audisse perhibet. Sed et venerabilis pater Tobias, intelligens qualis supernorum civium gloria, quanta ipsius Jerusalem cœlestis sit claritas, hæc mystica voce dicebat : *Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur :* hæc *Beda.*

7 Resurgere debet anima. — Resurge nunc, anima mea, cum Christo de sordido peccati sepulchro, respira jam in spem resurrectionis, et vitæ perennis. Pro amore Dei moriamur in præsenti vita, ut post resurrectionem vivamus in futura : quia si pro amore Christi nunc mortuum corpus portamus, tunc in lætabundo gaudio, cum ipso conregnabimus. Sic ergo curemus interesse festis hominum, ut mereamur etiam interesse festis Angelorum. Unde ait *Gregorius :* « Ecce Paschalia solemnia agimus; sed ita vivendum est nobis, ut pervenire ad æterna festa mereamur. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festive celebrantur ; curate, qui his solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Quid prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis Angelorum ? Umbra venturæ solemnitatis est solemnitas præsens. Idcirco hanc annue agimus, ut ad illam, quæ non est annua, perducamur. Cum hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Frequentatione ergo gaudii temporalis, ad æterna gaudia mens incalescat et ferveat, ut ex veritate lætitia perfruatur in patria quod de umbra gaudii meditatur in via : » hæc *Gregorius.*

8 Figuræ Resurrectionis Christi. — Christus Resurrectionem suam per Samsonem fortissimum olim figuravit, qui civitatem inimicorum suorum introivit et ibidem nocte dormivit; et cum inimici portas civitatis custodirent, ut ipsum mane comprehenderent, et occiderent, ipse media nocte surrexit, et portam civitatis secum detulit. Sic Christus urbem hostium suorum, hoc est infernum, potenter intravit; et destructo eo, media nocte resurrexit. Christus etiam per Jonam, Resurrectionem suam præfiguravit, quem in ventre ceti per triduum vivum conservavit, et post triduum cetus ipsum de ore in terram vivum emisit. Fuit etiam Resurrectio Christi præfigurata per lapidem, quem reprobaverunt ædificantes templum Domini. Qui cum ab eis propter ineptitudinem abjectus esset, tandem consummato templo, cum lapis angularis poni deberet, qui in se duos parietes complecteret, non est inventus lapis ad hoc aptus, nisi ille qui ab ædificantibus fuerat reprobatus. Christus erat lapis reprobatus in sua Passione; et factus est Ecclesiæ lapis angularis, in sua Resurrectione. Tunc adimpleta est illa prophetia David : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*; et ideo ipsa cantatur in die festo Resurrectionis. Lapis iste duos parietes in templo Domini coadunavit, quia Christus de populo Gentili et Judaico unam Ecclesiam ædificavit ; in hoc autem ædificio pro cæmento usus est suo pretiosissimo sanguine, et pro lapidibus suo sacratissimo corpore.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, dulcor unice, qui ruptis vinculis mortis, glorificasti corpus tuum, et in tam ineffabili gloria surrexisti, precor et obsecro te. per tuam Resurrectionem floridam, da mihi ut a vitiis, et a morte animæ resurgens, in virtutibus semper floream, et in novitate vitæ ambulem, ut quæ sursum sunt quæram et sapiam, non quæ super terram. Per tuæ claritatis virtutem, purga animam meam a tenebris peccatorum; et per eamdem virtutem die universalis resurrectionis caro mea resurgat ad gloriam, ut tecum æternaliter in utroque gaudeam. Amen.

# CAPUT LXX

## QUOMODO DOMINUS JESUS APPARUIT MATRI SUÆ.

1 Tres Mariæ tres hominum salvandorum status signantes veniunt ad sepulchrum. — Eadem autem hora, scilicet summo mane, Maria Magdalene, et Maria Jacobi Minoris mater, quæ etiam appellatur Maria Joseph, scilicet mater, qui fuit frater Jacobi, et unus de septuaginta duobus discipulis, Domini et ab Apostolis cum Matthia statutus, et quandoque Maria Cleophæ, scilicet filia appellatur; et Maria Salome, scilicet filia, quæ etiam mater filiorum Zebedæi vocatur; et ceteræ quæ cum eis erant, licentia prius petita a Domina, cœperunt ex devotione et fide, quam ad Dominum habebant, ire cum unguentis ad monumentum ad inungendum corpus Dominicum. Domina autem remansit domi, vacans interim lacrymis et orationi. Et pulchre hæ mulieres uno censentur nomine; ut quibus una erat voluntas, parque desiderium, unum esset vocabulum. Ubi sciendum, quod tres sunt status hominum salvandorum, quorum quilibet quærit Christum et extra hos nemo salvatur, scilicet : incipientium, proficientium, et perfectorum ; sive pœnitentium, activorum, et contemplativorum. Et hi tres status signantur per tres Marias, quæ quærebant Dominum, quantum ad triplicem nominis Mariæ interpretationem. — Status pœnitentium signatur in Maria Magdalena, quæ famosa peccatrix fuerat, et pœnituit. Et licet alibi per ipsam accipiatur vita contemplativa; ut tamen Marcus hic de ipsa loquitur, dicens : *Maria autem erat, de qua ejecerat septem dæmonia*, sic inter pœnitentes reputatur, imo ipso in Evangelio primiceria pœnitentium fuisse dignoscitur. Et secundum hoc bene convenit ei nomen Maria, prout interpretatur *mare amarum*, secundum etymologiam Latinam, vel secundum derivationem Hebraiceam, a vocabulo *mara*, quod Latine est amara ; unde Ruth dixit : *Non vocetis me Noemi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Dominus*. Quod bene verificabatur in Maria Magdalena quando ante pedes Domini lacrymis lavit maculas criminis. Sic et Petrus pœnitens flevit amare. Unde cuilibet animæ vere pœnitenti dicitur illud Threnorum : *Magna est, velut mare, contritio tua, filia Sion*. — Status vero proficientium et activorum signatur in Maria Jacobi, quæ fuit mater Jacobi Minoris. Ad proficientes enim pertinet supplantare vitia, et luctari in exercitio spirituali virtutum; cui convenit alia interpretatio Mariæ, prout interpretatur *Domina*, Syriace. Quia enim proficere volentes, sunt in continuo conflictu, propter pronitatem ad malum, et difficultatem ad bonum, necesse est proficientes dominari passionibus per rationem, ne tentationibus cedant; ex qua lucta, quando videlicet ratio prædominatur sensualitati, generantur virtutes : *Nam virtus in infirmitate perficitur*. — Status autem perfectorum et contemplativorum signatur in Maria Salome, quæ fuit mater filiorum Zebedæi, scilicet Jacobi Majoris, et Joannis. Hæc postulavit filiis suis regnum; sic perfecti et contemplativi non occupantur, nisi circa regnum Dei, imo ipsi in se habent regnum Dei, et hic prægustant quodammodo regnum cœlorum. Unde etiam Salome, interpretatur *pacificans*, nam in hac vita nulla pax est homini, nisi in actu contemplationis. Et huic consonat tertia interpretatio nominis Mariæ, prout interpretatur, *illuminata*. Unde animæ contemplativæ dicitur illud Isaiæ: *Surge illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum*, etc.

2 Aromata Mariæ Magdalenæ et Mariæ Jacobi mystice pœnitentibus et proficientibus applicata. — Quælibet autem istarum Mariarum, habet sua aromata et unguenta propria. Pœnitentium aromata sunt : dolor contritionis, pudor confessionis, et labor satisfactionis; ex his conficitur unguentum, quo libenter ungitur Dominus. Conficitur autem hoc unguentum ex myrrha, ex aloe, et ex thure : per myrrham, quæ valde amara est, significatur amaritudo contritionis; per aloes, quod etiam amarum est, et valet contra retentionem menstruorum, id est peccatorum, significatur verecundia confessionis; per thus, cujus odor cum fumo ascendit, significantur opera satisfactionis, quæ per rectam intentionem in Deum diriguntur. Sed ex his tribus non conficitur bene unguentum, nisi apponatur oleum misericordiæ divinæ, sine qua omnis pœnitentia est inefficax, admixto autem hoc oleo, optimum unguentum efficitur; et tale fuit unguentum Mariæ Magdalenæ, quæ omnes partes pœnitentiæ perfectissime implevit, assistente sibi misericordia Salvatoris, ut patet in Evangelio. Ipsa enim lacrymas copiose effudit, ex amaritudine contritionis; convivantes non erubuit, ex pia impudentia confessionis; pedes Domini lacrymis lavit, capillis tersit, osculabatur, unxit, et se totam Christi obsequio devovit, et impendit, et hoc ex immenso affectu satisfactionis. — Proficientium sunt aromata : patientia, humilitas, perseverantia, seu longanimitas; ex quibus conficitur unguentum activorum. Et hoc unguentum intrant myrrha, et gutta, et casia, quæ fluunt a veste vitæ Christi : myrrha bona est in omni unguento, et ideo licet posita sit in unguento pœnitentium, convenienter tamen ponitur etiam in unguento proficientium, et ponetur etiam in unguento perfectorum. Myrrha enim arcet vermes; sic patientia arcet vermes, qui mordere solent cor patientis, ne contra injuriantem dolore mordeatur; et hac patientia maxime opus est, proficere volentibus exercitio spirituali, quoniam, secundum *Gregorium*, virtutes inter pressuras passionum, et puncturas tentationum crescunt. Per guttam autem, quæ et aromatica dicitur, significatur humilitas : quia gutta pellit omnes inflaturas et tumores; sic humilitas curat cordium duritias. Hac etiam o us est proficientibus, quia, secundum *Gregorium*, origo virtutis est, et ideo illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est in humilitate perdurat, a qua si abjicitur, arescit, quia vivificantem se in infimis humorem perdit. Per casiam, quæ et fistula dicitur, significatur perseverantia, seu longanimitas, ut videlicet quis in exercitio spirituali non frangatur desperatione aut tædio, nec statuat sibi terminum in profectu; sed semper tendat ad melius sine termino, quia in spirituali profectu non est status. Casia enim in aquosis nascitur, et crescit in immensum ; sic bonus proficiens, aquis divinarum gratiarum fœcundatus, crescit in immensum, de virtute in virtutem, et numquam cessat, donec videatur Deus deorum in Sion. Sed et hæc aromata non bene unguentum conficiunt, si non apponatur oleum lætitiæ, ut videlicet homo lætitiam spiritualem habeat in bonis operibus suis, et illam ponat in corde atque conscientia sua, non in laudibus hominum. Et istud est unguentum Mariæ Jacobi, quæ habuit quatuor filios, scilicet : Jacobum Minorem, qui interpretatur *supplantans*, scilicet passiones per patientiam; Simonem, qui interpretatur *obediens*, per humilitatem; Joseph, qui interpretatur *augmentum*, vel *appositio*, per longanimitatem; et Judam, qui interpretatur *glorificans*, scilicet Deum, per spiritualem lætitiam.

3 Aromata Mariæ Salome mystice perfectis applicata. — Perfectorum vel contemplativorum aromata, sunt : carnis omnimoda mortificatio, deifica conversatio, et caritatis perfectio, ex quibus fit unguentum suavissimi odoris, quod intrant myrrha, cinnamomum, et balsamum. Per myrrham enim accipitur totalis mortificatio carnis, quæ convenit perfectis. Nam pœnitentibus conveniebat myrrha, mortificans peccata per amaritudinem

contritionis; proficientibus conveniebat myrrha, mortificans passiones, vermem scilicet remordentem, contra tolerantiam passionum; sed perfectis convenit myrrha mortificans carnem a petulantia rebellionis, ne videlicet caro in aliquo rebellet spiritui. Et hæc est myrrha electa prima et probatissima, de qua dicitur in Canticis : *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Manus enim, id est opera pœnitentium et activorum, stillant quidem myrrham, ut dictum est; sed digiti, id est subtiles et spirituales exercitationes contemplativorum, pleni sunt myrrha probatissima. Probata quippe est myrrha pœnitentium, probatior proficientium, sed probatissima est contemplativorum et perfectorum. Per cinnamomum vero accipitur deifica conversatio. Cinnamomi enim cortex, cum frangitur, spiramentum visibile reddit ad modum nebulæ vel pulveris, et valet ad bonum odorem oris; sic perfectus si frangitur vituperatione, vel injuria corporali, molestia, vel inedia, laborum frequentia, vel quæcumque accidunt adversa, semper spirat visibiliter odorem deificæ conversationis, atque emittit odorem dulcis responsionis. Per balsamum *perfecta caritas* intelligitur, quæ *foras mittit timorem*, et omne cum quo ipsa stare non potest. Balsamum enim purum et non adulteratum, corpora a corruptione conservat; sic ubi caritas pura et perfecta, ibi nulla corruptio hominis interioris, quia, secundum *Augustinum*, habere omnia sacramenta, et male esse quis potest; habere autem caritatem, et malus esse non potest. Sed ex istis perfectorum aromatibus, non fit unguentum sine admixtione olei divinæ dulcedinis, quæ semper prædicta tria comitatur, quod oleum degustaverat Propheta, cum dicebat : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, etc.* Et istud est unguentum Mariæ Salome; quæ fuit filia Salome uxor Zebedæi, et mater Jacobi Majoris, et Joannis. Per Jacobum Majorem, intelligitur *totalis supplantatio*, vel mortificatio hominis exterioris; per Salome, intelligitur deifica conversatio, quæ non est nisi in homine bene intra se *pacificatio*. Per Joannem, caritas intelligitur, quia erat præ ceteris a Christo dilectus; sed per Zebedæum, qui interpretatur *fluxio*, intelligi potest divina dulcedo, qua talis anima fluit, et affluit deliciis internis. Itaque quælibet anima, pro statu suo debet istas mulieres imitari, et cum istis unguentis Jesum quærere et ungere, ut scilicet instanter pœnitentiam faciat, viriliter tentationem sustineat, pacificeque ad proximum se habeat. Ista enim tria, ut ait *Bernardus*, faciunt apparere Jesum, et cuilibet secundum statum suum.

4 Quid in sensu morali tres istæ mulieres eorumque aromata? — Moraliter, per istas tres mulieres, signantur in justo quolibet : mens, lingua, manus; quæ habent valde pretiosa unguenta. Mentis unguenta sunt tria : contritio, compassio, et devotio; primum, scilicet contritionis, conficitur ex vilissimis speciebus, scilicet ex peccatis, quæ crescunt in nostro horto proprio; secundum, scilicet compassionis, conficitur ex amarissimis speciebus, scilicet ex proximorum miseriis, quæ crescunt in horto alieno; tertium, scilicet devotionis, conficitur ex pretiosis speciebus, scilicet ex Christi beneficiis, quæ crescunt in horto Dominico. Linguæ unguenta sunt tria : oratio devota, confessio integra, prædicatio vera; primum, scilicet orationis, conficitur ex herbis, quæ sunt intentio recta, attentio firma, atque affectio pia; secundum, scilicet confessionis, conficitur ex herbis, quæ sunt pudor commissi, dolor amissi, et timor supplicii; tertium, scilicet prædicationis, conficitur ex herbis, quæ sunt fidei instructio, morum informatio, et vitiorum increpatio. Manus unguenta, sunt septem misericordiæ opera, de quibus est iste versus :

*Colligo, poto, cibo, redimo, tego,*
*[visito, condo.*

Qui autem vult prædicta aromata et unguenta habere, oportet ea emere. Ille enim qui emit, dat de suo et accipit de alieno, sic in operibus vir-

tuosis oportet aliquid ponere de nostro, scilicet voluntatem, et aliquid recipere a Deo. scilicet operandi facultatem ; vel, a Deo recipimus gratiam prævenientem, de nostro autem apponimus voluntatem subsequentem. Quamvis ergo multæ aliæ mulieres Dominum sequerentur, istæ tamen præcipue venerunt, quia Christo plus obligatæ erant, ex eo quod plura beneficia ab eo receperant. Maria enim Magdalena multum Christo tenebatur quia ab ea septem dæmonia ejecerat; Maria autem Jacobi, et similiter Maria Salome Christo multum tenebantur : tum quia nepos earum erat, tum quia filios suos cardinales, id est Apostolos fecerat.

5 Cur B. Maria Virgo ad monumentum non venerit? — Sed mirum videtur quod Beata Virgo cum istis mulieribus ad monumentum non ivit, sed domi remansit. Super hoc autem possunt tres causæ assignari. Una, quia Mater sepulchrum Filii sine magno dolore videre non potuisset, et maxime recenter sepulti. Si enim sepulchrum Filii vidisset, quasi doloris gladius animam ejus perforasset. Et satis probabile est quod si ire voluisset, Joannes ejus custos hoc non permisisset; imo etiam ceteri Apostoli dixissent Joanni : Nullo modo illuc eam ire permittas, quia si ierit, tantum ibi flebit et se mactabit quod fere se occidet — Secunda causa est, quia in Parasceve et sabbato tantum fleverat et tantum se mactaverat, quod etiam sustinere se non posset ; ut enim dicit *Bernardus*, oportuit quod inter manus discipulorum tamquam semiviva de cruce ad domum propriam portaretur. Unde et *Augustinus* : « Illa pia Mater immani dolore ejulans, et pectora delicata contundens, ita viscera omnia fatigaverat et membra, ut jam sensu deficiens, vix potuisset ad funus Christi pervenire. » — Tertia causa est, quia prædictæ mulieres putabant corpus Christi adhuc in monumento esse, et volebant, prout antiquitus consuetudo erat, ipsum corpus inungere, ut conservaretur a fœtore, et a vermium corrosione, et ab incineratione ; sed erant deceptæ, quia corpus Christi erat deitate imbalsamatum, et ideo, si per decem millia annorum in terra latuisset, numquam potuisset putrefieri, nec incinerari, nec a vermibus corrodi. Beata autem Virgo scivit, quod ibi non erat; sed quia jam immortalis et incorruptibilis surrexerat, et ideo illuc ire nolebat, sicut nec poterat. Ipsa itaque ex quo unigenitum Filium suum teneri, flagellari et crucifigi vidit, delicatis manibus delicata pectora tundens, et se nimio dolore vigiliisque et jejuniis affligens, jam viribus pariter et spiritu attenuata, alicubi sola in secreto domus sedebat ; et de his quæ sibi acciderant calamitatibus, lamentabatur et flebat.

6 Apparitio prima Domini Mariæ Matri facta. — Domina igitur orante et lacrymas dulciter emittente, ecce subito venit Dominus Jesus in albissimis vestibus gloriæ et Resurrectionis novitatis suæ; vultu sereno, speciosus, gloriosus, et gaudens, ac Matri desolatæ et mœrenti totus festivus apparens. Ac illa adorans et surgens cum lacrymis, præ gaudio eum amplexatur; et tota acerbitas mœroris in lætitiam vertitur. Postea consedentibus eis pariter, curiose intuebatur eumdem in vultu et cicatricibus per totum, diligenter quærens si omnis pœna transisset, et omnis dolor ab eo discessisset. O quanto gaudio Mater impletur, cum ipsa Natum impassibilem intuetur, non solum in æternum victurum, sed et cœlo et terræ, omnique creaturæ perenni jure dominaturum ! Stant igitur et colloquuntur ad invicem gaudentes ac Pascha delectabiliter et amanter ducentes; et narrat ei Dominus Jesus qualiter populum suum liberavit de inferno, et quæ fecit in illo triduo. Ecce igitur nunc magnum Pascha. De hac apparitione, qua ante ceteros Virgini gloriosæ apparuisse creditur, nihil in Evangelio habetur; sed ideo ipsam posui, et ante alias præmisi, quia sic pium est credere, prout in quadam Legenda de Resurrectione Domini plenius continetur. Dignum namque erat, ut Matrem præ ceteris visitaret, et Resurrectione sua prius lætifica-

ret, quæ præ ceteris plus dilexit, ejus amoris desiderio plus afficiebatur, plus de ejus morte doluit, plus dolore afflicta ejus Resurrectionem exspectavit. Et licet hoc ab Evangelistis subticeatur, pie tamen sic creditur. Unde et Romana Ecclesia hoc comprobare videtur, quæ statim ipsa die, apud sanctam Mariam Majorem Romæ celebrat stationem; per hoc innuens, Beatæ Mariæ primo factam apparitionem.

7 Cur evangelistæ hanc apparitionem non scripserint? — Quid enim si Evangelistæ hoc non dicant? Non enim, ut ait Joannes, omnia ejus facta scripta sunt. Nam si hoc ideo non creditur, quia nullus Evangelistarum testatur, consequens est, ut post Resurrectionem numquam sibi apparuerit, quia ubi, vel quando nullus Evangelista edisserit. Sed absit ut talem Matrem, talis Filius, tali et tanta negligentia dehonoraverit, qui patrem et matrem honorari præcepit. Sed ideo forsitan hoc Evangelistæ subticuerunt, quia eorum fuit officium solummodo Resurrectionis testes inducere; Matrem autem ad testificandum pro Filio suo inducere non decuit. Si enim verba extranearum mulierum deliramenta sunt visa; quomodo non magis Matrem, pro honore Filii crederent delirare? Hoc igitur Evangelistæ scribere noluerunt; sed pro constanti reliquerunt. Hoc est quod testatur *Ambrosius*, sic dicens : « Vidit Maria Resurrectionem Domini; prima vidit, et credidit. Vidit Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret. » Unde ait *Anselmus* : « At si aliquis quærit, cur Evangelistæ non referant ipsum piissimum Dominum a morte resurgentem, huic dulcissimæ Matri, ut ejus dolores mitigaret, primo ac præcipue apparuisse, dicimus, quod a quodam sapiente de hoc ipso sciscitantes audivimus. Ait ergo : Tanta scitur auctoritas narrationis Evangelistæ, ut nihil in ea dependens, vel inane, vel superfluum reperiatur. Itaque, si Matri, si Dominæ mundi ipse Filius ejus ab inferno resurgens scriberetur, sicut aliis, apparuisse, eamque de sua Resurrectione docuisse; quis non tale scriptum superfluum diceret? Reginam videlicet cœli et terræ, omnisque creaturæ coæquaret illi vel illi quibus apparuit, viro vel mulieri. Spiritus ejus plene atque perfecte in illa quiescebat, qui sibi et esse illius, et omnia facta ejus, et luce clarius revelabat; et Evangelistæ scriberent, tunc vel tunc illi talem vel talem semet exhibuisse? » hæc *Anselmus*. Unde etiam *Sedulius* :

*Semper virgo manens, hujus se visi-*
*[bus astans,*
*Luce palam Dominus prius obtulit...*

Dicit etiam *Ignatius*, quod primo Dominus apparuit Matri suæ post Resurrectionem, et consolabatur eam; ex quo tanto fuit repleta gaudio, quod oblita fuit omnis doloris quem habuerat de sua Passione. Quod ergo infra dicitur apparuisse *primo Mariæ Magdalenæ*, intelligitur, inter eos, quibus voluit suam Resurrectionem probare; Matri enim Virgini primo omnium apparuit, non ut Resurrectionem suam probaret, sed ut eam de visu suo lætificaret.

## ORATIO

O Maria, Dei Genitrix et Virgo gratiosa, omnium desolatorum ad te clamantium consolatrix vera, per illud magnum gaudium quo consolata es, quando cognovisti Dominum Jesum die tertia a mortuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix animæ meæ; et apud eumdem tuum, et Dei Natum unigenitum, in die novissimo, quando cum anima et corpore ero resurrecturus et de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris juvare; quod perpetuæ damnationis sententiam per te, pia Mater et Virgo valeam evadere, et cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter pervenire. Amen.

# CAPUT LXXI

## QUOMODO MARIA MAGDALENA ET ALIÆ MARIÆ, ET PETRUS ET JOANNES VENERUNT AD MONUMENTUM.

Matthæi cap. XXVIII, Marci cap. XVI, Lucæ cap. XXIV et Joannis cap. XX.

1 Dierum denominatio apud Hebræos et Gentiles. — *Vespere autem sabbati,* id est nocte sequente sabbatum, nomine enim vesperis, quod principium noctis est, significat noctem, scilicet a parte totum, et ideo mutat genus, referens ad sensum, non ad nomen; et ait : *quæ,* scilicet nox, *lucescit,* id est lucescere incipit, *in prima sabbati,* id est in prima die post sabbatum, seu prima die septimanæ, quæ apud nos Dominica dicitur; *valde diluculo et mane, orto jam sole,* id est ortu suo jam cœlum illustrante, quamvis nondum appareret terris, raris adhuc tenebris existentibus, hoc est jam rubescente aurora, et cœlo ab Orientis parte ob solis vicinitatem jam albescente : aurora enim media est inter tenebras noctis et perfectam lucem diei, et ideo tamquam medium ab utroque extremo potest nominari; Maria Magdalena et aliæ duæ Mariæ iverunt, et *venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant aromata.* Ubi sciendum est, quod sicut Gentiles denominabant dies totius septimanæ a nominibus deorum suorum, scilicet planetarum : ut a luna, diem lunæ, a Marte, diem Martis, et sic de aliis; ita Judæi, quia dies sabbati apud eos solemnior habebatur, sabbatum sic nominabant absolute, propter reverentiam illius diei, et ab eo tamquam a digniori omnes alios dies nominabant; ita quod dies immediate sequens sabbatum, dicebatur prima sabbati, id est prima dies post sabbatum; alia, secunda sabbati, et sic consequenter. Et, quia Hebræi et Græci numeralibus nominibus, pro ordinalibus nominibus utuntur, ideo unum apud eos, in ordine dierum, significat primum; unde in Genesi dicitur : *Factum est vespere et mane dies unus,* id est *primus*; et ideo consequenter ibi subditur *secundus*, et *tertius*, et sic de aliis. Unde et Lucas dicit : *una sabbati,* id est prima die post sabbatum vel prima die septimanæ; quia enim sabbatum apud Hebræos, non tantum diem principaliorem, a quo septimana apud eos incepit, sed etiam septimanam, ex prærogativa sabbati, denominat, ut ibi : *Jejuno bis in sabbato*, id est in hebdomada: ideo etiam cum dicitur prima vel una sabbati potest intelligi prima die septimanæ, vel hebdomadæ, quæ apud nos propter Dominicam Resurrectionem vocatur Dominica, a qua etiam apud nos incipit septimana. Nobis enim celebritas veteris sabbati, conversa et translata est in Dominicam, quæ ceteris diebus celebrior est, propter Dominicæ Resurrectionis sanctitatem, gaudium et reverentiam. Latini vero, seu Romani, et Ecclesia, modo dies vocant *ferias* : diem Dominicam vocantes feriam primam, diem lunæ secundam; et sic de aliis usque ad sabbatum. Et vocatur feria a feriare, quod est cessare, vel a ferendis victimis : quia omni die feriare, id est ab omni peccato cessare, et victimas ferre, et offerre debemus.

2 Mulieres, monumentum, et lapis obstans in sensu mystico. — Mulieres ergo istæ venerunt ita mane quod *adhuc tenebræ erant*, ut dicit Joannes; et secundum Lucam, venerunt *diluculo*, quæ est claritas media in-

ter noctis tenebras et diei claritatem, quod aurora appellari solet; et secundum Marcum, *venerunt, orto jam sole*. Et potuit esse ad litteram, quod *valde mane, cum adhuc tenebræ essent*, venire cœperunt, *diluculo* autem venerunt, sed *orto jam sole*, ad monumentum pervenerunt. Et nota, quod non sine mysterio Evangelistæ sic diversimode loquuntur de isto mane, sed omnes concordant in hoc quod fuit mane. Nam ut patet ex præmissis, istud Evangelium mystice, procedit secundum tres status electorum, per tres istas Marias significatos : etenim quod Joannes dicit, *cum adhuc tenebræ essent*, respicit statum incipientium; quod vero Lucas dicit, *diluculo*, respicit statum proficientium; sed quod decit Marcus, *orto jam sole*, respicit statum perfectorum Debent ergo fideles quærentes Christum, quilibet pro statu suo mane venire, quod est contra pigros. Debent etiam venire una sabbatorum, per quod quies et pax cordis significatur : sabbatum etenim *quies* interpretatur, quod est contra discolos et discordes. Debent etiam venire ad monumentum, et ibi quærere Dominum. Monumentum est mens humana, quantum ad quemlibet statum. Nam cor pœnitentium dicitur monumentum, ratione luctus, qui circa monumenta fieri solet; et pœnitentium est lugere, et flere super seipsos. Proficientium autem cor dicitur monumentum, ratione operis misericordiæ quod in sepeliendo mortuos exercetur; et activorum est insistere operibus misericordiæ. Contemplativorum vero cor monumentum dicitur, ratione quietis, dicuntur enim corpora quiescere in monumentis; et quies maxime ad contemplativos noscitur pertinere. In tali ergo monumento, pro quolibet statu, recte quæritur Christus. Debent etiam obstacula impedientia removere, quæ intelliguntur per lapidem magnum, ad ostium monumenti advolutum, et per Angelum, ut statim infra patebit, revolutum. Nam in quolibet statu est aliquis lapis obstans, ne quis possit intrare in intima mentis, et excercere actus suo statui competentes. Lapis obstans pœnitentibus, est pronitas ad malum; lapis obstans proficientibus, est difficultas ad bonum; sed lapis obstans contemplativis, est materialitas specierum. Sed iste lapis pro quolibet statu, plerumque removetur ad solum desiderium animæ piæ quærentis, per gratiam Spiritus Sancti. Felix Maria, id est anima, quæ ad sepulchrum Christi venit videre, per meditationem, plangere per compassionem, ac ungere per devotionem! Imitemur ergo et nos easdem sanctas et devotissimas mulieres, ut sicut illæ cum aromatibus Dominum toto corde, ac desiderio quærebant in sepulchro, quod est proprius mortuorum locus, ita et nos cum nostris aromatibus, scilicet : operatione bonorum operum, et odore virtutum, suavitateque orationum, toto affectu mentis ad Deum, per sancta desideria proficiscamur, et quæramus eum non in sepulchro, sed in cœlo, quo ipsum ascendisse credimus, atque novimus. Unde ait *Gregorius* : « Sanctæ mulieres, quæ Dominum fuerant secutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt, et ei quem viventem dilexerant, etiam mortuo studia humanitatis obsequuntur. Et nos ergo in eum qui est mortuus credentes, si odore virtutum refecti, cum operatione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus : » hæc *Gregorius*. — Mystice, monumentum est Corpus Dominicum, ad quod accedere nemo debet, nisi una sabbati, id est in pace et quiete pectoris; et valde mane, id est cum fervore, mane enim significat fervorem quærendi; vel diluculo, id est, excussis vitiorum tenebris, per dilucescentem gratiam; et portans aromata operationis et famæ bonæ. Qui aliter accedit, caveat sibi ne judicium manducet et bibat. Unde *Beda* : « Quod autem valde mane venerunt mulieres ad monumentum : juxta historiam quidem, magnus quærendi et inveniendi Dominum fervor caritatis ostenditur; juxta intellectum vero mysticum, datur nobis exemplum, illuminata facie, de-

cussisque vitiorum tenebris, ad sacrosanctum Domini Corpus accedere. Nam et sepulchrum illud venerabile figuram Dominici altaris habet, in quo Corporis ejus et Sanguinis solent mysteria celebrari. Aromata autem, quæ mulieres deferunt, odorem virtutum et orationum suavitatem, quibus altari appropinquare debemus, significant : » hæc *Beda.*

3 Quot horis Christus fuerit in monumento? — Mulier ergo, quæ prima ivit ad culpam, et nunc prima venit ad veniam ; et quæ prima perfidiam sumpsit in paradiso, festinat nunc prima fidem sumere de sepulchro; et sic contendit de morte rapere vitam, quæ olim de vita rapuit mortem. Quod autem Dominus diluculo surrexit, huic consentit auctoritas illa, quæ dicit Dominum quadraginta horis fuisse mortuum, et totidem diebus, ante ascensionem post in terra moratum, quia quatuor horis Parasceves, et triginta sex duarum noctium et unius diei; quod Ecclesia consentire videtur, quæ matutinas laudes celebrat, pro Christi Resurrectione. Unde *Petrus Cantor :* « Valde mane, dicit diluculo. Diluculum enim est inter tenebras noctis et diei claritatem, in qua salus humani generis felici vicinitate prævenit in Ecclesia declaranda, more solis, qui proxima luce consurgens roseam præmittit auroram : ut tantus splendor præparatis oculis possit intueri, quando tempus Dominicæ Resurrectionis illuxit, ut tunc scilicet duluculo laudes Christi tota caneret exemplum sanctarum feminarum Ecclesia, quando genus humanum exemplo suæ Resurrectionis animavit, quando fidem præstitit, et lumen credulitatis infudit. Ergo Christus mane et vicino ortu solis surrexit, secundum Augustinum, qui dicit Dominum tantum qnadraginta horis quievisse in sepulchro, sexta hora Parasceves passum ; et ita cum esset æquinoctium, diluculo surrexit. E contra, Hieronymus dicit, Dominum surrexisse media nocte ; legitur enim in libro Judicum, tunc Samsonem asportasse portas Gazæ usque in supercilium montis. Solutio autem contrarietatis est, quod in tempore medio inter diluculum et mediam noctem surrexit : » hæc *Petrus Cantor.*

4 Cogitationes mulierum, dum veniunt ad sepulchrum. — Dum ergo mulieres ad monumentum euntes essent extra portam Civitatis, rovocabant ad memoriam afflictiones et pœnas sui Magistri et Domini, et in omnibus locis in quibus contra ipsum notabiliter aliquid factum fuerat, aliquantulum subsistebant, genuflectentes, et osculantes terram, gemitus et suspiria dantes, atque dicentes: Hic obviavimus ei cum cruce super collum, quando Mater ejus semimortua facta est; et hic se vertit ad mulieres ; hic crucem deposuit fatigatus, et super isto lapide se parumper appodiavit ; hic fuit ubi sic crudeliter et fortiter eum impulerunt, ut velocius ambularet, et eum quasi currere coegerunt ; hic spoliaverunt eum et nudaverunt, et hic eum crucis patibulo affixerunt : et tunc cum magno clamore et inundatione lacrymarum procidentes in facies suas adoraverunt, et osculatæ sunt crucem, adhuc pretioso sanguine rubricatam. Deinde surgentes, *et* versus sepulchrum euntes, cum sexus sui fragilitatem considerarent, et magnitudinem lapidis recolerent, qui tam magnus fuisse fertur, ut vix a viginti hominibus moveri posset, *dicebant ad invicem*, et colloquentes se mutuo interrogabant, *quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti*, ut scilicet possimus in illud ingredi ? Quasi dicerent : Non possumus per nosmetipsas revolvere : *Erat quippe magnus valde.* Sed quamvis talia dicerent, non tamen ab incepto itinere cessabant, credentes Domino esse possibile, quod humanæ fragilitati videbatur impossibile. *Et respicientes viderunt revolutum lapidem*, per Angelum, qui præbens Domino suo obsequium, venerat ad manifestandum Christi Resurrectionem jam factam ; et ipsum Angelum Domini sedentem super lapidem extra monumentum. Monumentum potest dici Scriptura, in qua Dominus olim jacuit multis figuris occultatus; sed

post Resurrectionem Angelus magni consilii Scripturæ difficultatem aperuit. Unde, secundum *Bedam*, revolutio lapidis mystice revolutionem Sacramentorum Christi, quæ velamine litteræ legalis tegebatur, insinuat; Lex enim in lapide scripta fuit, et ideo per lapidem designatur. Et, secundum eumdem, Angelus sedebat super lapidem, quo ostium monumenti claudebatur, ut claustra inferorum sua ipsum Dominum virtute dejecisse doceret. Moraliter, hic lapis designat pœnitentiæ pondus, ad quod aspicientes incipientes ad Deum converti, timere incipiunt, ne possint inchoatam pœnitentiam consummare, et ideo dicunt ingemiscentes : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti, id est a corde, in quo Christus affectat sepeliri? Sed non debent diffidere et retrocedere; sed cum his mulieribus cominus procedere; descendet enim Angelus de cœlo, id est gratia Spiritus Sancti, quæ lapidem amovebit, quia totum pondus pœnitentiæ sublevabit. Ipse enim Dominus ait : *Jugum meum suave est, et onus meum leve*, scilicet adjuvante gratia Dei.

5 Apparitio angelorum. — *Et introeuntes* ab Oriente, *in monumentum*, id est intra clausuram et domunculam rotundam, quæ erat circa sepulchrum, *viderunt juvenem*, scilicet alium Angelum, *sedentem in dextris* sepulchri Jesu, *stola candida coopertum*, *et obstupuerunt*, præ gaudio et admiratione tantæ visionis. *Viderunt* enim *juvenem* ipso habitu corporis juvenilis præcedentem immortalitatem resurrectionis, in qua renovatur ut aquilæ juventus, et nemo senescit, *sedentem in dextris*, id est ad meridianam partem loci illius, ubi corpus positum fuerat, hoc quippe in dextris Jesus erat. Corpus enim Domini, quod supinum jacens habebat caput ad Occidentem, et pedes ad Orientem, dextram manum necessario habebat ad Meridiem, et sinistram ad Aquilonem. Ex quo tempore consuetudo excrevit Christianorum, ad hanc similitudinem corpora sepeliri defunctorum. Viderunt, inquam, sedentem in dextris, *coopertum stola candida*, id est alba candente, propter gaudium Resurrectionis; *et obstupuerunt*, præ admiratione tantæ visionis. In dextris et in albis Angelus apparuit, quia dextera perpetuam vitam designat, et candor vestis splendorem solemnitatis denuntiat. Unde *Gregorius* : « In dextera sedebat, qui stola candida apparuit, quia et suæ et nostræ festivitatis gaudia nuntiavit. Illa enim Domini Resurrectio, et nos ad immortalitatem reduxit, et Angelorum numerum restituens, cœlestis patriæ damna reparavit : » hæc *Gregorius*. In stola etiam candida Angelus apparuit, ad designandum puritatem vitæ, quam post Baptismum quisque debet observare. Unde et vestis alba in Baptismo traditur in signum gloriosæ resurrectionis, ad quam per Baptismum pervenitur. Sic ergo duo erant Angeli, propter testimonii sufficientiam, quia *in ore duorum vel trium, stabit omne verbum*.

6 Christus, clauso adhuc monumento, resurrexit. — Jam quidem terræ motus factus erat, cum Dominus resurrexit, et monumento clauso egressus erat Jesus ante revolutionem lapidis, sicut intravit ad discipulos, januis clausis; sed post egressum *accedens Angelus revolvit lapidem*, ut sepulchrum vacuum ostenderet, ac resurrexisse Dominum, et egressum ejus jam factum indicaret; *et sedebat super eum*. Non enim indiguit Dominus in Resurrectione auxilio Angelorum, qui propria virtute claustra dissipavit inferorum. Unde *Chrysostomus* : « Cujus gratia igitur venit Angelus, et levavit lapidem post Resurrectionem? Propter mulieres. Ipsæ enim viderunt eum in sepulchro. Ut igitur credant quoniam surrexit, vident sepulchrum corpore vacuum, propter hoc utique abstulit lapidem. » Unde et *Beda* : « Angelus revolvit lapidem, non ut egressuro Domino januam panderet, sed ut egressus jam facti hominibus indicium præstaret. Qui enim mortalis adhuc, clauso Virginis utero, potuit nascendo mundum ingredi, ipse jam factus immortalis, clauso licet sepulchro, potuit resur-

gendo exire de mundo : » hæc *Beda*. Hoc tamen aliter et aliter fuit, quia in Resurrectione habuit corpus gloriosum, cui aliud non resistit ; sed exitus de utero miraculosus fuit. Ubi nota quod cuidam monacho sancti Laurentii Romæ extra muros admiranti quomodo Christus, clauso sepulchro, exire potuerit, cingulo, quo cinctus erat resolutus dilapsus est et vox in aere facta est :

*Sic potuit Christus, clauso prodire [sepulchro.*

Igitur, ut dicit *Gregorius,* mulieres Angelos vident, quæ cum aromatibus venerunt, quia illæ mente supernos cives aspiciunt, quæ cum virtutum odoribus ad Deum per sancta desideria proficiscuntur.

7 Aspectus Angeli et timor mulierum. — Et describitur Angelus, aspectu fulgureo et vestitu candido : ut aspectu malos terreat, et vestitu bonos mulceat ad credendum Christi Resurrectionem ; timor enim et amor debent inclinare ad credendum. *Erat autem aspectus ejus, sicut fulgur*, quia facies ejus videbatur ignea, ad incutiendum terrorem custodibus ; *et vestimentum ejus sicut nix,* ad dandum consolationem mulieribus. Fulgor enim terrorem timoris denotat ; candor vero vestis gaudium Dominicæ Resurrectionis denuntiat. Unde usus Ecclesiæ habet, ut eo tempore in Ecclesia in albis psallant ; et consuetudo est Palæstinis dies festos celebrantibus, ut alba vestimenta induant. Propter quod subditur : *Præ timore autem*, et fulgore vultus *ejus, exterriti sunt custodes*, et stupefacti instar mortuorum jacentes : ecce quomodo malos terruit, et eis durus fuit. Ubi ait *Rabanus :* « Timoris anxietate sunt exterriti, qui amoris fiduciam non habebant, *et facti sunt velut mortui*, qui Resurrectionis veritatem credere noluerunt. » Ubi et *Severianus :* « Custodiebant enim crudelitatis studio, non pietatis obsequio ; stare autem non potest, quem conscientia destituit, impellit reatus. » Hic nota, quod in hoc cognoscitur bonus Angelus ab Angelo malo, a principio. Namque bonus Angelus : in principio terret, ex suo fulgore ; in medio confortat, ex sua allocutione ; in fine lætificat, ex immissa consolatione. Malus autem angelus e converso : in principio terret, ex sua horribili voce ; in medio decipit, ex fallaci promissione ; et in fine contristat, ex subsecuta deceptione.

8 Verba loquentis Angeli. — *Respondens autem Angelus* mulierum trepidationi et affectibus, *dixit eis : Nolite timere vos.* Ac si, secundum *Gregorium,* aperte dicat : « Paveant illi qui non amant adventum supernorum civium ; pertimescant qui carnalibus desideriis pressi, ad eorum societatem pertingere desperant. Vos autem cur pertimescitis, qui servos ejus quem quæritis, et vestros concives videtis ? Ecce quomodo bonos mulcet, et eis blandus exstitit. » In quo etiam ostendit, quia Dominus Jesus Christus, qui est Angelus magni consilii dictus, in ultima et generali resurrectione apparebit : et terribilis reprobis, quibus dicet : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum ;* et blandus justis, quibus dicet : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum.* Sic moraliter, prælatus bonus, qui Angelus Domini exercituum est, obstinatos terret, et pœnitentes demulcet. Hic enim notantur duæ conditiones, quæ debent esse in angelo sacerdote, ac prælato, et prædicatore : quia debet primo venenum peccati per terrorem exstinguere ; et secundo, per honestæ conversationis amorem bonos allicere. Et subjungit : *Scio enim quod Jesum* Salvatorem, *qui crucifixus est, quæritis* in sepulchro sicut mortuum *: qui crucifixus est,* additur ad differentiam aliorum, qui etiam nomine Jesu vocabantur ; item, additur ad beneficii Passionis commemorationem, unde Apostolus : *Recogitate eum*, *qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem* ; item, additur ad commendationem mulierum, quæ et Jesum etiam crucifixum quærebant : multi enim Jesum quærunt, id est Salvatorem, sed non crucifixum, quia non per crucem, cum ta-

men ille non nisi in ista inveniatur. Unde *Chrysostomus* : « Multi libenter quærunt purpuratum, sed pauci quærunt eum crucifixum vel flagellatum ; sed antequam inveniatur purpuratus, primo quæri debet flagellatus. » Marcus addit : *Nazarenum,* et sic tangit nomen ac patriam, et conditionem. Et subdit Angelus : *Non est hic,* scilicet per præsentiam carnis et corporis, qui nusquam deest per præsentiam divinitatis et majestatis; *surrexit enim* per humanitatem, qui nullum casum patitur in divinitate. Et addit : *Sicut dixit,* ut reduceret ad memoriam verba Christi dicta ante Passionem suam, ut sic magis crederent Resurrectionem ejus jam factam, impossibile enim est non fieri quod ipse dixit. Quasi diceret : Etsi mihi non creditis, mementote verborum illius. Deinde ostendit eis locum, dicens : *Venite et videte locum,* scilicet vacuum, *ubi positus erat Dominus,* hoc est, corpus Dominicum. Unde *Chrysostomus* : « Corpus Domini, Dominus dicitur, deitas etenim numquam separata fuit a corpore etiam mortuo. » Ac si dicat Angelus: Vultis certificari de Christi Resurrectione : Ecce locus ubi posuerunt eum. Si verbis meis non creditis, visui et vacuo sepulchro credatis. Propter hoc enim et lapidem revolverat, ut locum ostenderet. Unde cum per universum mundum fidelibus dicatur: *Surrexit Dominus de sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno,* soli canonici Ecclesiæ Resurrectionis Dominicæ, speciali gaudent prærogativa, dicentes, et ad oculum demonstrationem facientes : *Surrexit Dominus de sepulchro.* Similiter in Evangelio Paschali cum dicitur : *Surrexit, non est hic,* diaconus qui legit Evangelium, digito demonstrat Dominicam sepulturam.

9 Cur et quomodo discipulos in Galilæam præcesserit Dominus? — Et subjungitur : *Sed ite* festinanter, *dicite discipulis ejus* communiter, *et Petro* specialiter, *quia surrexit, et ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis* ante Passionem, et ideo sequimini eum ibidem. Quasi diceret : Non concessum est vobis hoc gaudium occulto cordis tenere, sed similiter amantibus pandere. Non dicit amatoribus mundi, sed discipulis Christi. Secundum *Gregorium* vero, non sunt discipuli, qui cum eo Pascha non faciunt ; non sunt discipuli, qui retro aspiciunt, quos curiositas vitæ detinet, illecebra capit, et spinæ retrahunt scandalorum. Ibi eum videbitis, in propinqua regione, et propinquo tempore. In Galilæam vero præcessit, ut ubi fuit initium splendoris gratiæ, ibi esset initium splendoris gloriæ; voluit etiam Dominus specialiter in Galilæa apparere, ut veritas Resurrectionis probaretur, quia ibi plura miracula est operatus, et amplius conversatus, et ideo melius cognitus. Mulieribus ergo dicitur ab Angelo, ut nuntient Apostolis vitam resurgentem, quia, suadente diabolo, mors nuntiata fuit Adæ per mulierem. Unde sicut fuit progressus in prima tentatione mortis a diabolo in mulierem, et a muliere in virum; sic in prima annuntiatione vitæ, fieret progressus : ab Angelo in mulierem, et a muliere in viros. Dicitur autem specialiter : *Et Petro* : tum propter principalitatem inter discipulos, tum ne desperaret de reconciliatione, propter magnitudinem peccati apostasiæ, tum ne ad præsentiam Domini quem negaverat, et ad discipulos venire trepidaret. Quia, ut ait *Hieronymus,* se indignum judicabat discipulatu, dum ter negavit Magistrum. Unde et *Gregorius* : « Si hunc Angelus nominatim non exprimeret, qui Magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ex nomine, ne desperaret ex negatione. » Unde, secundum *Hieronymum,* peccata præterita non nocent, quando non placent. Videamus autem, secundum *Augustinum,* cur ab Angelo, et a Domino dictum est, quod præcedet eos in Galilæam, cum hoc sit post multa completum, et tamen sic mandatum, ut aut hoc solum, aut hoc primum exspectaretur fieri debuisse. Et solvitur, secundum eumdem *Augustinum,* quod hoc prophetice et significative est accipiendum.

Galilæa namque interpretatur, vel *transmigratio*, vel *revelatio*. In Galilæa vero, secundum *transmigrationis* significationem, intelligendum occurrit, quia de populo Israel transmigraturi erant ad Gentes, quæ Apostolis prædicantibus non crederent, nisi ipse Dominus eis viam in cordibus hominum præveniens præpararet. Et hoc intelligitur, *præcedet vos in Galilæam ibi eum videbitis*, id est ibi membra corporis ejus, quod est Ecclesia, in his qui vos susceperint, invenietis. Secundum illud autem, quod Galilæa interpretatur *revelatio*, non jam in forma servi intelligendum est; sed in illa in qua æqualis est Patri, quam promisit dilectoribus suis, et illuc nos præcessit, unde ad nos veniens non recessit, et quo nos præcedens non deseruit. Illa erit revelatio tamquam vera Galilæa, cum similes ei erimus, ibi eum videbimus sicuti est. Ipsa etiam erit beatior transmigratio ex isto seculo in illam æternitatem, si ejus præcepta sic amplectamur, ut ad ejus dexteram segregari mereamur. Et, secundum *Gregorium*, quia Galilæa *transmigratio sancta* interpretatur, recte in Galilæa Dominus videndus nuntiatur : sive, quia ipse de corruptione in incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem transiit; sive, quia illi ad speciem ejus contemplandam pervenire merebuntur, qui m do transmigrant de vitiis ad virtutes, de amore mundi ad amorem Dei, declinantes a malo, et facientes bonum, quærentes et sapientes non terrena, sed cœlestia. « Cum dicitur : *Ibi eum videbitis*, ait *Hieronymus*, brevis est sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudii nostri fons, et salutis nostræ æternæ origo præparata. Ibi congregantur dispersiones, et sanantur contriti corde. Ibi, inquit, eum videbitis ; sed non sicut vidistis : » hæc *Hieronymus*.

10 Relatio ad discipulos a mulieribus facta. — Mulieres vero fraudatæ spe sua, quia corpus Domini invenire sperabant, non attendentes ad verba Angeli, quæ audierant, conterritæque ex insolita apparitione Angelorum, et gementes, quia non invenerunt Dominum, redeunt ad discipulos, dicentes, corpus Domini fuisse sublatum. *Et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et ceteris omnibus* : nuntiant discipulis, ut aut secum quærerent, aut secum dolerent. De Angelo quidem et ejus verbis, quibus Dominum resurrexisse audierant, nihil eis dixerunt, hoc solum nuntiantes eisdem, scilicet Dominum in monumento non esse. *Et visa sunt ante illos verba ista sicut deliramentum*, id est quasi phantastica, et non vera, scilicet quod Dominus resurrexisset a mortuis; *et* ideo *non crediderunt illis*, quia res nova erat, et contra consuetudinem, quod mortui resurgerent. Ut enim ait *Theophilus* : « Est naturaliter incredibile mortalibus Resurrectionis miraculum. »

11 Petrus et Joannes currunt ad monumentum. — *Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, quem amabat Jesus*, scilicet Joannes, *et venerunt ad monumentum*. Hæc enim audientes tollunt moras, ex desiderio videndi factum, quia ignis materiæ ingestus non novit moras Isti duo præ ceteris Christum amabant, et sicut familiares invicem se tenebant; propter quod in pluribus locis leguntur simul combinati. *Currebant autem duo simul, sed et ille alius discipulus*, scilicet Joannes, *præcucurrit citius Petro*, quoniam erat junior et agilior illo, *et* ideo *venit primus ad monumentum* ; *et cum se inclinasset vidit posita linteamina* ; *non tamen introivit*, propter Petri reverentiam, quem exspectavit, quia ipso senior, et inter Apostolos principalior erat. Conspice nunc bene ipsos. Currunt ipsi, currunt Magdalena et sociæ ejus post eos : omnes currunt ad quærendum Dominum suum, cor suum, et animam suam ; currunt multum fideliter, multumque ferventer, multum anxie, et multum studiose. Curre, et tu, post eos, sive potius cum eis, ut cum eis consolari merearis. Cum autem perveniunt ad monumentum, respicientes in ipso per exterius ostium intraverunt, primo Petrus, deinde Joannes. Et qui-

dem juxta litteram, Joannes qui primo ad monumentum pervenit, non introivit propter reverentiam Petri, cui primum ingressum servabat; sed mystice, secundum *Gregorium*, per Joannem synagoga, per Petrum Ecclesia designatur. Venit synagoga prior ad monumentum; sed minime introivit, quia etsi primo Scripturæ sacramenta cognovit, tamen ad fidem Passionis Dominicæ intrare distulit; secuta posterior Ecclesia Gentium, introivit in monumentum, quia Christum Jesum et cognovit carne mortuum, et viventem credidit Deum. Sed post Petrum introivit Joannes : quia in fine mundi ad Redemptoris fidem et ipsa Judæa colligetur. *Venit* ergo *Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum*, et non invenit corpus, sed *vidit* sola, scilicet sine corpore *linteamina*, quibus corpus erat involutum *posita*, id est bene disposita et plicata; *et sudarium* capitis, *non cum linteaminibus positum*, scilicet indistincte et confuse, *sed separatim involutum*, id est bene plicatum *in unum locum*, ac si ex industria hoc esset factum, quod revera totum factum est, ad ostendendum Christi Resurrectionem jam factam et quod corpus non fuerat sublatum. *Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum et vidit*, *et* unusquisque eorum *credidit* verum esse quod mulieres dixerant, scilicet corpus Christi de monumento sublatum esse, non autem surrexisse : *Nondum enim sciebant Scripturam* de Christi Resurrectione loquentem, *quia oportebat eum a mortuis resurgere*, id est, nondum erat eis apertus sensus Scripturarum, ut intelligerent illas.

12 Linteamina posita in sensu litterali et morali. — Et recesserunt stupefacti, et apud se mirantes eventum rei, qualiter sola linteamina derelicta fuere sine corpore peruncto, vel quantam opportunitatem fur habuisset, ut hæc seriatim involuta dimittens, præsentibus militibus, corpus auferret; non cogitantes de Christi Resurrectione, nec intelligentes non esse sublatum, quia simul fuissent linteamina asportata; et maxime quia propter unctionem erant fortiter corpori adhærentia, ideo per hoc quod sic panni relicti et dispositi fuerant manifeste apparebat quod resurrexerat. Separatio enim linteaminum a corpore Domini, et desertio eorum in sepulchro, signum fuit Dominicæ Resurrectionis, non transpositionis Unde *Chrysostomus* : « Considerant linteamina posita, et sudarium separatim involutum in unum locum, quod erat resurrectionis signum. Neque enim, si transposuissent quidam, hoc fecissent corpus denudantes; neque si furati essent, hujus rei solliciti fuissent, ut levarent sudarium et involverent, et ponerent in unum locum seorsum a linteaminibus; sed simpliciter, ut se habebat, suscepissent utique corpus. Propter hoc enim et Joannes ait, quoniam cum myrrha sepultus est, quæ multum conglutinat corpori linteamina, ut non decipiaris ab his, qui dicunt eum furto sublatum esse Quid autem est seorsum linteamina jacere, et sudarium seorsum involutum ? Ut discas quoniam non erat festinantium hæc res, scilicet seorsum quidem illa, seorsum vero hæc, et involuta esse. Non enim ita insensatus esset qui furaretur, ut circa rem superfluam tantum studium consumeret : » hæc *Chrysostomus*. Moraliter monumentum, in quo sunt linteamina sola, potest dici claustralis in quo est vestis religiosa exterius tantum, sine habitu interiori. Unde legitur in libro Regum : *Cumque venissent nuntii*, qui quærebant David, *inventum est simulacrum super lectum* ejus, *et pellis caprarum ad caput ejus*. Hæc est tunica Joseph inventa sine ipso. Hæc est vestis ovina, sub qua latet mens lupina. Hic, secundum *Gregorium*, divinæ dispensationis magnitudo pensanda est; quod discipulorum corda, et accenduntur ut quærant, et differuntur ne inveniant; quatenus infirmitas animi ipso suo mœrore cruciata, purgatior ad inveniendum fiat, et tanto validius teneat, quanto tardius invenit quod quærebat. Compatere igitur discipulis ipsis

et mulieribus, quia in afflictione magna sunt. Quærunt Dominum suum, et non inveniunt; et nesciunt ubi eum amplius quærere debeant.

13 ITERUM DE APPARITIONE ANGELORUM MULIERES ALLOQUENTIUM. — Dolentes igitur et flentes discipuli, et non audentes diu manere juxta sepulchrum, propter metum Judæorum, *abierunt iterum ad semetipsos*, id est ad hospitia sua, et illuc ubi habitabant, et prius latitabant, et unde ad monumentum cucurrerant, nihil certi scientes de Domini Resurrectione; Mariæ autem ibidem remanserunt. *Et factum est, dum mente consternatæ*, id est, dum stupefactæ *essent de isto* quod viderant : quia et lapidem tam immensæ magnitudinis revolutum stupebant, et corpus tam eximiæ venerationis non inventum dolebant, respicientes in monumentum viderunt duos Angelos in specie virorum, *ecce* enim *duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, ad designandum gaudium Dominicæ Resurrectionis. Angeli non solum verbo, sed etiam fulgenti habitu gloriam annuntiant triumphantis. Apparitiones enim Angelorum faciunt ad instructionem hominum; et solent per illum modum apparere, qui competit rei, de qua debent instruere : candor autem vestis, splendorem denuntiat solemnitatis; et ideo angeli hic in fulgenti apparuerunt veste, ad denotandum gaudium Dominicæ Resurrectionis. Apparuerunt autem duo, ad solemnius denuntiandum Christi Resurrectionem : solemnius quippe denuntiatur per duos, quam per unum. Ubi *Beda* : « Quomodo autem, posito in sepulchro corpore Salvatoris, Angeli astitisse leguntur, ita etiam celebrandis ejusdem sacratissimi Corporis mysteriis, tempore consecrationis assistere sunt credendi, monente Apostolo, mulieres habere velamen propter Angelos in Ecclesia. » *Cum autem* mulieres ex visione Angelorum insolita, *timerent et declinarent vultum in terram* ex verecundia, *dixerunt* isti Angeli *ad illas* consolando eas benigne, et instruendo de Christi Resurrectione : *Quid quæritis viventem*, et jam resuscitatum, *cum mortuis*? Quasi dicerent : Nolite cum mortuis, hoc est in monumento, qui locus proprie est mortuorum, quærere eum, qui ad vitam jam resurrexit a mortuis. Verumtamen multi et hodie quærunt viventem cum mortuis, ut illi, qui licet sint boni, tamen libenter conversantur cum malis, quibus potest dici illud : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Et subjungunt Angeli : *Non est hic*, scilicet in sepulchro præsentia corporis, qui tamen nusquam deest, præsentia deitatis; *sed surrexit* inde, scilicet propria virtute. Et addunt dicti sui confirmationem, dicentes : *Recordamini qualiter locutus est vobis*, quia verax est, et non fallit, *cum adhuc in Galilæa esset, dicens* : *Quia oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere* : Quasi dicerent : Diu ante prædixit hæc omnia, et ideo non miremini, si modo auditis esse facta. Jubentur verborum recordari, ut prædicatione eventus futuri confirmentur in fide jam facti. Quoniam vero, ut dictum est, mulieres, visis Angelis, timentes declinaverunt vultum in terram, mystice, cum cœlestibus mysteriis appropinquamus, exemplo mulierum harum vultum in terram declinare debemus, nos terram et pulverem esse recolentes. Unde *Beda* : « Et nos ergo exemplo devotarum Deo feminarum, quoties ecclesiam intramus, et mysteriis cœlestibus appropinquamus : sive propter angelicæ præsentiam virtutis, sive propter reverentiam sacræ oblationis, cum omni humilitate, et timore ingredi debemus. Ad conspectum quippe Angelorum vultum declinamus in terram, cum supernorum civium quæ sint gaudia æterna contemplantes, nos cinerem esse, terramque recolimus, sicut beatus Abraham : *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*. Et est notandum, quod sanctæ mulieres, astantibus sibi Angelis, non in terram cecidisse, sed vultum dicuntur in terram declinasse. Unde mos obtinuit ecclesiasticus, ut in memoriam Dominicæ vel in nostræ spem resurrectionis, et omnibus die-

bus Dominicis et toto Quinquagesimæ tempore, non flexis genibus, sed declinatis in terram vultibus, oremus : » hæc *Beda*. *At illæ* mulieres tunc neque attenderunt ad verba Angelorum, neque aliquam consolationem receperunt de visione eorum, quia non quærebant Angelos sed Dominum Angelorum, imo illæ duæ Mariæ, scilicet Jacobi et Salome conterritæ, et quasi absorptæ *exeuntes fugerunt de monumento*, et elongaverunt se inde aliquantulum, et sedebant dolentes ; *invaserat enim eas*, propter visionem Angelorum et custodum, *tremor et pavor*, id est stupor; *et nemini* scilicet de custodibus *quidquam dixerunt*, neque etiam Angelis loquentibus responderunt : *timebant enim*. Unde ait *Augustinus* : « Intelligamus ipsorum Angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, id est respondere ad ea quæ ab illis audierant, aut certe custodibus quos jacentes viderunt. »

## ORATIO

Domine Jesu Christe, unica proles summi Dei, qui dilectis tuis desiderium te quærendi indidisti ; sed ut magis accenderentur, affectum inveniendi distulisti, eosque in Galilæa te visuros per Angelum certificare voluisti, da mihi misero ardenter te quærere, et gaudenter te invenire ; ut de vitiis ad virtutes, et de amore mundi ad amorem tuum transmigrans, merear post hanc vitam ex isto seculo in illam æternitatem transmigrare, teque Deum deorum in Sion et in Galilæa vera, cum electis tuis gratia tua largiente, tunc videre. Amen.

# CAPUT LXXII

## QUOMODO DOMINUS APPARUIT MARIÆ MAGDALENÆ.

### Joannis cap. XX.

1 MARIÆ MAGDALENÆ FERVOR ET LACRYMÆ. — *Maria autem*, amaritudine plena, æstuans amore, et nesciens quid aliud deberet facere, quia sine Magistro non poterat vivere, nec ibi eum inveniebat, et ubi eum quæreret ignorabat, *stabat* ex fervore et constantia, quia vis amoris nec sedere, nec jacere sinebat, *ad monumentum foris*, et ab extra, scilicet in horto, et ante domunculam in qua erat sepulchrum, *plorans*, et lamentans Dominum suum. Tanto enim cordis ferebatur incendio, tanta pietatis afficiebatur dulcedine, tam validis trahebatur vinculis caritatis, ut femineæ infirmitatis oblita, nec tenebrarum caligine, nec persecutorum immanitate retraheretur a sepulchri visitatione, quin potius foris stans, et lacrymis monumentum irrigans, recedentibus discipulis, non recedebat ; pro eo quod divinæ dilectionis igne succensa, et tam invalescente urebatur desiderio et impatiente vulnerabatur amore, ut nihil ei saperet nisi flere, possetque illud propheticum veraciter eructare : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi es, Deus tuus.* Secundum *Augustinum*, ferventior et devotior erat ad Christum aliis mulieribus, et nimius ardor amoris eam sollicitabat. Maria enim quidquid voluit, flendo obtinuit : flendo obtinuit veniam peccatorum; flendo obtinuit

fratris resuscitationem de faucibus inferni; flendo obtinuit consolationem de Resurrectione. Lacrymas ergo fudit compunctionis, compassionis, et devotionis. Unde *Gregorius* : « Qua in repensandum est, hujus mulieris mentem quanta vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat. Unde contigit, ut eum sola tunc videret, quæ sola remansit ut quæreret; quia virtus boni operis perseverantia est. » Ubi et *Augustinus* : « Viris enim redeuntibus, infirmiorem sexum in eodem loco fortior faciebat affectus, et oculi, qui Dominum quæsierant, et non invenerant, lacrymis jam vocabant, amplius dolentes quod fuerat ablatus de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno; quoniam magistri tanti, cujus ei vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. Tenebat itaque ad monumentum jam dolor iste mulierem. » Unde etiam *Origenes* : « Audivimus, fratres, Mariam ad monumentum foris stantem, audivimus Mariam plorantem. Amor faciebat stare, dolor cogebat eam plorare. Stabat et circumspiciebat, si forte videret quem quærebat. Dolor renovatus erat ei; quia, quem prius doluerat defunctum, nunc dolebat ablatum. Et iste dolor major erat, quia nullam consolationem amplius habebat. Prima ergo fuit causa doloris, quia vivum perdiderat, sed de hoc dolore aliquantulam consolationem habebat, quoniam mortuum remanere videbat; nunc autem de isto dolore consolari non poterat, quia nec corpus defuncti inveniebat. Metuebat autem ne amor Magistri sui in suo pectore refrigesceret, quo viso recalesceret. Plorabat itaque Maria Magdalena vehementer, quoniam dolor additus erat super dolorem. Duos itaque dolores eximios uno gestabat corde, quos mitigare lacrymis volebat, sed non valebat; ac ideo tota posita in dolore, mente et corpore deficiebat, et quid ageret, nesciebat. Petrus quidem et ipse Joannes timuerunt, et ideo non steterunt; Maria non timebat, quia nihil suspicabatur sibi superesse, pro quo timere deberet. Perdiderat enim Magistrum suum, quem ita singulariter diligebat, ut præter ipsum nihil posset diligere vel sperare Perdiderat vitam animæ suæ, et jam melius arbitrabatur fore sibi mori, quam vivere : quia forsitan moriens inveniret, quem vivens invenire jam non poterat. Fortis namque ut mors dilectio, quidnam aliud in Maria faceret? Facta erat exanimis, facta erat insensibilis. Sentiens non sentiebat, videns non videbat, audiens non audiebat; sed neque ibi erat, ubi erat, quia tota ibi erat, ubi Magister suus erat, de quo tamen ubi esset nesciebat. Quærebat autem eum, et non inveniebat; et ideo stabat ad monumentum et plorabat, tota lacrymabilis et miserabilis. Certe jam nihil sapiebat Maria nisi diligere, et pro dilecto dolere. Oblita erat timorem; oblita erat denique omnia, præter illum quem diligebat super omnia. Sensus nullus in ea remanserat, omne consilium ab ea perierat, spes omnis defecerat, solummodo flere supererat : » hæc *Origenes*.

2 Inclinans se et prospiciens in monumentum, videt angelos. — *Dum ergo fleret*, propter corporis Christi absentiam, *inclinavit se*, corporaliter, *et prospexit in monumentum*, quia semper sperabat ibi eum invenire, ubi eum sepelierat, et amor inquisitionem multiplicabat. Sicut enim nos, cum aliquam rem perdimus, quamvis huc illuc quærendo discurramus, tamen ad eum locum sæpe respicimus, ubi eam habuisse meminimus; ita et hæc mulier quamvis huc illucque corpus Domini quæreret, anxia tamen de ipsius absentia frequentius monumentum aspiciebat, ubi eum positum noverat. Unde *Gregorius* : « Amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsivit ergo prius, et minime invenit, perseveravit ut quæreret, unde contigit ei ut inveniret; actumque est ut desideria dilata crescerent, et crescendo caperent quod invenissent. Sancta enim desideria dilatione crescunt, si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Hoc amore arsit, quisquis ad virtutem

pertingere potuit : » hæc *Gregorius*. Quamvis ergo Maria vidisset corpus Christi abesse, volebat tamen adhuc videre si aliquod vestigium posset percipere ; et ideo non sufficiebat sibi semel respexisse. In hoc autem quod *inclinavit se* et respexit in monumentum, datur intelligi quod cum humilitate cordis debemus prospicere mortem Christi ; et in hoc quod iterum prospexit, datur exemplum continuo oculo mentis mortem Christi prospicere. *Et vidit* Maria oculis corporis : etenim ex fervore devotionis quam habebat, illam visionem meruerat, ipsos *duos angelos* præfatos, *in albis sedentes*, supra sepulchrum et locum corporis, *unum ad caput*, *et unum ad pedes*, *ubi positum fuerat corpus Jesu* : et sic sedebant propter reverentiam loci consecrati ex tactu corporis Dominici. Angelus ad caput est, revelans divinitatis arcana, quia caput Christi Deus est ; Angelus autem ad pedes est, docens humanitatis ejus obsequia in redemptione nobis impensa. Qui *dicunt ei* : *Mulier*, *quid ploras ?* Angeli sic loquentes lacrymas prohibebant et futurum quodammodo gaudium nuntiabant. Ac si dicerent : Plorare noli, non habes causam flendi, sed magis gaudendi, ex Resurrectione Christi. Non est plorandum, sed plaudendum ; hic dies lætitiæ est, non mœroris ; læta venimus nuntiare tibi, noli ergo plorare, sed potius ad illum respice, quem tanto amore desideras videre. At illa putans eos interrogare quasi nescientes, et non Angelos esse sed homines, prodit lacrymarum causas, et *dicit eis* : *Quia tulerunt Dominum meum*, de monumento, *et nescio ubi posuerunt eum*, arbitrans custodes vel Judæos eum esse furatos. Magnus ergo dolor me flere compellit, magna tristitia viscera mea coarctat. Timebat enim ne Judæi corpus Christi in aliquem locum inhonestum projecissent, invidentes honori sepulturæ ejus ; vel ne forte asportassent, ut ei ignominiam facerent. Agebat in ea vis amoris, ut non inventum non crederet nisi sublatum ; et hæc angustiæ causa erat, quia nesciebat ubi inveniret, et officium funeris impenderet : non dicit corpus Domini mei ; sed Dominum, a toto designans partem, sicut omnes confitemur Jesum Christum Filium Dei sepultum, cum sola ejus sepulta sit caro. Vide hic mirabilem operationem amoris. Paulo ante audierat ab uno Angelo, quod resurrexit, et postea a duobus, quod vivebat ; et non recordatur, et dicit : *nescio*. Amore hoc faciebat, quia anima sua non erat, ubi ipsa erat ; sed ibi erat, ubi Magister suus erat. Namque, secundum *Origenem*, spiritus Mariæ magis erat in corpore Magistri, quam in suo. Nesciebat cogitare, vel loqui, vel audire, nisi de ipso : *Et nescio*, inquit, *ubi posuerunt eum*. Hæc erat ei major causa doloris et desolationis, quia nesciebat quo iret ad consolandum dolorem, et ubi eum inveniret. Maria, quia vidit lapidem sublatum, credidit Christum furatum et deportatum, lapide enim sublato, corpus faciliter amovetur de monumento, quod fieri non potest quamdiu lapis superpositus est : sic quamdiu lapis timoris Dei in corde est, Christus ab eo auferri non potest, si autem amovetur, cito ipsum perdit.

3 Qualiter Christus apparuit Magdalenæ. — Cum autem Maria sic ploraret, nec de Angelis aliquid curaret, amor suus, Magister suus, amplius se tenere non potuit. Dominus igitur Jesus refert hoc Matri suæ, et dicit quod vult ire ad consolandum eam, valedicensque Matri, venit in momento in hortum, ubi erat Magdalena. Stat mulier et plorat ; adest vero Jesus mœrentium consolator, et mulieris pias lacrymas intuetur, eique ab Angelis se vertenti et retrorsum conversæ apparere dignatur : *Hæc cum dixisset*, *conversa est retrorsum*, *et vidit Jesum stantem*. Per hoc ostenditur, quod si quis Christum videre desiderat, oportet ut ad Deum convertatur ; quia illi ad Deum videndum perveniunt, qui se totaliter per amorem in eum convertunt. Ubi ait *Chrysostomus* : « Cur non exspectavit Angelorum responsum, sed conversa est retrorsum, cum ad minus homines multæ reverentiæ apparerent ? Dic, quia, cum Maria illa diceret, Christus ad-

venit, cui Angeli reverentiam exhibentes assurrexerunt; quod Magdalena admirans, conversa est retrorsum, ut videret ad quid assurrexerunt. » *Et non sciebat quia Jesus est,* quia videbat enim eum in specie non gloriosum, quem Angeli gloriosum videntes honorabant. Ipsa enim nondum habebat fidem de Christi Resurrectione, et ideo talis ei apparuit in corpore, qualis apud eam erat in mente ; non quod, juxta hæreticos, formam Dominus vultumque mutasset, ut pro voluntate diversus ac varius videretur; sed quod Maria obstupefacta erat miraculo. Unde *Bernardus* : « O quam delectabile pietatis spectaculum! Qui quæritur et desideratur, occultat se et manifestatur ; occultat se, ut ardentius requiratur, et requisitus cum gaudio inveniatur, et inventus cum sollicitudine teneatur, tentusque non dimittatur. » Secundum *Gregorium,* Maria quæ adhuc de Domini Resurrectione dubitabat, conversa est retrorsum, ut videret Jesum, quia videlicet per eamdem dubitationem suam, quasi tergum in faciem Domini miserat, quem resurrexisse minime credebat. Sed quia amabat et dubitabat, videbat et non cognoscebat ; eumque illi et amor ostendebat, et dubietas abscondebat. Et *dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Non petit quasi ignorans, sed ut ejus responsione convenientius eam instruat. Secundum eumdem *Gregorium,* interrogatur doloris causa, ut augeatur desiderium, quatenus cum nominaret quem quæreret, in amorem ejus ardentius æstuaret.

4 Quo sensu Christus hortulanus est. — At illa Jesum adhuc non cognoscens, putavit eum esse hortulanum, cui incumbebat cura horti illius, in quo monumentum erat, eo quod mane primo eum in horto videbat ; æstimabat enim nullum circa loca illa occupari, nisi eum qui illorum cultor erat. Bene autem spiritualiter hortulanus ei erat, quia sentes perfidiæ et vitiorum jam eradicaverat, ac virentia semina fidei et virtutum per amoris sui vim in ejus pectore et horto animæ seminare et plantare curabat. Sicut enim ad hortulani officium pertinet noxias herbas eradicare, ut possint bonæ proficere; ita Dominus de horto suo, id est de Ecclesia sua quotidie vitia eradicat, ut virtutes proficere valeant. Unde *Origenes* : « O Maria, si quæris Jesum, quare non cognoscis? Ecce Jesus venit ad te, quem tu quæris, et tu æstimas hortulanum esse. Verum quidem est quod æstimas, sed tamen in hoc erras, dum enim sic hortulanum æstimas, ut Jesum esse non cognoscas. Est enim Jesus, est et hortulanus : quia ipse seminat omne bonum semen in horto animæ tuæ, et in cordibus fidelium suorum ; ipse omne bonum plantat et rigat in animabus Sanctorum, et ipse est, Jesus qui tecum loquitur : » hæc *Origenes.* Mariæ etiam in specie hortulani apparuit, tale enim officium, talis actus, tale exercitium, talisque nominis interpretatio incipientibus congruit : oportet enim ut pœnitens gerat modum hortulani, scilicet ut omnia nociva eradicet, et bona inserat ; si ergo vis ut appareat tibi verus hortulanus, oportet te herbas nocivas ejicere et salutiferas inserere.

5 Fervor et audacia Mariæ Magdalenæ. — *Illa* vero, ut ebria, existimans *quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum,* qui mihi est singularis thesaurus etiam mortuus ; *et ego eum tollam* cum omni desiderio, et accipiam. Dominum vocat, ut benevolentiam ejus captet ; non dicit, si sustulisti Jesum crucifixum, loquendo determinate et nominando illum, vel alias designando, sed dicit, *eum* in generali, nihil addendo : quia vis amoris, atque affectus cum desiderio quærentis, vel ferventer amantis, hoc agere in animo solet, ut quem ipse quærit vel cogitat, omnes cogitare æstimet, et nullum alium ignorare credat. Unde quasi de cognito loquitur, et quem ipsa diligebat, omnes scire cogitabat ; nec putavit alteri incognitum, quem sic ipsa continue plangit desideratum. Si ergo tu propter timorem Judæorum sustulisti eum hinc, dicito mihi, ut ego eum tollam ; timebat enim ne Judæi etiam

corpori insævirent exanimi, et ideo volebat in alium locum incognitum illud transponere. Mirabilis mulieris audacia, quam aspectus mortui non terret, cujus etiam valitudo ad grave mortui funus tollendum plus intentat quam possit! Ex virtute enim sui amoris credebat se posse tantum corpus etiam mortuum portare, quia ferventer amanti nihil videtur difficile; cum enim sexus femineus fragilis sit ad onera deferenda, et pavidus ad mortuorum corpora bajulanda, quidquid aliis impossibile est, hæc propter magnitudinem amoris leve et possibile arbitratur. Unde idem *Origenes* : « Joseph timuit, et ausus non fuit tollere corpus de cruce, nisi in nocte, et nisi hoc expetiisset a Pilato; Maria autem noctem non præstolatur, non postulat, nec veretur, sed audacter promittit, dicens : *Et ego eum tollam.* O mirabilis mulieris audacia! O mulier, jam non mulier! Nullum locum excipit, nihil anteponit, sine timore dicit, absolute promittit : *Dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam.* O Maria, magna est constantia tua, magna est fides tua! » hæc *Origenes.* Hic ergo ostenditur magna Mariæ devotio, et dilectionis fervor, et ideo meruit, quem mortuum quærebat, vivum videre et audire. Respice bene eam, quomodo lacrymabili vultu suppliciter et devote ipsum exorat, ut sibi illum quem quærit ostendat, semper enim sperabat audire aliqua nova, de suo dilecto super omnia.

6 Dominum recognoscit. — Postquam autem, ut ait *Gregorius*, eam communi vocabulo appellavit ex sexu, et agnitus non est; vocat ex nomine proprio ut eam magis intentam faciat, et talem se exhibet, ut ipsum cognoscat : *Dicit* ergo *ei Jesus : Maria*, desiderium ejus ulterius affligi non sinens, per vocationem nominis apertam sui declarat cognitionem. Ac si aperte ei dicat : Recognosce eum, a quo recognosceris. Cum etenim apud Deum certus sit numerus electorum, magna gratia aliquibus datur, quando propriis nominibus, Deo noti esse monstrantur; proprio ergo nomine vocat Mariam, ut designet specialem quam ad Sanctos habet notitiam. *Conversa* vero *illa*, corde et oculis mentis, sicut ante erat conversa corpore et oculis carnis, mox ut se suo nomine vocari audivit, eum in voce sicut ovis bona pastorem recognovit. Prius enim conversa corpore, Jesum esse quod non erat, putavit; nunc conversa corde, quod erat agnovit, ac quasi reviviscens, et adorans eum cum indicibili gaudio, *dicit ei : Rabboni, quod dicitur Magister*; sic enim ante Passionem eum vocare consueverat, quia doctores apud Judæos vocantur magistri. Tu es quem quærebam, quare tamdiu te mihi celasti? Quoniam ergo perseveravit ut quæreret, contigit ut inveniret. Unde *Gregorius* : « Maria, quia vocatur ex nomine, recognoscit auctorem, atque eum protinus *Rabboni*, id est Magistrum vocat, quia et ipse erat, qui quærebatur exterius, et ipse qui interius ut quæreret, docebat. » Unde et *Origenes* : « O mutatio dexteræ Excelsi, conversus est dolor magnus in gaudium magnum, mutatæ sunt lacrymæ doloris in lacrymas amoris et exsultationis! Ut ergo audivit hoc verbum, *Maria*, sic enim consueverat illam vocare Magister suus, præsensit in ipso nomine quamdam singularem vocationis dulcedinem, et per eam cognovit ipsum, a quo vocabatur, esse Magistrum suum. » Unde etiam *Anselmus* : « Noli Magdalenæ deserere comitatum, sed peractis aromatibus cum ea, Dominicum sepulchrum visitare memento. O sicut illa oculis, tu in spiritu cernere merearis : nunc super lapidem revolutum ab ostio monumenti Angelum residentem; nunc intra monumentum unum ad caput, alium ad pedes, Resurrectionis gloriam prædicantes; nunc ipsum Christum Dominum Mariam flentem et tristem tam dulci oculo respicientem, tamque suavi voce dicentem : *Maria.* Rumpuntur ad hanc vocem omnes capitis cataractæ, ab ipsis medullis eliciuntur lacrymæ, singultus atque suspiria ab imis trahuntur visceribus. Maria, o beata, quid tibi mentis fuit, quid animi, cum ad hanc vocem te proster-

nens, et reddens vicem salutanti clamares : *Rabboni?* Quo rogo affectu, quo mentis desiderio clamasti, *Rabboni?* Nunc plura dicere lacrymæ prohibent, cum vocem excludant affectus, omnesque et animæ et corporis sensus nimius amor absorbeat. » Et iterum : « Nominat Dominus consuetum ancillæ nomen, et cognoscit ancilla consuetam Domini vocem. Puto vel potius certe affirmo, quia sensit solitam suavitatem, qua vocari consueverat *Maria.* O vox delectabilis, o quantum blandimenti, quantum sapuit amoris ! Nec celerius hoc exprimi potuit, scio quæ sis, et quæ velis. Illico mutatæ sunt lacrymæ, non enim credo mox esse restrictas, sed quas contritum cor se torquendo prius exprimebat, eas postmodum cor gaudens effundebat. O quam dissimilia sunt : *Rabboni*; et : *Si tu sustulisti eum, dicito mihi?* O quam dissona sunt : *Tulerunt Dominum, et nescio ubi posuerunt eum*; et illud : *Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi :* » hæc *Anselmus.*

7 Cur ei dixerit : Noli me tangere ? — Et currens ac procidens Maria ad pedes Jesu, vestigia ejus adorando, statim voluit ex devotione amplecti vestigia ejus quem recognovit, ac pedes tangere et osculari, ut consueverat. O amor fortis et impatiens ! Non enim sufficiebat ei videre Jesum, et cum Jesu loqui, nisi etiam tangeret Jesum ; sciebat enim *quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Ipse vero *Jesus* volens fidem in corde illius ut hortulanus seminare, et animam ejus ad cœlestia elevare *dicit ei : Noli me tangere*, scilicet manibus corporis, quem nondum tetigisti fide cordis. Quasi diceret ei Dominus : Potius volo, ut tangas me tactu mentis, credens me Patri æqualem, quam tactu corporis, credens me hominem purum et Patre minorem ; adhuc enim carnaliter in eum credebat, quem sicut hominem flebat. Prohibita est ergo, quia propter defectum fidei indigna erat. Et ideo subdit : *Nondum enim ascendi,* id est elevatus sum, scilicet in corde tuo, *ad Patrem meum*, id est ad æqualitatem Patris, quia non credis me pervenisse ad æqualitatem ejus, ac me Filium æqualem et coæternum Patri, qui me suscitasset a mortuis ; sed esse sublatum tamquam cadaver purum. Ac si diceret : Quia me tamquam mortuum in sepulchro quæris, et resurrexisse non credis, ideo viventem me tangere non mereris : tibi enim nondum ad Patrem ascendi, quem viventem cum mortuis quæris ; cum tibi ascendero ad Patrem, tunc mereberis me tangere Patri æqualem. Unde *Anselmus* : « Sed, o dulcis Jesu, cur a sacratis ac desideratissimis pedibus tuis sic arces amantem ? *Noli*, inquis, *me tangere.* Utquid, Domine? Et quare non tangam illa desiderata vestigia tua pro me perforata clavis, perfusaque sanguine? Quare ea non tangam, et deosculabor? An inimicitior es solito, quia gloriosior? Ecce non dimittam te, nec recedam a te ; non parcam lacrymis, et pectus singultibus suspiriisque rumpetur, nisi tangam. Et ille inquit : Noli timere, non aufertur tibi hoc bonum, sed differtur : » hæc *Anselmus.* Sic ergo Maria dubiis plena, luctu inquieta, præparatione indiguit, antequam ad tangendum tantam sanctitatem accederet. Si autem illa, quæ Dominum resurgentem prima post Matrem ejus videre meruit, quæ tantum dilecta est a Domino, et tanta ejus mancipata obsequio ab omni peccato ab eo liberata, a tactu pedum ipsius est prohibita ; quanto magis pollutus vitiis ne eum totum tangat, conficiendo, vel sumendo ?

8 Cur Magdalenæ primo apparuerit et eam ad Apostolos miserit Dominus? — *Vade autem* jam lætificata, *ad fratres meos*, scilicet Apostolos, *et* nuntians *dic eis* : quia surrexi, et *ascendo*, id est ascendam, *ad Patrem meum*, per generationem et naturam, *et Patrem vestrum*, per adoptionem et gratiam, *Deum meum*, quia me hominem creavit, et sub quo ego homo sum, secundum humanitatem, *et Deum vestrum*, qui vos creavit, et ab errore liberavit, inter quos et ipsum, ego mediator sum. Quasi diceret : In proximo est, ut videant ascendentem.

Loquitur in proposito in quantum homo, quia ascendere non competit ei secundum divinam naturam, quæ est altissima; quod etiam patet ex hoc, quod vocat Apostolos fratres, propter similitudinem et conformitatem humanæ naturæ, et propter spiritualitatem amicitiæ, et etiam propter adoptionem gratiæ, quia ejus Patris sunt filii adoptivi, cujus ipse est Filius naturalis. Unde *Severianus*: « Vocat fratres, quos corporis sui fecit esse germanos; vocat fratres, quos Patri suo adoptavit in filios; vocat fratres, quos benignus Jesus sibi præstitit coheredes; vocat fratres, propter specialitatem amicitiæ quam habuit ad ipsos. » Unde et *Ambrosius*: « Descendisti quidem Filius hominis, nec Patri cum descenderes abfuisti; sed descendisti nobis, ut te oculis ac mentibus videremus, ut in te crederemus; ergo et ascende nobis, ut te sequamur mentibus, quem oculis videre non possumus: » hæc *Ambrosius*. Stant ergo dilecti cum jucunditate et gaudio magno loquentes ad invicem, sicut amicus cum amico. Ecce igitur et hic similiter magnum Pascha. Sic itaque Dominus a Matre rediens *apparuit primo Mariæ Magdalenæ* quam ipsis Apostolis, vel aliquibus aliis. Unde *Hieronymus*: « Mariæ Magdalenæ primo ostenditur, de qua ejecerat septem dæmonia: quia meretrices et publicani præcedent synagogam in regnum Dei, ut latro præcessit Apostolos. » Locus autem ubi Dominus apparuit Magdalenæ, distat quindecim passibus a sepulchro.

9 Quærendus est Christus, sed cum humilitate. — Hanc igitur mulierem, quæ mane surrexit, amare flevit, ardentissime dilexit, diligentissime quæsivit, et ideo præ ceteris invenit, et nos imitemur; ejusque exercitium gerentes cum lacrymis et perseverantia Dominum quæramus, ut simul cum ipsa Dominum invenire, et ab eo consolari mereamur. Unde *Origenes*: « Sequamur ergo, fratres carissimi, hujus sanctæ mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum. Ploret unusquisque ad Jesum, et quærat fideliter Jesum, quia numquam deest, sed bonus est animæ quærenti illum. Disce ergo, o homo peccator, a muliere peccatrice, cui tamen dimissa sunt omnia peccata sua, disce, peccator homo, plorare Dei absentiam, ac intime desiderare ejus præsentiam. Disce a Maria Jesum amare, et Jesum sperare, et Jesum indesinenter quærere, et quærendo investigare; nulla adversa formidare, nullam consolationem extra Jesum recipere, et omnia præter ipsum contemnere. Disce a Maria quærere Jesum in monumento cordis tui, revolve lapidem ab ostio monumenti Dei; amove omnem duritiam, et repelle omnem obstaculum a fide tua. Tolle ergo omnem concupiscentiam, et omnem immunditiam a corde tuo, et diligenter perscrutare si sit Jesus in eo; si autem non inveneris in te Jesum, sta foris et plora, et permane in fide, et respice foris ad alios, si forte alicubi invenias et videas in aliquo eum, et plorando ora Jesum, ut dignetur intrare ad te, et habitare in te. Et ne forte, erecta cervice, repellas eum a te, humiliando inclinato te, et iterum prospice in monumento Dei, quod debet esse in te, et si ibi videris duos Angelos, unum ad caput, et unum ad pedes, id est si cognoveris in corde tuo quasi cœlestia desideria, tam ad contemplativam vitam, quam ad activam pertinentia, per quæ adhuc non possis Jesum videre, nec Jesum habere, noli his contentus esse, noli adhuc deficiendo quiescere; sed plora et quære Jesum in te, donec invenias. Et si forte aliquo modo tibi apparuerit, et desiderio tuo se repræsentaverit, noli præsumere de te tamquam ex tuo desiderio vel merito tibi apparuerit, et tamquam eum agnoscas; sed bonitati, pietatique ejus attribue, et interroga illum, et ora ut indicet tibi seipsum: audeo enim tibi confidenter promittere, si in fide ad monumentum cordis tui steteris, si plorando Jesum quæsieris, et quærendo perseveraveris, si cum humilitate te inclinaveris, si exemplo Mariæ nullam aliam consolationem de Jesu, nisi

ipsum recipere volueris, ipso revelante, ipsum sine dubio invenies, et ipsum agnosces ; ita ut non sit tibi necesse quærere ab aliis ubi est Jesus, sed tu magis indicabis eum, nuntians : *Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi* : » hæc *Origenes*. Post aliquantulam vero morulam, et cum Maria gaudio plena eum adoraverit, Dominus discessit, dicens, quia et alios visitare eum oporteret.

10 Magdalena lætificata recedit. — Tunc Maria Magdalena, benedictione ab eo recepta, et Domino discedente, recessit, et jam credens ad socias suas venit, et hæc eis nuntiavit. Et illæ de Resurrectione Domini gaudentes, sed quod eum non viderant dolentes, *exierunt cito* cum ea, *de monumento*, id est de loco ante monumentum, *cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare* hæc *discipulis* Domini de ipso. Duplex, secundum *Glossam*, erat in eis affectus, scilicet : timoris, et gaudii ; alter de magnitudine miraculi, alter ex desiderio resurgentis, et uterque gressum concitabat femineum.

## ORATIO

O piissime Domine, o dulcissime Magister, quam bonus es tu his qui recto sunt corde, quam suavis his qui diligunt te! O quam felices sunt qui quærunt te, et quam beati qui sperant in te! Verum certe est, quod tu diligis omnes diligentes te, et numquam derelinquis sperantes in te. Ecce enim hæc dilectrix tua simpliciter quærebat te, et veraciter invenit te. Sperabat in te, et non est derelicta a te ; sed plus est consecuta per te, quam exspectaret a te. Obsecro ergo te, Domine, da mihi diligere et quærere te, ac sperare in te, ut et ego a te diligi, et te invenire merear, et a te numquam derelinquar. Amen.

# CAPUT LXXIII

## QUOMODO DOMINUS APPARUIT TRIBUS MARIIS.

Matthæi cap. XXVIII et Joannis cap. XX.

1 Dominum sibi apparentem adorant mulieres. — Cum ergo istæ tres Mariæ simul pergerent, de monumento revertendo, antequam pervenirent ad Civitatem, et ad Apostolos, *ecce occurrit*, et apparuit *eis* Dominus *Jesus*. Ubi *Hieronymus :* « Pergebant enim ad Apostolos, ut per illos fidei seminarium spargeretur. » Quæ autem sic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obvium habere Dominum resurgentem. Et, ut ait *Rabanus*, per hoc ostendit se omnibus iter virtutum inchoantibus, ut ad salutem perpetuam pervenire queant, adjuvando occurrere. Blanda quoque salutatione Dominus dejectas erigens, et verbo consolatorio tristes consolavit eas *dicens : Avete*, ex Eva formans Ave. Ubi *Hieronymus :* « Primo mulieres merentur audire, *avete*, ut maledictum Evæ mulieris, in mulieribus solveretur. » *Illæ autem*, ultra quam dici posset exhilaratæ, *accesserunt*, ut jam credentes et per fidem illuminatæ, quia, ut ait Apostolus : *Accedentem oportet credere;... et tenuerunt*, ac deosculatæ sunt *pedes ejus*, ex devotione, humanitatem, in qua surrexit, probantes aperte, et de Resurrectione ejus certificatæ ; Deum *et* Dominum *adoraverunt*, ado-

ratione latriæ, tamquam fidem Trinitatis astruentes. Unde *Chrysostomus* : « Tenuerunt pedes ejus, et cum superabundanti ad eum lætitia currentes, acceperunt et per tactum conjecturam, et certitudinem Resurrectionis, et adoraverunt eum. Fortassis aliquis vestrum vellet et secundum illas effici mulieres, et pedes detinere Jesu. Potestis et nunc, quicumque vultis, non pedes et manus solum, sed et caput detinere sacrum illud, terribilibus potientes mysteriis pura conscientia. Non hic autem solum ; sed et in illa die videbitis eum cum ineffabili gloria illa, et plebe Angelorum venientem, si volueritis esse misericordes, et audietis verba illa : *Venite, benedicti Patris mei, hereditate percipite regnum paratum vobis ante constitutionem mundi* : » hæc *Chrysostomus*. Iste est modus veniendi ad veniam, scilicet accedendo ad pedes Christi ; unde debemus ire ad osculum pedis Christi, per devotam orationem, ejus scilicet considerando humanitatem. Si vis capere celsitudinem Dei, cape prius humanitatem Christi. Moraliter, acceditur ad Christum, per fidem illuminantem, unde in Psalmis : *Accedite ad eum, et illuminamini* ; tenetur per caritatem conjungentem, unde in Canticis : *Tenui eum*, scilicet dilectum, *nec dimittam* ; adoratur per debiti cultus exhibitionem, unde supra in Evangelio : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Et tunc Magdalenæ est datum, scilicet ut tangeret eum, quod fuit ante dilatum, quando quærebat viventem cum mortuis, scilicet in sepulchro et loco mortuorum. Cum magna igitur jucunditate mulieres istæ loquuntur ad invicem, et faciunt similiter Pascha magnum. Hic, ut ait *Anselmus*, quamdiu potes morare, non delicias tuus somnus interpellet ; nullus exterior tumultus impediat.

2 Christus eas ad Apostolos mittit. — *Tunc ait illis Jesus : Nolite timere*, hoc dixit ad earum perfectam consolationem, quia timor qui eas invaderat, adhuc totaliter ab eis non recesserat. Sicut occurrit currentibus, *avete* dicens gaudentibus ; ita timorem excludit a timentibus. Et statim subjungit : *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam ; ibi me videbunt*. Ubi *Hieronymus* : « Non in Judæa, sed in multitudine Gentium ; gratia enim transmigratura de Judæa ad Gentes, præcedet viam in cordibus præparando. » De Galilæa, et de hac materia latius est dictum ante, præcedenti capitulo. Vides hic et supra, quod Magister humilitatis vocat discipulos suos fratres, eos amicabilius solito nominans, ut securius ad eum accedant, et non timeant accedere, propter hoc quod eum in sua captione reliquerant, et ut veram Resurrectionem doceant ; ut et ad honorem et ad amorem accendat. Unde *Rabanus* : « Vera fraternitas est, quæ fratrem veneratur devotum, et corripit dissolutum ; quæ præsenti obsequitur, absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit, placatum non provocat, iratum metuit ut majorem : » hæc *Rabanus*. Angelus Apostolos vocat discipulos, ratione humilitatis debitæ, Domino dans honorem ; Jesus autem, quamvis Dominus, vocat eos fratres, et caritatis, et humilitatis ratione, in quo datur prælatis forma caritatis et humilitatis, juxta illud Ecclesiastici : *Rectorem te posuerunt, noli extolli ; esto in illis quasi unus ex ipsis*. Numquam Jesus omnium Dominus humilitatem dimisit ; sed usque ad mortem fidem ei servavit, et etiam post mortem, necnon et post Ascensionem. Nonne in fine pedes discipulis lavit ? Nonne humiliatus est ultra quam dici possit, crucis patibulum sustinendo ? Nonne post Resurrectionem vocavit discipulos fratres ? Nonne post Ascensionem locutus est Paulo humiliter, quasi ad comparem suum : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* Nec nominavit se Deum, sed Jesum Nazarenum. Nonne etiam in sede majestatis consistens, dicturus est in die judicii : *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis ?* Non autem sine causa virtutem hanc tantum amavit, et suo nobis exemplo commendavit ;

sine hoc enim fundamento frustra fit aliarum virtutum ædificium, vel constructio. Unde nec de castitate, nec de paupertate, nec de aliqua virtute vel opere confidas, sine humilitate.

3 QUO SENSU MULIERES ET IMPRIMIS MAGDALENA EVANGELISTÆ ET APOSTOLÆ FUERUNT. — *Venit* ergo *Maria Magdalena*, cum aliis duabus, ad denuntiandum bonos rumores Christi *discipulis* tristibus de morte Domini. Hæc dies boni nuntii fuit, *annuntians* eis : *Quia vidi Dominum, et hæc*, quæ dicta sunt, *dixit mihi*, scilicet ut annuntiarem vobis. Mulieres opus faciunt Evangelistæ factæque Apostolæ Apostolorum, festinant ad annuntiandum mane misericordiam Domini. Omnis enim qui recte intelligit, aliis nuntiare debet, juxta illud Apocalypsis : *Qui audit, dicat : Veni.* Unde per istam, quæ omnibus fuit sollicitior videre Christi sepulchrum, propter quod Dominus ei primo apparuit, significatur quælibet persona de cognitione veritatis divinæ valde sollicita, et per hoc meretur assequi cognitionem, et talis debet veritatem agnitam nuntiare aliis, sicut Maria nuntiavit discipulis, ne de abscondito talento debeat merito reprehendi. Unde ait *Beda* : « In eo autem quod hæc mulier discipulis Christum resurrexisse nuntiavit, omnes monemur, maxime quibus est commissum prædicandi officium, ut si quid eis cœlitus revelatum fuerit, studiose proximis propinent : » hæc *Beda*. Misericordissima Dei pietas, in hoc loco, erga sexum femineum declaratur. Mulier Resurrectionis accipit primum mysterium, et mandata custodit, ut veterem prævaricationis errorem aboleret. Inde, secundum *Gregorium*, humani generis culpa absciditur unde processit : mulier in paradiso viro propinavit mortem, a sepulchro mulier viris annuntiavit vitam ; et dicta sui vivificatoris narrat, quæ olim mortiferi serpentis verba narraverat. Mulier, quæ fuerat janua mortis, prima prædicat resurrectionem, et ostendit januam vitæ ; ac si, secundum eumdem *Gregorium*, humano generi non verbo, sed rebus Dominus dicat : De qua manu vobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitæ. Unde *Augustinus* : « Resurgentem Deum priores feminæ Apostolis nuntiaverunt ; nuntiavit viro suo mortem femina in paradiso, nuntiaverunt et feminæ salutem viris in Ecclesia ; Resurrectionem Jesu Christi Apostoli erant Gentibus nuntiaturi, Apostolis feminæ nuntiaverunt. » Unde et *Ambrosius* : « Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir exsecutor erroris ; ita nunc quæ mortem primo gustaverat, resurrectionem prior vidit, culpæ ordine simul et remedio prior ; et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret, quæ culpam viro transfuderat, transfundit et gratiam, veterisque lapsus compensat ærumnam, resurrectionis indicio. Per os mulieris mors ante processerat, per os mulieris vita reparatur. Unde etiam *Beda* : « O quam felices feminæ, quæ triumphum Resurrectionis mundo meruerunt annuntiari ; ac mortis, quam Eva serpentina affatu seducta contraxit, imperium disruptum prædicare ! Quanto feliciores animæ virorum pariter et feminarum, quotquot in die judicii, percussis pavore ac digna ultione reprobis, ipsæ cœlesti gratia adjutæ triumphare de morte, et gaudium beatæ resurrectionis meruerint intrare : » hæc *Beda*. Et, quia constantiam prædicandi non habet sexus inferior et ad exsequendum infirmior, et mulieribus docere in ecclesia non permittitur, mandatur viris officium evangelizandi. Hic autem nuntiat mulier, jam non ut mulier, sed ut Ecclesiam gestans. Rectè quoque hæc mulier quæ lætitiam Dominicæ Resurrectionis prima nuntiavit, scilicet sancta Maria Magdalena, a septem dæmonibus, id est universis vitiis et criminibus curata esse memoratur, ut ubi abundavit peccatum, superabundare gratia monstraretur ; et ne quisquam digne pœnitens de venia commissorum desperaret, videns eam quæ tot erat subdita vitiis, in tantum culminis subito esse promotam, ut ipsis Evangelistis atque Apostolis prima miraculum Resurrectionis evangeli-

zaret : tum etiam, ut nullus de sua innocentia præsumat, aut peccantem despiciat ; tum, ut pateat quod ex Dei abundanti gratia peccator aliquando resurgit, melior quam ante casum fuerat. Sancti enim cum peccant, lapis est motus, non evulsus. Cadat justus, resurget justior ; labatur justus, cum resurget, melior erit. Sanctis quippe omnia cooperantur in bonum.

ORATIO

O Jesu, nostra redemptio, amor et desiderium, qui devotis mulieribus te quærentibus, te desiderantibus, et a tuo sepulchro redeuntibus, resurgens a mortuis propitius occurrens apparere voluisti, quæro ego te, quem diligit anima mea, Jesu dulcissime ; quæro, et non invenio : occurre igitur animæ meæ quærenti te, o unice Fili Dei Patris, et si differs in præsenti tuam desiderabilem præsentiam, non auferas in futuro ; ut in ultima resurrectione fidelium, mihi cum eis teipsum placidum ac benignum exhibeas, ut de tua præsentia perenniter cum electis tuis merear jucundari. Amen.

# CAPUT LXXIV

## DE MENDACIO CUSTODUM.

Matthæi cap. XXVIII.

1 Relatio custodum ad principes sacerdotum. — Deinde, *quæ*, id est mulieres, *cum abiissent* a monumento, ad explendam jussionem Dominicam, *ecce quidam de* militibus *custodibus*, qui viderunt factum, et audierunt verbum angelicum, *venerunt*, ipsa die Resurrectionis, *in Civitatem*, scilicet Jerusalem, *et principibus sacerdotum*, a quibus positi erant ad custodiendum sepulchrum Christi, *nuntiaverunt omnia, quæ facta fuerant*, scilicet Christi Resurrectionem, et Angeli terribilem apparitionem ac terræ motum. Et sic ex his quæ viderant et audierant facti sunt, vellent nollent, testes et prædicatores veritatis et Resurrectionis Domini triumphatoris mortis ; et hoc quippe est validum testimonium, quod ab inimicis et crucifixoribus Christi Judæi audiant ipsum surrexisse. Unde, secundum *Chrysostomum*, mira Angeli apparitio et terræ motus, propter milites facta sunt, ut stupefierent, et ab eis fieret testimonium veritatis ; veritas enim a contrariis divulgata magis effulget. Quod et contigit, quando prædicti custodes nuntiaverunt principibus omnia, quæ facta fuerant. Ubi notandum, quod volentes impedire divinam providentiam, contra suam intentionem promovent illam, sicut fratres Joseph vendiderunt ipsum ne adorarent eum, et per hoc compulsi sunt eum adorare, secundum providentiæ divinæ ordinem. Sic principes Judæorum volentes impedire celebritatem nominis Christi, fuerunt valde diligentes de custodia sepulchri, et per hoc celebrata est fama de veritate suæ Resurrectionis, et per consequens sui nominis. Indocta igitur simplicitas fatetur veritatem, astuta vero duplicitas principum modum quærit, quo astruat falsitatem. Unde *Rabanus* : « Simplex animi æquitas, et indocta hominum rusticitas sæpe veritatem rei sine fraude manifestat ; at contra versuta malignitas falsitatem verisimilibus verbis pro vero commendare decertat : » hæc *Rabanus*.

2 Mendacium a Judæis adinventum et pecunia militibus data. — Unde nequitia Judæorum per hoc non quiescit, quia *congregati cum senioribus*, ad confingendum falsitatem, *consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus*, ad pervertendum veritatem, injungentes eis, ut denigrent Resurrectionis famam et *dicentes : Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, vobis dormientibus*. Ecce apertum mendacium. Unde ait *Remigius* : « O stulta insania, dormientes testes adhibes ! Si dormierunt, quomodo furtum viderunt ; si non viderunt quomodo testes sunt ? Quod si etiam fures viderunt, cur non eos detinuerunt ? » Unde et *Chrysostomus* : « Vere formam mendacii habebat quod dicebant. Qualiter etenim furarentur discipuli homines pauperes, et idiotæ et neque apparere audentes ? Si enim adhuc Christum vivum videntes fugerunt, qualiter mortuo eo, non timuissent tot militum multitudinem ? Numquid ostium sepulchri poterant evertere ? Lapis eminebat magnus, multis indigens manibus. Numquid etiam non erat sigillum superimpositum ? Quare non persuasibilia sunt quæ de furto dicta sunt. Unde, per quæ Resurrectionem Christi obumbrare conantur, per hæc eam faciunt clarere, dicentes enim : *Quia discipuli furati sunt eum*, confitentur corpus non esse in sepulchro ; furtum autem ostendit esse mendax et custodia militum, et discipulorum pavor : » hæc *Chrysostomus*. Per hoc etiam moliebantur discipulorum perditionem, imponendo eis furti crimen. Spiritualiter autem discipuli Christi fures erant, quia ab ingratis Judæis scripta Novi et Veteris Testamenti ablata in usum Ecclesiæ conferebant, et Salvatorem, qui eis promissus fuerat, illis nocte dormientibus, hoc est infidelitate torpentibus, abstulerunt, Gentibus credendum tradentes. Et, ut dicit *Severianus*, amiserunt milites, perdiderunt et Judæi ; sed discipuli Magistrum suum non furto sed fide, virtute non fraude, sanctitate non crimine, vivum non mortuum sustulerunt.

3 Quinam Judæis in hoc similes ? — De templi vero ærariis et oblatione pauperum, non de bursis propriis acceperunt pecuniam, et copiosam, ut ea famam Christi extinguerent, cujus sanguinem et vitam prius hujusmodi pecunia emerant ; de communi prodigi sumus adeo, ut de proprio nil erogemus, sic proprietas diligitur, et communio contemnitur. Unde *Hieronymus* : « Custodes miracula confitentur, illi autem qui post tale testimonium debuerant converti ad pœnitentiam, et Jesum quærere resurgentem, perseverant in malitia, et pecuniam, quæ ad usus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut et ante triginta argenteos Judæ dederant proditori. Omnes igitur qui stipe templi, et his, quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, in quibus suam explent voluntatem, similes sunt Scribarum et sacerdotum, redimentium mendacium, et sanguinem Salvatoris. » Unde et *Hilarius* : « Emitur ergo Resurrectionis silentium, et furti mendacium argento, quia honore seculi, qui in pecunia est et in cupiditate, Christi gloria denegatur : » hæc *Hilarius*. Istis etiam Judæis similes sunt, qui cum magnis sumptibus et laboribus conantur ad subversionem veritatis : cujusmodi sunt advocati dolosi, et doctores vane gloriosi, et illi, qui eos ad hoc inducunt quibuscumque modis. Ubi dicit *Chrysostomus* : « Non mireris si pecuniæ milites superaverunt, quæ apud discipulum tantam ostenderunt virtutem, ut facerent eum Magistri proditorem ; nihil enim clausum vel occultum, quod non pecunia indagante, sit contritum, propter quod dicitur : *Nihil iniquius, quam amare pecuniam.* » Unde et *Rabanus* : « O pestis magna avaritiæ, semper bonis animis detestanda ! Quid illæsum, quid inconcussum dimittis ? Tu, genus hominum confudisti, tu discipulum comitem Christi ab apostolatu præcipitasti, tu milites custodientes Christi sepulchrum captivasti ! Numquid bene dictum est : *Pecuniæ obediunt omnia ?* » hæc *Rabanus*. O quot socios et heredes Judæi et milites in hoc scelere, etiam apud magnos et

potentes, reliquerunt, qui pecunia corrumpuntur et corrumpunt, ac pro temporalibus et transitoriis agentes inique, credunt nihilominus, sed vane, quod sic animæ eorum requiescant in pace et partem habeant cum Christo in resurrectione.

4 Rumor mendax de sublatione corporis Christi apud Judæos invalescit. — *At illi*, custodes scilicet, *accepta pecunia* corrupti, *fecerunt sicut erant edocti*, et dixerunt : Nobis dormientibus, furati sunt discipuli Jesu corpus ejus ; sed *mentita est iniquitas sibi*, et avaritia ; sicut et Christi discipulus, sunt decepti. Hæc autem irrisio, heu ! multis hodie congruit pigris, illa hora Dominicæ Resurrectionis torpentibus. Unde *Petrus Damianus* : « Cavendum est autem ne somno quis vel ad momentum quidem, in competentibus horis assentiat, et maxime juxta diluculum ; ut quo videlicet tempore gravius incumbit accidia, canonicis nos inveniat occupatos officiis. Absit etiam nos tunc sopore vel ignaviæ tædere, qua videlicet hora constat Redemptorem nostrum Jesum, destructo mortis imperio, surrexisse ; ne si tunc dormiamus, quando oriente sole corporeo, etiam interior noster homo lucem debeat inocciduam exspectare, quod absit, ut irrisio nobis videatur illa congruere : *Discipuli ejus nocte venerunt, et, nobis dormientibus, furati sunt eum* : » hæc *Petrus Damianus*. Istud autem mendacium militum Judæi emerunt care, quod adhuc eos tenet in errore, unde *divulgatum est*, et mansit *verbum istud*, scilicet quod Christus furatus fuisset, et non surrexisset, tamquam verum, quod tamen erat falsum, *apud Judæos usque modo*, et *in hodiernum diem*, et usque hodie suum non vident vel intelligunt errorem. Unde ait *Rabanus* : « Error empti mendacii, per quod Resurrectionis denegant veritatem, perseverat in Judæis, ne in Christum credant ; et reatu eos constringit perpetuo. » Ad tempus autem mendacium prævaluit, sed non semper.

5 Cur, resurgente Domino, et alii surrexerunt ? — Nam contra fictum mendacium Judæorum, refulget et efficax irrefragabile testimonium resurgentium mortuorum : quia *multa corpora Sanctorum*, scilicet *qui dormierant* somno mortis, *surrexerunt post Resurrectionem ejus*, tamquam testes suæ Resurrectionis, *et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam civitatem* Jerusalem ; quæ dicitur sancta : propter templum divino cultui deputatum, et propter sancta sanctorum, et ob distinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur ; vel pro antiquo nomine, ut Matthæus publicanus dicitur ; *et apparuerunt multis*, testificantes de Resurrectione Domini, scilicet idoneis ad declarationem Resurrectionis Dominicæ, his scilicet qui videre meruerunt, et resurgentem susceperunt ; sed non omnibus, quia non erat resurrectio generalis, quæ apparebit omnibus et bonis et malis. Et hoc divinitus factum est contra Judæos et milites, in testimonium quod Christus Dominus primitiæ dormientium vere resurrexit a mortuis. Unde ait *Chrysostomus* : « Aperta sunt monumenta, et resurrexerunt mortui, et intraverunt in sanctam Civitatem ; ut inexcusabilem relinquerent eam, et Domini Resurrectio firmaretur : » hæc *Chrysostomus*. Forte hi fuerunt, de quibus supra in epistola ad Hebræos legitur, quod multi affectaverunt sepeliri in terra sancta, ut cum Domino resurgente resurgerent. In Evangelio etiam Nazaræorum legitur, quod duo viri sancti mortui ante quadraginta annos, venerunt in templum sanctum, et scripserunt quomodo illi, qui erant in limbo, exsultaverunt in descensu Domini ad inferos ; et dæmones tristabantur. Unde *Leo* Papa : « Qui mortalitatis gravabantur sepulchris, discussa obstaculorum mora, prosiliant ; appareant quoque nunc in Civitate sancta, id est Ecclesia Dei futuræ resurrectionis indicia, et quod credendum est in corporibus, fiat in cordibus : » hæc *Leo* Papa. Recte autem in Resurrectionis Domini tempore alii surrexerunt, ut cum se percipere desperaret homo, quod in se ostenderat Deus ; homo hoc in se fieri posse præsumeret, quod in puris hominibus factum cognosceret. Unde

*Gregorius* : « Ad instruendam ergo ignorantiam nostram, ad roborandam infirmitatem nostram, suæ Resurrectionis exemplum nobis sufficere noluit; solus illo in tempore mortuus est, et tamen solus minime surrexit. Ne quis enim dicat, sperare de se non debet homo, quod in carne sua exhibuit Homo-Deus; ecce cum Deo homines resurrexisse cognoscimus : » hæc *Gregorius*. Considera hic quam magna fuit nequitia Judæorum circa Dominum Jesum, quæ etiam post ejus mortem non cessavit, ut probat pecunia custodibus mendacibus data; et quam magna bonitas ejus circa illos, de quorum salute nihilominus curam habuit : quibus exemplis et nos provocamur, ut ejus bonitatem circa injuriantes imitemur.

ORATIO

Domine Jesu Christe, ad cujus Resurrectionis famam denigrandam Judæi militibus pecuniam copiosam dederunt, et ad pervertendum veritatem eos corruperunt, da mihi ut pecunia non corrumpar, vel corrumpam, nec pro temporalibus et transitoriis inique agam; sed semper in veritate permaneam, et liberer per eam. Da etiam mihi, ut sicut post Resurrectionem tuam surgentes testes exstiterunt tibi, sic et ego merear de te verbo et opere testificari, et in resurrectione generali, tecum et cum tuis electis partem habere, et cum eis coram te in regno tuo sine fine, te miserante, gaudere. Amen.

# CAPUT LXXV

## QUOMODO DOMINUS APPARUIT PETRO, ET JOSEPH AB ARIMATHIA, ET JACOBO MINORI AC SANCTIS PATRIBUS IN LIMBO.

1 Cur Petro singulariter Christus apparuerit? — Cum ergo Magdalena et sociæ ejus redeuntes domum narrassent discipulis resurrexisse Dominum, Petrus mœrens quod Dominum suum non viderat, nec quiescere valens, propter amoris vehementiam, quam ad eum habebat, discessit subito ab aliis ad quærendum Dominum, et solus ibat versus sepulchrum. Nesciebat enim, ubi eum alibi quæreret. Dum ergo pergeret, Dominus in via ei apparuit, licet Evangelista ubi vel qua hora factum sit, non designaverit. Tunc Petrus videns Dominum, procidit in terram, et veniam petiit de hoc quod eum dereliquerit, et pluries negarit; Dominus autem sibi peccata dimittens, et eum consolando confortans, dicit ei ut confirmet etiam fratres suos. Stant simul, et cum gaudio colloquuntur ad invicem, et fit hic similiter Pacha magnum. Singulariter ergo Dominus Petro apparuit, qui singulariter eum negavit. Omnium autem virorum, quos Evangelistæ et Apostoli commemorant, primo Dominus Petro pluribus de causis seu rationibus apparere voluit : prima est, quia primo confessus est eum Christum esse, primo Resurrectionem ejus merebatur videre; secunda, ut mentem ejus, quæ in Passione titubaverat, reformaret, et qui timore Passionis ejus evidentius ceciderat, et ipse per spem Resurrectionis prius resurgeret; tertia, ut peccatum trinæ negationis ei indultum ostenderet, consolans eum ne desperaret; quarta, ut apostolatus ejus ordinem consolidaret, et ipsum in eo roboraret; quinta, ut eum facto doceret qualiter subditis suis pœnitentibus condescendere deberet,

quantumcumque peccassent; sexta, ut peccatoribus omnibus spem misericordiæ et veniæ daret, ostendendo quod peccatores non despiceret; septima potest addi, secundum *Chrysostomum*, qui dicit : « Non enim simul omnibus se manifestabat, ut sereret fidei semina. Nam, qui primo viderat, et certus erat, aliis referebat; deinde sermo prodiens præparabat animum auditoris visioni. Et ideo primo digniori et fideliori omnibus apparuit. Erat enim opus animæ fidelissimæ, quæ prius acciperet hunc aspectum, ut minime turbaretur inopinata visione. Post Petrum vero aliis apparuit, quandoque paucioribus, quandoque pluribus: » hæc *Chrysostomus*. Petrus vero benedictione a Domino accepta, rediens ad Dominam, et ad discipulos, eis omnia narravit, et deinceps in omnibus multum fidelis Deo permansit. Petrus interpretatur *obediens*, et typum obedientium gerit, quibus Dominus sæpius apparere consuevit.

2 Apparitio facta Josepho ab Arimathia. — Discedens igitur Dominus Jesus a Petro, apparuit Joseph ab Arimathia, qui eum sepeliverat in monumento suo. Nam, ut legitur in Evangelio Nazaræorum, cum audissent Judæi, quod Joseph a Pilato corpus Jesu petiisset, et ipsum ita honorifice in monumento suo sepelisset, tunc indignati adversus eum, ceperunt ipsum eadem vespera qua sepelivit Dominum, et in quodam cubiculo diligenter clauso et sigillato recludentes incarceraverunt, alligantes eum ad columnam in ipso carcere, et volentes post sabbatum eum occidere. Et ecce statim in ipsa die Resurrectionis, suspensa domo a quatuor Angelis, Dominus ad eum intravit, et ei lætus apparuit; cumque consolans faciem ejus extersit, et osculum dedit, ac deinde, salvis sigillis, eum educens et liberans, in domum suam in Arimathia ipsum adduxit. Vide quomodo Dominus suos non obliviscitur, nec derelinquit usquequaque, sed tandem eos consolatur et adjuvat suo tempore, quia ipse est adjutor in opportunitatibus et in tribulatione. Unde ait *Chrysostomus* : « Mos siquidem Dei est iste certissimus, ut cum mala venerint ad cumulum suum, cumque viderit fideles suos graviter affligi, et adversarios tyrannide quadam contra se impietatis attoli, vel potius mentis ebrietate bacchari, divinitatis suæ potentiam per signa demonstret : » hæc *Chrysostomus*. Nicodemum vero, ipsius Joseph socium in sepeliendo Dominum suum, dicunt quidam interim latuisse, propter metum Judæorum. Joseph interpretatur *augmentum*, vel *appositio* per longam ætatem, et typum gerit perseverantium in bono opere, quibus sæpe ipse Dominus dignatur apparere.

3 Item Jacobo Minori. — Apparuit etiam Dominus ipsa die Jacobo Minori, ut in epistola ad Corinthios tangitur. Qui in cœna devoverat et juraverat se non comesturum panem ab illa hora qua calicem Domini biberat, donec eum a mortuis surrexisse videret. Cum ergo usque ad diem Resurrectionis Jacobus cibum non gustasset, apparens Dominus dixit ei, et his qui cum eodem erant : Ponite mensam et panem; deinde panem accipiens, benedixit ac fregit, et post dedit Jacobo, dicens ei : Frater mi, comede panem tuum, quia Filius hominis a mortuis resurrexit. Ista refert *Josephus*, et similiter *Hieronymus* in libro de viris illustribus. Vide quomodo hic, qui non solum panem substantialem, sed etiam supersubstantialem, scilicet Jesum, esuriebat, utroque consolari et reficimeruit. Non enim permittit Dominus illos qui eum vel propter eum esuriunt, umquam inedia deficere; sed dat in se sperantibus escam, opportuno tempore, et implet eos benedictione. Jacobus interpretatur *luctator*, et typum gerit eorum qui in tentationibus fortes sunt, et vitia viriliter supplantant, quibus etiam Dominus frequenter se manifestat. Esto ergo Petrus obediendo, esto Jacobus vitia supplantando, esto Joseph de virtute in virtutem proficiendo, et in hoc perseverando; et non obliviscetur Dominus te per suam gratiam visi-

tare, et prout tibi expedire noverit, consolari.

4 Quem visitat Dominum semper consolatur. — Et sciendum, quod animam, cui se Dominus in quacumque specie dignatur ostendere, numquam dimittit sine consolatione et aliqua salubri relevatione, quod patet in omnibus apparitionibus post Resurrectionem factis. Nam Mariæ Matri suæ præ ceteris plus de morte ejus dolenti, et Resurrectionem ejus exspectanti totus festinus et gloriosus apparens, totum mœrorem in lætitiam convertit; itaque omnis doloris pristini oblita fuit. Mariam etiam Magdalenam, cui in specie hortulani apparuit, plorantem consolatus, est vocans eam proprio nomine et dicens : *Maria*, quo verbo statim conversa, ac consolata et edocta cognoscens Dominum, cum gaudio magno dixit : *Rabboni*, revelavitque ei Dominus mysterium suæ voluntatis, dicens : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum*. Item, tres mulieres quibus occurrit, consolatus est, dicens : *Avete*, et deinde subjungens, *nolite timere*, eisque mysterium suum revelavit, dicens : *Ite, annuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*. Item, duobus discipulis euntibus in via apparuit in specie peregrini, quibus aperuit sensum Scripturæ, et eorum corda fecit ardentia, et demum in fractione panis eos plene consolabatur sui notitia. Item, cum appareret discipulis congregatis in unum, in propria specie consolabatur eos, dicens: *Pax vobis. Quid turbati estis? Ego sum, nolite timere. Videte manus meas, et pedes meos; et aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*; et sic similiter Deus in qualibet alia sua apparitione consolatus est videntes se, cum aliqua revelatione, unde non dubium est, quin similiter et hic istos suos dilectos consolatus sit. Et notandum, quod divina consolatio acquiritur : primo, per timorem; secundo, per lacrymationem, seu lacrymarum devotionem; tertio per tribulationum sustinentiam; quarto, per sui humiliationem; quinto, per terrenæ consolationis vitationem; sexto, per supernorum contemplationem.

5 Apparitio Patribus in limbis post Resurrectionem facta. — Dominus igitur Jesus inde discessit, quia nondum sanctos Patres post Resurrectionem suam visitaverat, quos in paradiso deliciarum, manediliculo, dimiserat. Rediit ergo ad eos, procedens in stola candida, cum multitudine Angelorum; quem ipsi in tanta gloria a longe conspicientes, cum indicibili gaudio, exsultatione et jubilo, canticis et laudibus eum susceperunt, et procidentes in terram, adoraverunt; deinde surgentes et stantes coram eo reverenter et jucunde compleverunt laudes suas ferventer et omni qua poterant devotione. O qualis cantus, et quanta gaudia ibi erant, ubi tanta concio Sanctorum simul psallebat! O quam bonum et quam jucundum talibus interesse, vel saltem aliquid de his percipere! Appropinqua ergo et tu si permitteris, et admiscere laudibus istis, vel saltem ausculta a longe, et jucundare in eis.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, da ut sim Petrus obediendo, et Jacobus vitia supplantando, ac Joseph, de virtute in virtutem per augmentum proficiendo, et in hoc per longanimitatem perseverando; ut tu, qui illis in angustiis dignatus es apparere, digneris et me sæpe per tuam gratiam propitius visitare. Da etiam mihi, ut sicut sancti Patres gaudium de tua præsentia habuerunt, cum te post Resurrectionem tuam glorificatum videre meruerunt; ita et ego in illo ineffabili gaudio, quo nunc tecum gaudent in cœlis, merear de conspectu tuo semper gaudere cum eis. Amen.

# CAPUT LXXVI

## QUOMODO DOMINUS APPARUIT DUOBUS DISCIPULIS IN VIA.

### Lucæ cap. XXIV.

1 Peregrinatio duorum discipulorum ad Emmaus. — *Ipsa* autem *die* Resurrectionis Domini, *ecce duo ex illis*, scilicet septuaginta duobus discipulis ejus, de Jerusalem egressi, *ibant in castellum nomine Emmaus, quod erat ab Jerusalem in spatio stadiorum sexaginta*, id est septem millibus quingentis passibus contra Occidentem. Octo quippe stadia faciunt milliare unum; et sic distabat ab Jerusalem per septem milliaria et dimidium, quorum duo, vel secundum quosdam, tria faciunt unam leucam. Unius istorum duorum, nomen exprimit Lucas, cum dicit : *Et respondens unus, cui nomen Cleophas*; alterius vero nomen tacet causa humilitatis, quia, secundum *Gregorium*, creditur fuisse ipse Lucas, sed, secundum *Ambrosium*, putatur fuisse Amon, filius Rufi. *Et ipsi*, quasi desperati de Jesu, *loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant*, scilicet de ipsius conversatione et morte; tristesque maxime dolebant, quia eum sine culpa, et innocenter occisum noverant. *Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent, et ipse* Dominus *Jesus* venit, et *appropinquans* junxit se illis scilicet corporaliter et spiritualiter, et *ibat cum eis*, tamquam socius itineris, interrogans et respondens, ac verba salubria cum ipsis conferrens : ut, secundum *Bedam*, fidem suæ Resurrectionis mentibus eorum insereret; et quod se facturum promiserat, impleret, scilicet : *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum*. In ipso loco, in quo se eis junxit, postea capella facta fuit. Et quia intus in corde Dominum amabant, sed de ejus Resurrectione dubitabant, ideo Dominus eis foris in corpore apparebat, sed quis esset non agnoscebant. Hoc apud eos agebatur foris in oculis corporis, quod agebatur intus in oculis cordis. Quia enim amabant, videbant; quia vero dubitabant, eum quem videbant, non agnoscebant. Et hoc est quod dicit Evangelista : *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*, quia incredulitas eorum et dubietas demerebatur, quod Christus cognitionem sui corporis ab eis retardaret. Tenebantur oculi eorum veritate, non falsitate, sed ipsis non valentibus veritatem recipere vel percipere, unde non ab ipso Domino Jesu, sed propria dubitatione tenebantur. Ubi *Augustinus* : « Quod autem ait Marcus eis in alia effigie Dominum apparuisse, hoc Lucas dicit, quod oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent : oculis quippe eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est, usque ad fractionem panis. Non quia Dominus non poterat transformare carnem suam, ut alia revera esset effigies quam solebant intueri ; sed non ita est factum : » hæc *Augustinus*.

2 Se ipsis jungens Dominus eos alloquitur. — *Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?* Non quærit ex ignorantia, sed ut ex eorum responsione incredulitas eorum convenientius arguatur, sicut dicit *Gregorius*. Conferebant quidem inter se quasi non amplius exspectantes Christum viventem, sed tamen dolorosi, quasi perempto Salvatore. *Et respondens unus, cui nomen Cleophas dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa, his diebus?* Hic, *solus*, non facit

exclusionem aliorum peregrinorum, cum valde multi peregrini et de diversis partibus venissent in Jerusalem ad diem festum Paschæ ; sed notat exclusionem cognitionis, ab isto sic apparente, scilicet notitiæ mortis Jesu, quam solus videbatur ignorare ; ut sit sensus : Cum multi peregrini his diebus venerint in Jerusalem, mirum est quod tu solus inter alios peregrinos ignores ea quæ sunt nota aliis omnibus. Ubi *Theophilus* : « Quasi diceret : Tu solus quasi jam peregrinus es, et extra confinia Jerusalem habitans et expers eorum, quæ in medio ejus contigerunt ut hæc ignores. » Ubi et *Beda* : « Peregrinum putabant eum, cujus vultum non agnoscebant. Sed revera peregrinus erat eis, a quorum naturæ fragilitate, percepta jam Resurrectionis gloria, longe distabat, et a quorum fide, utpote Resurrectionis ejus nescia, manebat extraneus. » *Quibus ille* scilicet Jesus non ex ignorantia, sed ut ex responsione eos argueret *dixit : Quæ? Et* ipsi sic interrogati de factis in Jerusalem, quænam essent, *dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere*, scilicet miraculorum, *et sermone*, scilicet prædicationis atque doctrinæ, *coram Deo et omni populo ; et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum*. Ubi ait idem *Beda* : « Prophetam fatentur, Filium Dei tacent ; vel nondum perfecte credentes, vel solliciti ne inciderent in manus Judæorum persequentium, quia nesciebant quis esset, quod verum credebant celantes. » Et subjungunt, quod sperabant ipsum redempturum Israel, quasi jam evanesceret spes eorum ; cujus causam subdunt, quia jam tertia dies ab illis factis erat, qua se resurgere prædixerat, et tamen adhuc discipulis non appareret, licet tertia dies prope finem esset. Et addunt, quod quidam ex eis abeuntes ad monumentum, terruerunt eos, non de Resurrectione Christi quam nuntiabant, sed de ablatione corporis ejus non inventi, quam discipuli timebant. Tunc *ipse* Dominus *dixit ad eos*, ex responsione eorum ipsos redarguens : *O stulti*, propter cæcitatem intellectus, *et tardi corde*, propter tarditatem affectus, *ad credendum in his omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ*, de Christi morte et Resurrectione ! *Nonne hæc oportuit pati Christum* : tum propter Patris præordinationem, tum propter Christi exaltationem, tum propter humani generis redemptionem, tum propter Sacrarum Scripturarum impletionem ; *et ita*, scilicet per Passionem et mortem, *intrare in gloriam suam*, ad quam nemo perveniet, nisi per Passionis viam ? *Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur*, et exponebat *illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*, inducendo testimonia aliqua et aperiendo mysteria, quantum ad propositum ostendendum sufficiebat ; ostendens eis omnia circa ipsum facta ante fuisse prædicta. Firmitas enim fidei in eo est, quia omnia, quæ in Christo Jesu venerunt, prædicta sunt.

3 Multiplex Domini in hoc facto benignitas — Considera hic multiplicem Domini benignitatem et bonitatem. — Primo, quia non potuit ejus fervens amor sustinere suos sic tristari et errare. Vere fidus est amicus, fidelis comes et benignus Dominus ; jungit se ipsis, quærit tristitiæ causam, et exponit eis Scripturas, inflammans corda eorum. Sic quotidie facit nobiscum spiritualiter, si enim aliqua perplexitate vel accidia gravati, pie de ipso loquimur, statim adest, confortans corda nostra et illuminans, et etiam ad amorem suum inflammans. Optimum enim remedium est contra tales perplexitates, loqui de Deo, similiter et cogitare de ipso ; propter quod, istorum discipulorum exemplo, cum per viam incedimus, de salutiferis loqui debemus, ut Christum nobiscum pergentem habeamus, et non solum pergentem, sed etiam nos edocentem, sicut istis duobus discipulis, cum quibus ibat, Scripturas aperiebat. Et universaliter ubique bonum est loqui de Jesu, bonum est eum in mente semper habere, quia nec ipse obliviscitur eorum

qui memores sunt ejus, sicut et hic videmus. Promisit enim, quod ubi duo vel tres congregati sunt in nomine ejus, ibi est in medio eorum. Specialiter autem de Passione loquentes comitatur Dominus, quia amplius placet ei recordatio eorum, quæ ipse pro nobis est passus. Unde ad hoc specialiter monet, dicens per Prophetam : *Recordare paupertatis meæ*, scilicet contra divitias ; *et transgressionis*, id est *vilitatis*, scilicet contra honores ; *absinthii et fellis*, scilicet contra delicias. —Secundo, considera bonitatem ejus non solum ex amore, ut dictum est supra, sed etiam ex humilitate profunda. Conspice quomodo humiliter vadit Dominus omnium, cum istis discipulis, quasi unus ex eis. Nonne tibi videtur rediisse ad primordia humilitatis ? Sed et in alio attende humilitatem ejus, quia non est dedignatus hos discipulos inferioris gradus : non enim erant isti de Apostolis, sed de aliis minoribus discipulis, et tamen familiariter jungit se ipsis, vadit et loquitur cum eis ; non sic faciunt elati, qui nolunt nisi cum præcipuis viris ambulare et conversari. Item, in alio relucet hic sua humilitas : nam si consideres elatos videbis quod nolunt verba ampullosa spargere inter paucos, quia ea perdita existimarent, nec illos dignos ea suscipere reputarent ; sed Dominus etiam cum duobus loquitur arcana sua, non vilipendit paucos, nec etiam unum, sicut fecit loquendo cum muliere Samaritana juxta puteum. — Tertio, considera Domini benignitatem ; vide quomodo discipulos suos instruit, ac sermonibus consolatur, et reficit, inducens eos ad credendum, et dicit : *O stulti et tardi corde ad credendum*, etc. ! Quasi diceret nobis : O stulti et tardi ad credendum ! O stulti et tardi ad inquirendum præcepta et voluntatem Dei ! O stulti et tardi ad implendum intellecta, et faciendum ea !

4 Qui volunt in cœlum intrare pati debent. — Humiliemus ergo nos, ut Sacram Scripturam inquiramus et secundum eam vivamus ; humiliemus etiam nos ad tolerantiam passionum, ut participes Passionis Christi effecti, simus socii Resurrectionis et gloriæ ipsius. Qui enim non compatitur, non intrabit in gloriam illam, quam etiam præcedit mandatorum inquisitio, et impletio. Unde *Beda* : « Hoc nobis in loco non ullam Scripturam interpretandi, sed gemina nos ipsos humiliandi necessitas incumbit, qui neque in Scripturis quantum oportet edocti, neque ad implenda quæ novimus, quantum decet, sumus intenti. Nam, si Moyses et si omnes Prophetæ de Christo locuti sunt, et hunc per angustiam Passionis in gloriam suam intraturum prædixerunt qua ratione gloriantur se esse Christianos, qui juxta virium suarum modulum, neque Sacras Scripturas qualiter ad Christum pertineant investigare, neque ad gloriam, quam cum Christo habere cupiunt, per passiones tribulationum desiderant attingere ! » hæc *Beda*. Christus enim per Passionem et mortem, tamquam per portam angustam, intravit in gloriam suam, ostendens nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Delirant ergo et fatui sunt, qui sine pati et tribulationibus præsumunt intrare in gloriam alienam, cum Christus sine his non intraverit in gloriam suam ; sed, si oportebat multa pati illum, cujus naturaliter est regnum, multo magis nos, quorum non est regnum nisi de gratia, oportet per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum. Exemplum habemus de omnibus caris et electis Christi, qui omnes per viam passionis voluntariæ venerunt ad regnum Dei. Mirum quippe esset si quis intrare nollet portam, per quam Rex suus intrasset. Unde ait *Bernardus* : « Caput nostrum per passiones et angustias cœlum introire videmus, et nos membra ejus nobis alia itinera somniamus ! Monstruosa res est, si per unum foramen caput transire videmus, per aliud corpus ; pudeat sub spinato capite membra fieri delicata : » hæc *Bernardus*. Hereditas quippe transit ad heredes cum suo onere et honore, Deus autem hereditati beatitudinis æternæ adjunxit onus, id est tolerantiam passionis ; et cum isto onere habuit eam Chri-

stus, quia ut hic dicitur : *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam* ; habuerunt eam Apostoli, quia persecutionem pro Christo, ut ipse eis prædixerat, sustinuerunt ; habent eam omnes fideles, quia, ut dicit Apostolus : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Qui ergo vult assequi æternam beatitudinem et nullam pati tribulationem, videtur quod velit esse et Christo Jesu dignior, et Apostolis sanctior, et cunctis fidelibus melior.

5 Discipuli Christum longius ire fingentem cogunt. — *Et appropinquaverunt castello quo ibant, et ipse* Dominus *se finxit longius ire*, ut scilicet eorum augeret desiderium, et invitaretur ab eis, et teneretur. Unde ait *Bernardus* : « Simulabat se longius ire ; non quia volebat, sed volebat audire : *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit* : » hæc *Bernardus*. In hoc tamen nulla falsitas fuit, quia sicut aliquid potest fingi verbis, ita et factis. Primum autem fuit sine falsitate, ut patet in parabolis Testamenti Novi et Veteris, quibus aliquid fingitur verbis ad veritatem aliquam convenientius designandam, atqui eodem modo hic Christus finxit se longius ire, ad designandam distantiam a cordibus eorum propter fidei defectum. Unde ait *Augustinus* : « Quod non ad mendacium pertinet : non enim quod fingimus, mendacium est ; sed quando id fingimus, quod nihil significat. Cum autem fictio nostra fertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis ; sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta sine mendacio, ad aliquam rem signandam : » hæc *Augustinus*. Ipsi autem desiderantes adhuc audire ipsum, *coegerunt illum* factis, scilicet manibus trahendo ut maneret, ac verbis et rationibus alliciendo obnixe rogaverunt, *dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies*, scilicet ad occasum. Quo exemplo, secundum *Gregorium*, colligitur, quod peregrini non solum ad hospitium invitandi sunt, sed etiam trahendi. Quilibet morti appropinquans, et ad vesperum seu occasum vitæ tendens congruenter etiam posset hoc verbum dicere, et Dominum ad manendum secum corde et ore invitare.

6 Dominus in fractione panis cognoscitur. — *Et* tandem *intravit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem et benedixit ac fregit, et porrigebat illis.* Conspice bene quomodo ad eorum invitationem et coactionem benigne cum eis intrat Dominus : mensam ponunt, cibos offerunt ; ipse panes accipit ac benedicens, eos manibus sacratissimis frangit et porrigit illis, faciens in hoc sicut ante Passionem, quando adhuc inter eos conversabatur seu morabatur, facere consueverat. *Et* per hoc seipsum eis revelat, quia tunc *aperti sunt oculi eorum*, scilicet interiores ; *et cognoverunt eum*, in modo fractionis panis, assuetam ejus consuetudinem videntes, sic enim frangebat panem sola manu, ac si scinderetur cum cutello. Cognoverunt igitur illum ex modo frangendi et etiam benedicendi panem. Legitur enim panem sic fregisse et benedixisse pluries : primo, in quinque panum multiplicatione ; secundo, in septem panum distributione ; tertio, in sui Corporis consecratione ; quarto, hic in discipulorum illuminatione. In his autem quatuor fractionibus, significatur quadruplex expositio Sacræ Scripturæ, secundum quatuor ejus sensus, scilicet historicum, tropologicum, allegoricum, et anagogicum. Ubi *Augustinus* : « Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a Satana fuisse, ne agnosceretur Jesus ; sed tamen a Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate Corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci ». Ubi ait et *Theophilus* : « Sed et aliud hoc innuit, quod scilicet, sumentibus sacrum panem, aperiuntur oculi, ut eum agnoscant, magnam enim et ineffabilem vim habet Domini caro : » hæc *Theophilus*. Ista circa discipulos gesta quotidie facit Dominus nobiscum invisibiliter, et in anima, nam teneri

vult, et etiam invitari, per desideria et orationes ac sanctas meditationes et ideo oportet semper orare, et non deficere. Is a etiam facit ad nostram eruditionem, ut scilicet intendamus in opera caritatis, pietatis, et hospitalitatis, et quod non sufficit divina eloquia legere vel audire nisi etiam compleantur opere: quoniam Dominus non est cognitus dum loqueretur, et dignatus est cognosci dum pascitur. Pius autem et misericors Dominus fidei istorum subvenit quos misericordes reperit, eisque misericordiam impendit. Hinc ergo cognoscere possumus, quod fides sine operibus mortua est, quia Dominum, quem discipuli nec ex visione, nec ex Scripturæ interpretatione, et ex positione cognoverant, mox ut opere quod Sacræ Scripturæ præcipiunt, perfecerunt, eum in fractione panis cognoverunt. Audiendo Scripturas et præcepta Dei, illuminati non sunt; faciendo, scilicet ipsum trahendo ad hospitium, et apponendo cibum, illuminati sunt, quia *non auditores Legis, sed factores justificabuntur apud Deum.* In operibus ergo pietatis et misericordiæ, ut in hospitalitate et hujusmodi, amplius cognoscitur Deus, quam in lectione, disputatione, et Scripturarum expositione. Veritas enim melius operando, quam audiendo intelligitur; et melius ipso opere, quam verbo manifestatur.

7 Omnes peregrini sumus, ideo peregrini conditiones adimplere debemus. — Nos ergo qui peregrini in hoc mundo sumus; quia *non habemus hic permanentem civitatem, sed futuram inquirimus*, si spiritualiter in nobis habemus quæ in se habebant isti peregrini, erit Dominus comes itineris nostri. Peregrini isti laborabant, quia ambulabant, tristabantur et de Christo confabulabantur; sed Christus se eis jungit, cor urit, Scripturas aperit longius se ire fingit. Si tales essemus, scilicet: laborando, contra acediam; tristando, contra vanam lætitiam; de Christo confabulando, contra vaniloquium: tunc Christus se nobis jungeret, cor accenderet, Scripturas aperiret, et intellectum daret, licet aliquando longius se ire fingeret, ut nos probaret. Item, peregrinus ab omnibus ad eum non pertinentibus se exonerat et alienat, viam quærit, summo desiderio patriam suam appetit, et cor atque oculos ab omnibus ne retrahatur vel impediatur, avertit. Esto talis peregrinus, et apparebit tibi Christus; et hæc tria faciet tibi, sicut fecit et illis duobus peregrinis: tempus abbreviat, per dulce vitæ colloquium; viam instruit, dans verum intellectum; ultimo, pane benedicto et per se ipsum fracto, reficit affectum: et hoc, si compellis ipsum se longius ire fingentem, manere tecum. Per istos discipulos, euntes in Emmaus, signantur volentes implere consilia Domini, quia Emmaus interpretatur *desiderium consilii*. quibus Dominus sæpe sua visitatione dignatur apparere.

8 Christus ab oculis discipulorum evanescit. — Non autem dedit Dominus istis discipulis suis tunc magnam sui copiam, sed etiam porrecto pane, *ipse evanuit ab oculis eorum*, ut ex hoc ipsorum argueret affectum; simul ostendens se corpus gloriosum habere, quod per dotem agilitatis subito potest disparere: subtrahebatur carnalibus oculis species infirmitatis, ut mentibus eorum inciperet apparere gloria Resurrectionis. Unde, jam certi eum resurrexisse, *dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, scilicet ardore caritatis, *dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas*, nos instruendo ex eis? Quare eum non tenuimus? Quare ad pedes ejus non corruimus? Quare nobismetipsis et cordibus nostris non credidimus? Ubi eum quæremus? Ubi eum inveniemus? Per quod, ut dicit *Origenes*, innuunt quod prolati sermones a Salvatore, accendebant audientium cor ad amorem divinum. Unde ait *Gregorius*: « Ex audito quippe sermone inardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena; audire ei libet præcepta cœlestia, et quot mandatis instrui-

tur, quasi tot fascibus inflammatur: » hæc *Gregorius*. Idcirco quoque cito evanuit, quia etiam alios consolari festinabat, cum quibus tamen simul et istos consolatus est, ut statim infra, in capite sequenti, patebit.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui discipulis euntibus in Emmaus apparuisti, et corda eorum tuo amore inflammasti, illumina, quæso, cor meum, ut læta voluntate impleam tui consilii desiderium, videlicet ut purificem me ab omnibus operibus malis, et faciam opera misericordiæ ac pietatis, ut in futura resurrectione delicatam tuam invitationem gaudenter cum electis tuis audiam, cum dices : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi ;* quam vocem dulcissimam fac me audire, unigenite Fili Dei. Amen.

# CAPUT LXXVII

## QUOMODO DOMINUS APPARUIT APOSTOLIS, THOMA ABSENTE.

Lucæ cap. XXIV et Joannis cap. XX.

1 Discipulorum Emmaus diligentia et fervor. — *Et surgentes eadem hora* prædicti duo discipuli *regressi sunt* ipsa die *in Jerusalem,* ad alios discipulos propter metum Judæorum inclusos. Unde *Theophilus :* « Ardebat ergo cor eorum igne verborum Domini, quibus intendebant, et adeo lætati sunt, ut nullam moram passi, mox reversi sint in Jerusalem. » Vide hic discipulorum diligentiam, et fidei fervorem, ad revelandum Resurrectionem : quia tarda, scilicet vespertina hora, aut mensa, seu fatigatione itineris non detenti, et remoto Judæorum timore, ad annuntiandum Apostolis Resurrectionem Dominicam, et quod de ea in via compererant, cucurrerunt impigri. Nec mirum si eadem die et hora surrexerunt ; erat enim dies boni nuntii, et ideo timere poterant, si differrent usque mane, illud quod timebant illi qui dicebant : *Hæc dies boni nuntii est ; si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur.* Prædicatio enim non est differenda, et ea quæ sunt ad salutem communem, non sunt tacenda, sed revelanda. Ex quo exemplo prælati moti, ad diligentiam prædicationis debent accendi. *Et invenerunt* in monte Sion, subtus cœnaculum, *congregatos* et inclusos, propter metum Judæorum, et propter Dominicæ Resurrectionis gaudium, qui prius dispersi fuerant propter metum Judæorum, et propter passionis metum, *undecim, et eos qui cum illis erant* de septuaginta duobus discipulis, loquentes mutuo, et *dicentes* ipsis duobus : *Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi* duo ad majorem certitudinem faciendam de Christi Resurrectione, e converso *narrabant* illis *quæ gesta erant in via,* et apparitionem factam eis, *et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.*

2 Januis clausis, Apostolis apparuit Dominus. — Sed quidam ex eis nec istis duobus, nec aliis credebant; ex quibus unus Thomas erat. Considera modo quanta ibi lætitia fuerit, dum isti et illi vicissim sua gaudia nuntiarent. Et dum hæc loquerentur ad invicem, exivit Thomas inde. Quo egresso, dum adhuc alii colloquerentur de his quæ audierant et viderant.

et *cum sero* jam *esset, die illa* prædicta, scilicet *una sabbatorum*, id est prima post sabbatum, quæ est Dominica, hoc est ipsamet die Resurrectionis Dominicæ; *et fores*, id est ostii quæ fores dicuntur, quia de domo ducunt foras, *essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum*, quod etiam ex divina revelatione est factum, ut scilicet Jesus intrans ad discipulos, januis clausis, manifestaret eis virtutem suæ potestatis, et gloriosi sui corporis; *venit* Dominus *Jesus* ad suos discipulos a desiderio eorum vocatus, indutus albissimis vestimentis gloriosæ Resurrectionis suæ et novitatis, *et* intrans ad eos, januis clausis *stetit in medio* eorum, ut videretur ab omnibus, quia congregati erant in nomine ejus. Secundum *Bedam* ideo sero apparuit, quia tunc maxime timidi erant; et, secundum *Theophilum*, præstolabatur ut omnes convenirent; ostiis vero clausis, ut se corpus gloriosum, cui aliud non resistit, habere ostenderet Ipse etiam ad congregatos venit, et Spiritus ad congregatos descendit, quia Christus et Spiritus Sanctus non nisi in caritate congregatis adsunt. Stetit in medio, ut omnes eum certitudinaliter agnoscerent, et omnes consolationem suæ præsentiæ reciperent. Et nota, quod sicut dicit *Sallustius*, medius locus est dignitatis, et debetur honorabilioribus; propter quod Christus stetit in medio discipulorum: sicut sol inter sidera, ut eos illuminaret; sicut flos inter lilia, ut eos decoraret; sicut princeps inter milites, ut eos roboraret; sicut magister inter discipulos, ut eos informaret; sicut pater inter filios, ut eos concordaret; sicut cor inter membra, ut ea vivificaret, et sicut communis amicus, ut omnibus eis se communicaret. Unde, quando sumus plures aliquem diligentes, si supervenerit, statuimus eum in medio, ut singuli possimus ejus frui præsentia. Est autem ibi altare in loco ubi Dominus dicitur tunc stetisse. Considerandum est hic, quod de se colloquentibus, Dominus in medio stetisse dicitur, ut intelligamus, quia eum nobiscum habitantem habebimus, si quoties in unum congregamur, ea quæ ad ejus laudem et nostram salutem pertinent, agimus, juxta quod et ipse ait: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

3 Jesum suscipere volenti quatuor necessaria. — Quando autem Jesus Salvator ad discipulos venit, ipsi erant in timore, sero factum erat, in unum erant congregati, et fores erant clausæ In quibus quatuor insinuantur nobis valde necessaria, ut Salvatorem quem exspectamus suscipere mereamur: primum est, timor, qui domum conscientiæ mundat; secundum illud libri Ecclesiastici: *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari*; secundum est, contemptus vanæ gloriæ, quod significatur in hoc, quod sero factum erat, ad eum enim Dominus venit, cui lux mundanæ gloriæ occubuit, et qui vere eam contemnit; tertium est, unitas, quia erant in caritate congregati, non enim visitat Salvator homines discordes, unde dicit Apostolus: *Pacem habete, et Deus pacis erit vobiscum*; quartum est, stabilitas, qua aliquis in domo conscientiæ manet, non curiose exterius evagando, unde fores sensuum claudendæ sunt, et sic Salvator est exspectandus. Per istos vero discipulos, in unum foribus clausis, congregatos, significantur religiosi cum foribus quinque sensuum clausi, quibus Dominus sæpe apparet, eosque sua visitatione consolatur et lætificat.

4 Cur Dominus dixerit discipulis: Pax vobis? — *Et dixit eis* Dominus: *Pax vobis*, non pax temporis, quia exponendi erant multis tribulationibus, sed pax pectoris et pax æternitatis: prima in præsenti, secunda in futuro. De utraque dicitur in Joanne: *Pacem*, scilicet pectoris, *relinquo vobis*, in præsenti; *pacem meam*, scilicet æternitatis, quæ est specialiter pax mea, *do vobis*, id est cito dabo. Dicit ergo: *Pax vobis* scilicet reconciliationis, quam ad Deum factam nuntiavit, ac caritatis et unitatis, quam eis servandam præcepit, itemque æterni-

tatis et immortalitatis, quam eis futuram promittit. Pacem offert, qui propter pacem venerat; unde pontifex, præcipuus sponsus Ecclesiæ, in persona Christi, sicut specialis vicarius ejus, dicit : *Pax vobis*, cum in missa primo se vertit ad populum, quia hæc fuit prima vox Christi ad discipulos post Resurrectionem; instar vero aliorum sacerdotum dicit postea : *Dominus vobiscum*, ut se unum ex nobis ostendat. Cum autem Ecclesia primitiva quotidie et generaliter, et post tantum diebus Dominicis, post vero tantum in tribus solemnitatibus communicaret Corpori et Sanguini Domini; nunc Ecclesia per osculum pacis, quo designatur unitas Ecclesiastica, communicat in missa spiritualiter, etsi non sacramentaliter. Et pulchre resurgens a mortuis Dominus, primo pacem discipulis commendavit, ut illos ad sui visionem perventuros esse demonstraret, qui pacem et concordiam corde et corpore servant. Ex quo patet, quod illi sunt pacifici, qui vere sunt Christi discipuli. Secundum *Chrysostomum*, discipulis dixit : *Pax vobis*, quia prælium inexpugnabile ad Judæos habebant. Mulieribus autem gaudium evangelizat, quia in tristitiis genus illud erat. Alternatim igitur viris quidem propter prælium pacem, mulieribus vero propter tristitiam evangelizat gaudium. Et ne discipuli eum alium, vel phantasma putarent, subjunxit, ut legitur in Luca : *Ego sum*, scilicet in persona propria, non res phantastica, seu illusio diabolica, *nolite timere* vel dubitare.

5 Cur de Resurrectione dubitare permissi fuerunt ? — *Conturbati vero* quidam ex ipsis, præ stupore et admiratione, *et conterriti*, præ timore seu quodam naturali horrore, quo vivi solent mortuos horrere, *existimabant se spiritum*, quem in Passione emiserat, non carnem *videre*; *nondum enim credebant*, vel tertia die veram carnem potuisse de sepulchro resurgere, vel resuscitatam, clausis januis, ad eos posse intrare. Divina autem providentia permissi sunt dubitare, ad majorem certificationem fidei de Dominica Resurrectione. *Et dixit eis : Quid*, id est qua de causa, *turbati estis, et cogitationes ascendunt*, quasi ab infimo tamquam falsæ et phantasticæ, non desuper de cœlo descendentes tamquam veræ et bonæ, *in corda vestra*, infirma et dubitantia? Et quia ad illud corpus quod videri poterat fides intuentium dubitabat, ut veritatem carnis probaret, exhibuit eis manus, et pedes, et latus ad videndum et palpandum, declarans quod ipse qui crucifixus, mortuus et lanceatus fuit, in illo eodem corpore surrexit. *Videte* inquit, *manus meas et pedes, quia ego ipse sum*. Quasi diceret : Per hujusmodi cicatrices potestis percipere, quia ego sum qui passus fui et resurrexi. Per cicatrices enim remanentes, ostendit quod erat idem corpus numero. Resurrectio etenim vera, est ejusdem in numero iterata surrectio. *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere*. Quasi diceret : Per hoc potestis etiam cognoscere me habere corpus verum, non phantasticum. Ad dubitantium enim corda sananda, vulnerum servata sunt vestigia, et ideo vulnerum cicatrices ostendit, ut dubietatis et infidelitatis eorum vulnus sanaret. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus*, ut incitaret ad pugnandum. Quasi diceret : Videte manus, quibus pro vobis fideliter pugnavi, has vobis ideo ostendo, ut et vos pugnetis, quia sine pugna victores non eritis Viriliter ergo agite, quia *vincenti dabo sedere mecum in throno meo*... *Ostendit* etiam illis *latus*, ut provocaret ad amandum quasi diceret : Videte latus apertum, cor vulneratum, ut videatis quantum dilexerim vos, ut et vos me diligatis. *Ostendit eis et pedes*, ut stabiliret ad perseverandum, ut ab inceptione bonæ vitæ non desistamus. Unde perseverantia vel stabilitas est, quando homo nec minis, nec amore, nec timore, nec commodo, nec incommodo a bona vita vel a præceptis, vel a voto quod vovit, retrahitur.

6 Quinque de quibus nos tentat diabolus. — Sunt autem quinque

principales diaboli impugnantes nos, contra quos debemus esse fortes. — Primus est amor culpæ injustarum rerum, vel amor carnis, vel amor honoris, qui in quorumdam cordibus est ita fortis, quod pro eo cœlestem gloriam deserunt. — Secundus, est timor diffidentiæ, qui etiam multos impugnat quasi Dominus nolit eos juvare, quod possint in bono perseverare, vel quod non possint sustinere duram pœnitentiam, cum tamen deberent sustinere duriorem gehennæ pœnam. — Tertius, est dolor delectationis carnis vel mundi, dimittendæ, vel jam dimissæ. O miser, quid facis? Morbum eligis pro sanitate, mortem pro vita, tristitiam pro lætitia, pœnam sempiternam pro gloria. — Quartus, est pudor operationis bonæ, quando quis cogitat quod homines derident eum, si humili veste incedit, si jejunat, si orat, si peregrinatur, et similia facit. — Quintus, est spes veniæ, quando quis dicit : Deus est misericors, nos de facili non damnat, et Christiani sumus : horum spes confunditur, quia spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex meritis proveniens; sed isti qui carent meritis, non proprie sperant, sed potius præsumunt.

7 Cur palpabilem se præbuerit Christus Dominus? — Hoc autem quod se palpabilem præbuit, factum est miraculose, quia corpus Domini incorruptibile et immortale, a corruptibilibus et mortalibus naturaliter palpari est impossibile. Miro ergo et ineffabili modo, secundum *Gregorium*, corpus suum palpabile præbuit, ut reformaret nos ad fidem, et incorruptibile demonstravit, ut invitaret ad præmium; sive et palpabile exhibuit, et incorruptibile, ut ostenderet se ejusdem esse naturæ, cujus fuerat ante Passionem, id est carnem habere, et alterius gloriæ, id est eamdem carnem incorruptibilem esse. Et quia in Domini Resurrectione, nostra generalis resurrectio est præfigurata, ostendit per hoc nostra corpora post resurrectionem ita esse incorruptibilia et subtilia per effectum spiritualis potentiæ, ut possint esse palpabilia a consimilibus corporibus per veritatem naturæ. Caro enim nostra absque corruptione vel fragilitate mortis, in veritate substantiæ est resurrectura. Unde *Beda* : « Parum fuit oculis se videntium præbere, si non præberet etiam manibus contrectandum; qui, dum palpanda discipulis ossa carnemque præmonstrat, aperte statum veræ Resurrectionis, quæ et in se facta et in nobis est futura significat. » Unde et *Gregorius* : « Non enim in illa resurrectionis gloria corpus nostrum erit impalpabile, et ventis aereque subtilius, ut Euthicius dixit; sed subtile quidem, per effectum spiritualis potentiæ, palpabile autem, per veritatem naturæ. » Sed, ut dicit *Augustinus* : « Claritas qua justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum, in Christi corpore, cum resurrexit ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est, non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset cognosci. »

8 Oblata Domino ad comedendum in sensu litterali et mystico. — Et cum quidam eorum adhuc dubitarent, petiit ab eis si aliquid manducandum haberent, ut per comestionem melius Resurrectionem astrueret. *Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi*, cujus forte jam aliam partem comederant, *et favum mellis*. Fuerunt autem illi hæc duo competenter oblata : ipse enim erat piscis assus, per naturæ humanæ passionem; sed favus mellis, per naturæ divinæ dulcedinem. In favo quippe mellis utraque natura suæ personæ exprimitur : favus enim est mel in cera, hoc est divinitatis dulcedo in humanitate. Hæc autem duo Domino oblata, significant duo quæ et nosmetipsi debemus Domino offerre, scilicet : piscem assum, per carnis mortificationem, et favum mellis, per mentis devotionem; vel, in cibo suo Dominus pisci asso conjungi voluit favum mellis, quia ipse ut piscis latere dignatus est in aquis humani

generis, et tundi mundi fluctibus, ac capi laqueo nostræ mortis, et assari igne et tribulatione suæ Passionis, et decoqui in ara crucis. Et qui piscis assus fuit in Passione, favus mellis et melle dulcior nobis exstitit in Resurrectione. Piscem ergo assum et favum mellis ei offerunt, qui fidem Passionis et Resurrectionis ejus tenent. Vel, secundum *Theophilum*, per piscem assum significat vitam activam, consumentem nostrorum humiditatem laborum prunis; contemplativam vero vitam significat per favum mellis, propter dulcedinem eloquiorum Dei. Et manducavit coram eis, per quod ostendit se habere corpus vivum, anima vegetativa animatum. Manducavit quidem, non quod tunc cibo carnali sustentari indigeret; sed ut in veritate carnis se resurrexisse monstraret, quia comedere proprie ad corpus, non ad spiritum pertinet. Unde *Beda* : « Ad insinuandam Resurrectionis suæ veritatem, non solum tangi a discipulis, sed etiam convesci cum illis dignatur ; non quidem quasi post Resurrectionem cibo indigens, nec quasi nos in Resurrectione, quam exspectamus, cibis egere significans, sed ut eo modo naturam corporis resurgentis astrueret, ne illud non corpus sed spiritum arbitrarentur discipulis, et sibi non solide sed imaginabiliter apparere : » hæc *Beda*.

9 CERTIFICATIO RESURRECTIONIS PER VISUM, PER TACTUM, PER GUSTUM ET AUDITUM. — Secundum sensum ergo litteralem certificavit eos de sua Resurrectione per tria : primo, per visum, dicens : *Videte manus et pedes, quia ego ipse sum ;* secundo, per tactum, dicens : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet* ; tertio, per gustum, cum dixit : *Habetis hic aliquid quod manducetur?* Mystice vero, isti Christum resurrexisse vident, qui Resurrectionis ejus gloriam meditantur ; ipsum tangunt et palpant, qui sibi caritate copulantur ; piscem assum offerunt, qui patientiam igne tribulationis decoctam habent pro nomine Christi ; sed illi offerunt favum, qui membris ejus exhibent opera pietatis. *Et cum manducasset coram eis, sumens* ciborum *reliquias dedit eis,* scilicet ad majorem probationem quod vere residuum manducasset, et ad insinuandum, quia suam Passionem eis imitandam esse ostendit, quæ amara est in dolore corporis, sed dulcissima in gloria remunerationis. Illos ergo in suo corpore ad æternam requiem suscipit, qui cum hic tribulationes pro Deo sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt ; qui hic pro veritate quasi piscis afflictionibus assantur, illuc quasi favo vera dulcedine æternæ beatitudinis satiabuntur. Deinde certificat eos de Resurrectione per auditum : *Et dixit ad eos : Hæc sunt verba,* id est res verborum, verbum enim quandoque dicitur vox quam proferimus, quandoque res quam per vocem significamus, *quæ locutus sum ad vos,* scilicet supra, cum dixit illis : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt*, etc., *cum adhuc essem vobiscum,* scilicet in carne mortali ante Passionis instantiam ; *quoniam necesse est impleri,* per rerum exhibitionem, *omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis*, *et Psalmis de me.* In his enim tribus Vetus Testamentum comprehenditur. Per hoc quod loquebatur sensibiliter et etiam rationabiliter, reducens ad memoriam quæ eis dixerat ante mortem suam, ostendit se habere corpus animatum anima sensitiva et intellectiva, et eadem qua prius.

10 CHRISTUS DISCIPULIS SENSUM SCRIPTURARUM APERIT. — *Tunc* post prædicta *aperuit illis,* per gratiam internam, *sensum,* et intellectum, qui scilicet prius erat clausus, *ut intelligerent Scripturas*, et ex illis cognoscerent Resurrectionem suam. Sicut per præcedentia probavit veritatem suæ Resurrectionis quantum ad humanitatem ; sic per istud illam probat quantum ad deitatem, quia illuminare mentes ignorantium intellectu sacræ Scripturæ, et subito, est ipsius deitatis proprium. Sicut ante Passionem declaravit se verum Deum et hominem, ita etiam post Resurrectionem suam. *Et dixit eis,* instruendo per doctrinam : *Quoniam sic scriptum est.* Quasi

diceret : Bene debetis credere, *quoniam sic scriptum est* sicut evenit, et sic contigit sicut scriptum est. Unde subditur : *Et sic oportebat Christum pati*, scilicet per lignum crucis, *et resurgere a mortuis, tertia die.* Ut enim dicit *Beda*, perdidisset Christus fructum Passionis, si non esset veritas Resurrectionis, oportebat autem non quidem pro se, sed pro nobis, ut per suam indebitam Passionem, a debita pœna nos liberaret, et per suam sanctam Resurrectionem, nos secum regnaturos ostenderet ; quia sicut ait Apostolus : *Mortuus est Christus pro peccatis nostris*, et resurrexit propter justificationem nostram. Aperuit illis Scripturas; tunc enim Agnus qui occisus est, judicatus est esse dignus accipere librum. et per Spiritum deitatis aperire septem signacula ejus, hoc est quæcumque scripta sunt de sacramentis Incarnationis, Baptismatis, prædicationis et operationis ipsius, ac Passionis. Resurrectionis, et Ascensionis ejus. Ex hoc autem patet, quod Sacræ Scripturæ non possunt sufficienter intelligi, nisi ille aperiat, qui, ut scribitur in Apocalypsi, habet clavem David, qui aperit et nemo claudit

11 Cur ab Jerosolyma cœptaevangelii prædicatio ? — Et cur pro nobis, ut dictum est, mori et resurgere voluit, manifestatur, cum subditur : *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam*, scilicet ex parte hominis ; *et remissionem peccatorum*, scilicet ex parte Dei, cujus solius est peccata remittere hominibus, *in omnes gentes*, non in una tantum gente Judæorum, vel in una parte terrarum, *quia non est personarum acceptor Deus.* Commendata igitur sui corporis veritate, commendat, ut jam dictum est, unitatem Ecclesiæ ; quia, ut dicit *Theophilus*, non placebat amplius bipartitum esse humanum genus in Judæos et in Gentiles. A pœnitentia ergo, sicut et Christi, sic et præcursoris atque Apostolorum incœpit prædicatio, et ne aliquis propter magnitudinem peccatorum desperaret de venia, subjunctum est, *incipientibus ab Jerosolyma.* Jerusalem enim est in medio terræ habitabilis, et ideo convenienter ab illa incepit prædicatio Evangelii, et per Christi discipulos circumquaque per orbem dispersos in omnem terram, exire sonus prædicationis eorum. Unde dicit *Theophilus*, quod ideo ut omnes homines in unum uniret, mandavit discipulis incipere sermonem ab Jerusalem. et ab Gentes terminari. Nullus ergo præ magnitudine peccatorum suorum remissionem se posse consequi desperet, quando ipsis Jerosolymitis cognoscit indultum, qui cruentis manibus, necnon mendacibus vocibus, ipsum sanguinem, per quem genus humanum redemptum est, effuderunt. Unde, secundum *Bedam*, incipiunt ab Jerosolyma, non solum quia *credita sunt illis eloquia Dei.* et eorum adoptio filiorum et gloria ; verumetiam ut Gentes variis erroribus implicatæ hoc maxime indicio divinæ pietatis ad spem veniæ provocentur, quod eis, qui Filium Dei crucifixerunt, venia conceditur. Unde ait et *Chrysostomus* : « Insuper ne dicerent aliqui, quod, omissis notis, iverunt se ostentaturos ad extraneos; ideo primo apud ipsos occisores pandunt Resurrectionis insignia, in eadem civitate in qua prorupit temerarius ausus. Ubi enim crucifixores credere videntur, Resurrectio plurimum demonstratur : » hæc *Chrysostomus*.

12 Discipulorum gaudium pacisque geminatio. — Quia vero ante Passionem Christus discipulis dixerat : *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum*, hoc nunc opere ostenditur impletum ; unde sequitur in Joanne : *Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino*, id est agnito ; et qui ante erant tristes, et sic expavefacti, nunc lætantur coram eo consolati. Quis enim sine magno gaudio videret tantum pietatis spectaculum? *Ostendit eis manus* clavis perforatas, quibus operatus est salutem in medio terræ; *pedes*, quibus prædicando discurrit, et in itinere lassatus fuit ; *et latus*, ex quo sacramenta redemptionis profluere fecit, in quibus omnibus ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia, et ideo in talibus signis pietatis *gavisi sunt discipuli, viso Domino* : quia iste visus non potuit esse

sine maxima lætitia, et gaudio. Et sic duplex eorum tristitia est amota, scilicet de morte Christi, et de metu Judæorum : erant enim conturbati de ipsius Christi morte, et de Judæorum persecutione eis imminente; poteratque illos per suam præsentiam custodire, et de sua Resurrectione certificare. *Dixit ergo eis iterum* : *Pax vobis*; geminat pacem propter duo præcepta caritatis, scilicet Dei et proximi : geminam enim pacem servant, qui hanc geminam dilectionem habent. Sive ideo repetit, quia, testante Apostolo : *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* ; iterat etiam pacem, ut monstret per suum sanguinem esse pacificata quæ in cœlis, et quæ in terra sunt. Quasi diceret : *Pacem relinquo vobis*, id est reliquias pacis scilicet pectoris in præsenti ; *pacem meam do vobis*, scilicet æternitatis in futuro, *do*, id est dabo *vobis* ; etiam hanc pacem itero, ut ostendam vos Deo reconciliatos, hominem Angelis, hominem homini, ut homo Deum diligat, et homo hominem propter Deum. Et secundum *Chrysostomum*, simul quoque demonstrat crucis efficiam, per quam solvit omnia tristia, et contulit omnia bona ; et hæc est pax.

13 Missio Apostolorum et Spiritus Sancti insufflatio. — Deinde subjungit : *Sicut misit me Pater*, ad veritatem fidei docendam in Judæa, *et ego mitto*, id est mittam, *vos*, ad hanc veritatem publicandam per totum mundum. Meos vicarios vos constituo, mea vice vobis mando, meum officium vobis commendo; ad docendum, ad prædicandum, ad baptizandum, ad meum et Patris nomen glorificandum, vos mitto. Medium et mediatorem se Christus ostendit, cum ait, ille me et ego vos : misit Deus Pater Filium suum, quando eum incarnari constituit ; misit Filius Apostolos, quando eos ad prædicandum Incarnationem eamdem per orbem universum direxit ; et sicut Pater amans Filium, misit eum in mundum ad pressuras et Passionem tolerandas pro salute fidelium, ita et Filius amans Apostolos, misit eos ad mala et passiones tolerandas pro suo nomine, non ad mundi gaudium. Unde *Gregorius* : « Itaque dicitur : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, id est ea caritate vos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me Pater diligit quem venire ad tolerandas passiones fecit. » Et, quia exsecutio hujus officii non potest convenienter fieri sine gratia Spiritus Sancti, ideo *hæc cum dixisset, insufflavit* in eos, *et dixit* eis : *Accipite Spiritum Sanctum*. Insufflando Spiritum dedit : ut seipsum esse ostenderet qui in facie primi hominis spiraculum spiraverat ; vel certe ut ostenderet Spiritum Sanctum a se procedere, sicut procedit a Patre, et non Patris solius, sed et suum esse, flatus enim procedit a flante ; non tamen est intelligendum, quod hujusmodi flatus Christi fuerit Spiritus Sanctus, sed signum ejus. Unde *Augustinus* : « Flatus ille corporeus, substantia Spiritus Sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed etiam a Filio procedere Spiritum Sanctum : » hæc *Augustinus*. Unde consuetudo ecclesiastica obtinuit, ut in eorum facie, qui per gratiam Spiritus Sancti regenerandi sunt, a sacerdotibus insuffletur.

14 Remittendi peccata potestas Apostolis concessa. — Et quia per Spiritum Sanctum remissio peccatorum tribuitur, quæ est fructus et effectus Spiritus Sancti, recte post eumdem Spiritum datum discipulis dicitur : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*. Ubi dedit eis potestatem ligandi et solvendi, ministerio non auctoritate, eos quorum peccata ipsi remiserint vel retinuerint, id est retinenda judicaverint, vel non remiserint ; hoc tamen intelligendum est, quando judicium Ecclesiæ divino judicio conformatur. Unde *Augustinus* : « Ut evidentius ostenderet Dominus a Spiritu Sancto, quem donavit fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum, continuo subjecit : si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, hoc est, Spiritus dimittit, non vos; Spiritus autem Deus est, Deus autem dimittit, non vos : Deus ergo ha-

bitans in templo sancto suo, in sanctis fidelibus, in Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt : » hæc *Augustinus*. Licet ergo solus Deus principaliter peccata remittat, tamen ministri Ecclesiæ per virtutem clavium ad hoc ministraliter operantur; dimittuntur autem peccata in Ecclesiæ unitate et caritate constitutis, sed non aliis. Unde ait idem *Augustinus* : « Ecclesiæ caritas, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum, peccata dimittit; eorum autem qui non sunt participes tenet : » hæc *Augustinus*. Potestas ergo conficiendi Corpus Christi data fuit discipulis in cœna, quando Dominus dixit eis : *Hoc facite in meam commemorationem*, sed clavium potestas super corpus Christi mysticum quæ promissa fuit Petro, et in Petro ceteris, post iterum expresse aliis, hæc eis in ipsa die Paschæ collata fuit. Et nota hic Dominum Apostolos ordinasse Episcopos. Unde *Augustinus* : « Nemo tunc dubitat Dominum Apostolos Episcopos ordinasse, cum insufflans dixit eis : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* » Vides quomodo omnia ista sunt plena jucunditate et lætitia; et hic nunc esse magnum Pascha. O qualis domuncula in qua sunt ista, et quam gloriosum habitare in ea!

15 Tria animæ Christum suscipere volenti necessaria, et quinque in ea ab ipso operata. — Ex hoc facto apparitionis Domini tria spiritualiter et mystice accipiuntur, quæ in anima fideli apparitionem, et præsentiam Verbi æterni, mentaliter flagitante, exiguntur. Primum est, animæ ab omni opere exteriori vacatio, quod notatur per diem sabbatorum; per sabbatum enim *requies* significatur, quo Judæi ab omni opere vacabant. Secundum est virium, ab omni specie extranea custoditio, quod notatur per fores clausas; fores enim animæ sunt sensus corporis et vires animæ. Tertium est, virium omnium ad intima recollectio, quod notatur per discipulorum congregationem; vires enim animæ sunt quasi quidam discipuli, sub magisterio Verbi æterni. Sed Dominus non venit ad animam, nisi de sero, propter quod dicitur, cum sero esset. Per sero intelligitur perfectio boni operis, non enim in initio boni operis Dominus apparet, sed sero, postquam sol divinæ gratiæ cursum suum in perfectione operis peregit, tunc Deus homini se ostendit. — Jesus autem veniens in animam operatur ibi quinque. Primo, stat in medio discipulorum omnium, videlicet virium, id est in initio animæ quam inhabitat, et ipsam essentiam animæ, quæ medium est omnium potentiarum, per gratiam perficit et fœcundat, conferendo sibi esse divinum. Secundo, annuntiat discipulis pacem, ecce quibus loquitur pacem, quia discipulis; esto et tu discipulus disciplinæ Christi capax, et audies. Tertio, ostendit ei manus et latus, conferendo scilicet eis et divinas operationes, quæ per manus, et affectiones, quæ per latus, ubi cor latet, designantur. Quarto, facit gaudere discipulos, excitando videlicet in eis gaudium internum, quia gavisi sunt discipuli, viso Domino. Quinto, insufflat dando eis Spiritum vivificationis ad novam vitam, ut vivant tam sibi quam aliis ad salutem.

16 Recedente Domino, Thomas advenit. — Sed Dominus cum discipulis tunc parum stetit, quia multum sero fuit, tamen forte etiam ipsi coegerunt eum aliquantulum plus stare, rogantes ne sic cito recederet; nec hoc Domino displicebat, teneri enim vult, prout supra dictum est. Tandem benedicens discessit ab eis Cumque ab eis evanuisset, rediit Thomas, qui ante Domini adventum exiverat; *dixerunt ergo* animo læto *alii* ad eum, nuntiantes *ei* bonum nuntium : *Vidimus Dominum*, sic enim ante Passionem appellaverunt eum. Qui dixit se non crediturum, nisi videret, quinetiam tangeret cicatrices vulnerum, ut si visus deciperetur, saltem tactus nuntiaret veritatem. Volebat certificari duplici sensu, scilicet visu et tactu. Isti enim duo sensus sunt, qui minus decipi possunt. Tanta quippe

viderat mortis supplicia, quod Resurrectionis et vitæ non poterat accipere argumenta, nisi non solum visu, sed etiam tactu perciperet ea. Unde ait *Chrysostomus* : « Aliis enim grossior existens, eam quæ est per sensum grossissimum, scilicet tactum, quærebat fidem ; et neque oculis credebat. » Remanserunt autem discipuli famelici, sitibundi de Domino suo, de quo tantam copiam habere consueverant, et eum sæpe suspiriis et desideriis revocabant.

17 Recapitulatio apparitionum diei Paschæ. — Vidisti quoties hodie Pascha habuisti, nam omnes prædictæ apparitiones in die Resurrectionis fuerunt, de quibus tantum quinque in Evangelio scriptæ sunt, et has quinque repræsentat sacerdos in missa quinquies se vertens ad populum, et quasi pro apparitione repræsentans eis vultum ; sed tertia versio est cum silentio, quæ significat tertiam ex his apparitionem factam Petro, quia nescitur ubi vel quando facta fuerit hæc apparitio ; per hoc etiam eas repræsentat, quod quinquies *Dominus vobiscum* dicit. Sed forte audisti, non tamen sensisti, quia nec forte in Passione compassionem habuisti, credo enim quod si in Passione compati scires, et mentem unitam, et non sparsam ad secularia, aut superflua, vel curiosa haberes, in qualibet vice sentires Pascha, et hoc tibi contingere posset qualibet die Dominica , si mente integra feria sexta et sabbato te in Passione Domini præparares; quoniam, secundum Apostolum : *Sicut socii Passionum estis, sic eritis et consolationis.* Tunc vero Dominus Jesus rediit ad sanctos Patres, qui coram eo non otiose, sed vigilanter laudibus insistebant jucundantes. Stabant enim in canticis et laudibus omnes sancti Patres et Angeli coram Domino reverenter, alacriter, et devote ac tamquam gloriosi jubilant continue. Conspice igitur eos et tu cum lætitia, et eis congratulare, ac disce Deum venerari et laudare, et sibi gratias agere, et sua beneficia recognoscere ; ac toto conatu ad illam gloriam tendere non cesses, ubi semper in conspectu Dei tui, cum tam nobili multitudine Angelorum et electorum, in laudibus Dei perseveres.

## ORATIO

O alme Fili Dei Patris, qui, foribus clausis, apparuisti discipulis in unum congregatis, obstrue, quæso, claustra sensuum meorum interiorum et exteriorum, contra pericula tentationum sancto timore reverentiæ tuæ ; mortifica in eis omnia mala cum vinculo tuæ caritatis delicatæ, et illumina eos cum lumine religionis divinæ, ut merear tua læta visione consolari ; pacemque pectoris in præsenti, et æternitatis in futuro, te donante, valeam invenire, ubi cum Angelis ac omnibus Sanctis et electis tuis, te laudare merear sine fine. Amen.

# CAPUT LXXVIII

## QUOMODO DOMINUS APPARUIT DISCIPULIS INCLUSIS, THOMA PRÆSENTE.

### Joannis cap. XX.

1 NOVA PACIS COMMENDATIO, ITERUM APPARENTE DOMINO. — Adveniente autem octavo die Resurrectionis, iterum apparuit Dominus Jesus discipulis suis; nam, quia non malitia, sed ignorantia Thomas dubitavit, noluit pius Magister tam dilectum discipulum in infidelitate relinquere, sed ad fidem ejus reformandam iterum dignatus est discipulis apparere. Igitur *post dies octo,* in prædicto monte Sion, *iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis.* Tunc *Jesus,* pastor bonus et de pusillo grege sollicitus, *venit, januis clausis, et stetit in medio* eorum, ut possit videri ab omnibus, *et dixit* illis : *Pax vobis.* Stetit in medio, et dixit : *Pax vobis,* numquam potest esse pax in collegio nisi prælatus sit in medio, ita quod non plus ad unam partem inclinetur quam ad aliam ; columna numquam sustinet ædificium, si sit ad partem prope parietem, et non in medio ; omnia elementa, præter terram, moventur, quia non sunt in medio, terra autem immobilis est, quia in centro est et in medio. Sæpe Dominus pacem discipulis nuntiat et commendat, ac persuadet habere, quia sine pace impossibile est Deo placere ; in eis enim qui pacem et concordiam diligunt, habitat Deus : quia *factus est in pace locus ejus* ; quia pacem veniens attulit, et hinc abiens pacem reliquit ; quia tota perfectio Christianæ vitæ et religionis, in pace et dilectione consistit. Cum magna ergo diligentia debemus pacem inquirere, et studiose observare. Unde *Gregorius Nazianzenus* : « Pudeat ergo nos pacis munus deserere, quam nobis hinc discedens Christus reliquit. » Pax, est res et nomen dulce, quam et Dei esse accipimus, juxta illud : *Pax Dei* ; et ejus esse Deum juxta illud : *Deus pacis* ; et ipsam esse Deum juxta illud : *Ipse est pax nostra.* Pax bonum commendatum ab omnibus, et observatum a paucis. Quæ autem causa est ? Fortassis ambitio dominii, aut facultatum, aut livor, aut odium, aut contemptus, aut aliquid hujuscemodi, ex his quæ Dei ignaros videmus inquirere.

2 THOMAS TANGIT CICATRICES CORPORIS CHRISTI. — *Deinde dicit Thomæ*, quasi respondens petitioni ejus suppositæ : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas;* non quod in digito sit visus, sed quasi diceret : Tange hoc, et experire. Unde videre in hoc loco, pro sentire et intelligere ponitur, quod genus locutionis adeo usitatum est, ut per omnes sensus currere videatur, sicut cum dicimus : audi et vide quam modulate cantat; olfac et vide quam suave redolet ; palpa et vide quam lene sit ; gusta et vide quam dulce sit. Unde in Exodo dicitur : *Cunctus populus videbat voces*, id est audiebat. Visus ergo propter sui certitudinem, pro omni sensu accipitur. Unde, secundum *Augustinum*, nomine visus, generaliter alii quatuor sensus consueverunt nominari, imo etiam aliquando pro intellectu accipitur, ut cum alicui dicitur : vides tu hoc, id est intelligis. Vel simpliciter dici potest, quod Jesus ad verba Thomæ respondet, in quo etiam suam deitatem declarat, in quantum absens corporaliter ejus verba sciebat. Thomas enim duplici sensu, scilicet visu et tactu certificari volens, *dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum*,

*et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Jesus vero quasi respondens, dicit ei : *Infer digitum tuum huc,* scilicet in locum clavorum, *et vide manus* perforatas et clavorum fixuras. Deinde subjungit : *Et affer manum tuam, et mitte in latus meum* lancea perforatum, et cognosce me illum eumdem esse, qui pependit in cruce. Magnum certe fuit vulnus illud sacratissimi lateris, in quo non digitum, sed manum mittere debebat. Mystice, per digitum significatur discretio, per manum opus nostrum; monet ergo digitum et manum in locum clavorum et lanceæ mittere, ut quidquid in nobis est discretionis et operis, in servitium Christi expendamus Deinde subdit : *Et noli esse incredulus*, hoc est ad credendum tardus, *sed fidelis*, hoc est fide firmus, quia in peccato infidelitatis me iterum crucifigis, causam meæ iterans Passionis. Hoc dixit Jesus, quia Thomas dixerat discipulis, Resurrectionem Christi nuntiantibus, se aliter non crediturum. Sicut ergo Thomas præ ceteris dubitavit, ita præ ceteris palpare et videre monetur. Ubi *Chrysostomus* : « Tu vero cum videris decredentem discipulum, excogita Dominatoris clementiam, qualiter etiam pro una anima ostendit seipsum vulnera habentem, et accedit ut salvet unum; non enim ei statim apparet, sed post dies octo ut in medio, a discipulis admonitus accenderetur ad majus desiderium, et fidelior fieret in futurum. » Tunc *Thomas* cicatrices Domini tetigit, et non solum corde credendo, sed etiam ore confitendo, quia utrumque ad salutem requiritur, exclamans *respondit et dixit ei* : *Dominus meus et Deus meus*, scilicet : tu es *Dominus meus*, secundum humanitatem, in qua me sanguine tuo redemisti et comparasti; *et Deus meus*, secundum divinitatem, quo me creasti, et de limo formasti; jam nihil dubito, certus sum, confirmo Resurrectionem, prædico immortalitatem : tu es Dominus meus, et Magister meus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ; tu es denique Deus meus, qui me creasti, et pro me carnem suscepisti, quam ut me redimeres, morti tradidisti, et ut me tecum resuscitares, nunc a morte resurrexisti : hæc est fides mea, ita sentio, et ita credo. O felix Thoma, quam felicem habuit licentiam manus tua ! Magna quippe licentia, et magna gratia est mittere manum in latus illud dulcissimum. in latus illud saluberrimum, in latus, inquam, unde ab ira salvamur, unde a culpa sanamur, unde in gratia regeneramur, unde in gloria sublimamur.

3 Fidei meritum. — Ipse ergo Thomas, qui dicitur *Didymus* propter dubium cor in credendo, quia δίδυμος Græce, *geminus* est Latine, bene etiam dicitur *abyssus*, quia altitudinem divinitatis certa fide penetravit. Quantam autem remunerationem fides habebat, manifestatur, cum subditur : *Dixit ei Jesus*, beatificando scilicet confessionem ipsius : *Quia vidisti me, Thoma,* id est quia expertus es, etiam per tactum, ideo *credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt.* In hoc versiculo non solum fides Thomæ commendatur, sed etiam nostra salus futura prædicitur. Ac si diceret Dominus : Tu quidem beatus es, quia enim me vidisti, credidisti; sed et illi beati erunt, qui non videntes me corpore, credituri sunt mente. Ubi, secundum *Augustinum*, præteriti temporis usus est verbis propter certitudinem; tamquam ille qui quod erat futurum, in sua noverat prædestinatione jam factum, quia apud ejus præsentiam omnia futura præterita sunt. Sed aliud Thomas vidit et palpavit corpore; et aliud credidit corde : quia fides, saltem quoad actum, non potest esse de visis et apparentibus, *fides* namque *est argumentum*, id est ostensio *non apparentium*; arguere enim dicebant antiqui ostendere. Hominem quippe seu humanitatem vidit et tetigit, et Deum seu deitatem, quæ in præsenti videri non potest, credidit Dicendo enim : *Dominus meus*, humanam naturam, cui datum est totius creaturæ dominium; dicendo vero, *Deus meus*, divinam, quæ omnia condidit, confessus est, et unum eumdem Deum et Dominum. Unde *Theophilus* : « Qui prius infidelis fuerat, post lateris tactum se

optimum theologum ostendit : nam duplicem naturam unicamque hypostasim Christi edisseruit. » Nos ergo consolando subjunxit Dominus : *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Unde sic dicit *Gregorius* : « Lætificat autem valde quod sequitur : *Beati qui non viderunt et crediderunt*, in qua sententia nos specialiter signati sumus, qui eum quem carne non vidimus mente tenemus, si fidem nostram operibus sequimur; ille enim vere credit, qui exercet operando quod credit : » hæc *Gregorius.* De his autem qui fidem nomine tenus retinent Paulus dicit : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant;* et Jacobus : *Fides sine operibus mortua est.* Cum ergo, ut dicit *Chrysostomus*, aliquis sic isto tempore dixerit : utinam in temporibus illis fuissem et vidissem Christum miracula facientem! tunc excogitet : *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Potuit autem esse quod post confessionem, qua Thomas dixit : *Dominus meus et Deus meus*, Dominus Jesus insufflans dixerit : Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, etc., licet hoc non dicat Evangelista ; quia *multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Unde ipse qui virtutem suam non alligavit sacramentis, potuit sine signo sensibili dare Spiritum Sanctum, et conferre ei potestatem, et ordinem episcopalem. Nam credendum est, quod eum sicut alios Episcopum ordinavit.

4 Cur Thomæ dubitatio permissa fuerit? — Attende hic quod Christus Thomæ apparuit, quando in errore fuit; in quo magna Christi pietas ostenditur, qui propter unum solum venit. Unde *Chrysostomus* : « Considera Dominatoris clementiam, qualiter etiam pro una anima ostendit seipsum vulnera habentem, et accedit ut salvet unum. » Hoc autem de Thomæ dubitatione dispensatorie permissum est, ut evidentioribus argumentis Resurrectio Domini probaretur; ideo enim dubitatum est ab illo, ne dubitetur a nobis. Unde *Gregorius* : « Non casu sed divinæ pietatis dispensatione gestum est ut ille electus discipulus tunc deesset, qui, audita Resurrectione, dubitaret, dubitans palparet, et palpans crederet : ut a nostris cordibus omnem dubitationem expelleret, et dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim in nobis incredulitas Thomæ, quam aliorum credulitas ad fidem profuit; quia dum ille ad fidem palpando reducitur, mens nostra, omni dubitatione postposita, in fide solidatur; et non solum nostram fidem roboravit, sed etiam hæreticorum errorem, dicentium Jesum verum corpus non habuisse, exclusit.» Unde et *Leo* Papa : « Suffecit Thomæ ad fidem propriam vidisse quod viderat; sed nobis operatus est, ut tangeret quod videbat. » Unde iterum *Gregorius* de ipsius Thomæ et aliorum etiam discipulorum dubitatione sic dicit : « Quod Resurrectionem Dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra, ut ita dicam, firmitas fuit. Ipsa namque Resurrectio, illis dubitantibus, per multa argumenta monstrata est, quam dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de eorum dubitatione solidamur? Minus enim mihi Maria Magdalena præstitit, quæ citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit; ille etenim vulnerum cicatrices tetigit, et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit : » hæc *Gregorius.*

5 Novem causæ propter quas cicatrices vulnerum Christus retinuit. — Dispensationis autem gratia, non ex curandi impotentia Dominus, qui mortis regna destruxit, signa mortis delere noluit, sed pluribus de causis vestigia Passionis, scilicet cicatrices vulnerum in corpore licet incorruptibili, reservavit. — Primo, ad astruendam et probandam Resurrectionem, ac reformandam et corroborandam discipulorum fidem, de sua Resurrectione dubiam, ut credant quod ipse qui crucifixus fuit in eodem corpore numero resurrexit; in eo enim quod vulnera ostendebat, manifestabat quod idem resurrexerat, qui in cruce pependit; unde Lucas : *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum.* — Secundo, ad commendandam ejus circa

nos dilectionem, ut quam misericorditer simus adjuti, ostensis suæ mortis indiciis insinuet, nosque ad dilectionem rependendam magis provocet; unde in Apocalypsi : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris, in sanguine suo.* Tertio, ad ostendendam nostram redemptionem, quoniam illa vulnera fuerunt nostræ redemptionis signum; unde ait Isaias : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*: ideoque misericordias Domini cantare non cessent, sed *nunc qui redempti sunt a Domino dicant*: *Quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.* — Quarto, propter nostram ædificationem et instructionem, si enim in corpore Christi glorioso etiam manebant signa suæ Passionis, et nos, quasi compatiendo, eadem vulnera continue in mente portare, et pro eis gratias agere deberemus; unde Apostolus : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* — Quinto, propter nostri recordationem, et memoriam apud se semper retinendam. Nequaquam enim nostri obliviscitur, pro quibus sic crudeliter plagatus dignoscitur; unde in Isaia : *Ego tui non obliviscar, ecce in manibus meis descripsi te.* Sexto, propter Dei Patris reconciliationem, ut Deus Pater ignoscat humano generi, pro quo Filius sic voluit plagari; unde Apostolus : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Nam Patri pro nobis supplicat, obedientiam repræsentans, et quale genus mortis pertulerit semper ostendens, quod est quidem modus interveniendi pro nobis. Unde ait *Bernardus* : « Securum accessum habes, o homo, ad Deum, ubi habes Filium ante Patrem, Matrem ante Filium. Filius ostendit Patri latus et vulnera; Mater ostendit Filio pectus et ubera, nec ulla poterit ibi esse repulsa, ubi tot caritatis occurrunt insignia. » — Septimo, ad impiorum confusionem, ut, ostensis eis in judicio vulneribus, denuntiet quam juste damnari debeant. Unde, secundum *Augustinum*, convincens eos de peccato suæ mortis, dicet : Ecce hominem, quem crucifixistis; videtis vulnera, quæ inflixistis; agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam per vos et propter vos apertum est, nec intrare voluistis. — Octavo, ad electorum exsultationem, dum in Deo suo insignia amoris præcipui, quem ad eos habuit, videbunt. Nam, secundum *Bedam*, magnum gaudium erit Sanctis, videre vulnera in carne Christi fulgida, per quæ victor triumphavit de morte, et salvavit electos. Veniens ergo Dominus ad judicium, in eadem forma omnibus apparebit, scilicet justis et injustis : ut justi videntes quanta et qualia pro eis sustinuit, in ejus amore amplius exardescant, et in laude ac gratiarum actione proficiant; injusti vero deterius puniantur, confundantur, et pereant, quanto magis tantis beneficiis ingrati exstiterunt, et largiora beneficia Dei indignius contempserunt. — Nono, ut triumphum, seu titulum triumphalem, et signum victoriæ suæ omni carni ostendat, in perpetuum circumferat, quæ eum victorem diaboli per infinita secula demonstrent. Miles, verbi gratia, pro totius gentis salute fortiter egit, et multis vulneribus perfossus est, hostem tamen interfecit, ejusque spolia diripuit, et victoriam suæ genti reportavit; si dicat illi medicus : Vis sanari sine omni cicatrice, vel cum cicatricibus sine omni deformitate? Puto quod in signum suæ victoriæ, et pro exemplo animandi alios ad idem, reservaret sibi cicatrices. Illæ enim cicatrices sunt in Christo, non in deformitatem, sed in magnam pulchritudinem. Unde dicit *Chrysostomus*, quod cicatrices sunt in Christo super radio solis lucidiores. Unde etiam, secundum *Augustinum*, in illo regno apparebunt in corporibus beatorum Martyrum cicatrices vulnerum, quæ pro Christi nomine olim pertulerunt : sicut stella in cœlo, sicut lapis pretiosus in annulo, sicut flos in stipite, et sicut rubens color in rosa. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, et quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit; nec ideo tamen si Martyribus aliqua amputata atque ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mor-

tuorum, sed ubi membra, ut præciderentur percussa sunt, vel secta, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis, apparebunt.

6 Benignitas Domini sic cum Thoma familiariter agentis — Conspice nunc Dominum, et considera solitam ipsius benignitatem, humilitatem et amorem ferventem, quomodo videlicet monstrat Thomæ et aliis discipulis vulnera, ut tollat omnem obscuritatem de cordibus eorum, ad ipsorum et nostram utilitatem. Stat igitur cum eis per aliquam morulam, loquens de regno Dei consolatoria ; stant et ipsi cum eo in lætitia magna, audientes illa verba excelsa, et aspicientes faciem ejus plenam gaudio, ac decore et gratia. Attende bene eos familiariter circumcirca stantes. Sta et tu reverenter, et verecunde, sed gaudenter, a longe tamen, si forte misericordia motus faciat te vocari licet immeritum. Tandem dicit eis quod in Galilæam vadant, et quod ibi eis apparebit, sicut promiserat, et benedictione data, discessit ab eis. Ipsi vero remanserunt, ut prius, de ipso famelici et sitibundi, sed plurimum consolati et confortati.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, qui Thomæ dubitanti loca clavorum et lanceæ ostendisti, et eum per digiti et manus immissionem, ab errore revocasti, da mihi ut tuorum vulnerum et Passionis semper habens memoriam, digitum et manum, hoc est quidquid discretionis et operis in me fuerit, totum in servitium tuum mittam et expendam ; et cum Thoma confitear, quia tu es Dominus meus, qui me sanguine tuo comparasti, et Deus meus, qui me creasti, ut quod de credentium salute futura ei prædixisti, in me merear experiri, et, te largiente, beatus apud te inveniri. Amen.

# CAPUT LXXIX

## QUOMODO DOMINUS APPARUIT SEPTEM DISCIPULIS AD MARE TIBERIADIS.

Joannis cap. XXI.

1 Ad piscationem redeunt apostoli. — *Postea*, facto intervallo temporis, *manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis*, id est se visibilem præbuit, et hoc etiam modo dicitur apparere, quod idem est quod manifestari. Nam, secundum *Ambrosium*, illud apparet, in cujus potestate est videri, et non videri. *Manifestavit autem sic :* piscabantur simul septem discipuli nocte quadam, ut cibum haberent, *erant* scilicet *simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ* et creditur frater Philippi fuisse; *et filii Zebedæi*, scilicet Jacobus et Joannes; *et alii ex discipulis ejus duo*, quorum nomina non exprimuntur, quia, secundum quosdam, erant minores, vel, secundum quosdam alios, videntur fuisse Philippus et Andreas. Et piscabantur in navi aliena eis accommodata, vel locata, seu alio modo licite accepta, quia a principio suæ conversionis omnes reliquerant navem et retia. Piscabantur autem licite, quia, secundum *Augustinum*, non fuerunt prohibiti ex arte sua

licita et concessa, victum necessarium quærere, servata sui apostolatus integritate, si quando unde viverent, aliud non haberent. Propter quod et Paulus, ut de ipso scribitur, scenefactoriam artem didicit, ut cum necessitas, vel Ecclesiæ utilitas occurreret, de labore suo viveret. Et, secundum *Gregorium*, negotium quod ante conversionem sine peccato exstitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit; quod autem ad peccatum implicat, ad hoc necesse est ut post conversionem animus non recurrat Unde post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit, Matthæus vero ad telonium non resedit. Et per totam noctem illam hi septem discipuli in vanum laboraverunt, et nihil de piscibus ceperunt, quia divinum auxilium deerat, cujus carentia nox dici potest. Hoc ideo factum est, ut captio sequens manifeste miraculosa appareret.

2 Apparitio Domini et miraculosa piscatio — *Mane autem facto*, per quod intelligitur gloria Resurrectionis, Dominus *Jesus* apparuit eis et *stetit in littore* maris. Non apparuit supra aquam, sed in terra solida, ad ostendendum quod amplius non erat cum eis in fluctibus vitæ corruptibilis, sed magis quod transierat ad statum vitæ immortalis. *Non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est* Non statim, secundum *Chrysostomum*, ostendit Jesus seipsum, ut per miraculum, quod facturus erat, agnoscerent eum. *Dixit ergo eis Jesus : Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Attende hic quæ acta sunt, quia jucundissima sunt. Quærebat ab eis, quasi pisces emere volens, si pulmentarium haberent, id est aliquid, quod decoqui et comedi posset. Pulmentarium potest dici illud, quod pani dulcorandum adjungitur, et quo panis, ut magis comestibilis sit, conditur. Pulmentarium autem hic vocat pisces, ad edendum dulces et delectabiles, ut dicit *Chrysostomus*. Interim humanius loquitur, ut quid debens emere ab eis. Mystice autem, a nobis pulmentum petit Dominus, ut reficiatur, quod est obedientia mandatorum Dei, ad quam omnes obligantur, unde supra discipulis suis ipse dixerat: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Et *responderunt ei : Non*; credebant enim eum esse mercatorem volentem pisces emere. *Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete et invenietis*. Illi autem, ad mandatum ejus, *miserunt* rete quod impletum est; *et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium* : quia enim obedientes fuerunt, ex obedientia fructum consecuti sunt. Per septem piscatores, qui hic enumerantur, universitas prædicatorum Ecclesiæ designatur, qui sine Christi virtute nihil prendunt, et nihil proficere possunt, quia sine instructione ejus interiori, frustra laborat lingua prædicatoris. Sed mane, quando venit lux illuminans corda, ipso Christo principaliter operante, capiunt copiosam multitudinem piscium, per quam signatur multitudo credentium, per prædicationem Apostolorum, et similiter multitudo pœnitentium, per prædicatores alios ad bonum conversorum. Dicitur autem quod pisces fugiunt retia fœtida et corrupta, nec libenter intrant ea, et propter hoc illi qui piscantur cum talibus retibus, paucos vel nullos pisces capiunt; sequuntur vero retia odorifera et munda, et ideo cum talibus capiuntur melius. Rete Christi, est verbum Dei; pisces, sunt omnes peccatores; dextera, spiritualia; sinistra, temporalia. Iste ergo, qui prædicat propter lucrum temporale, vel vanam gloriam, piscatur ad sinistram, et retia fœtida habet, et ideo parum proficit; sed qui in doctrina et prædicatione quærit salutem audientium, ille piscatur ad dexteram, et retia odorifera habet, et ideo multum proficit; nec mirum, quia, ut dicitur in libro Proverbiorum : *Vias quæ a dexteris sunt, novit Dominus*; *perversæ vero sunt*, *quæ a sinistris sunt*.

3 Perspicacitas Joannis in recognoscendo Christo, fervorque Petri se in mare mittentis. — *Discipulus ergo ille, quem diligebat Jesus*, id est Joannes, considerato miraculo facto, quia vidit adimpletum sicut prædixerat, recognoscit eum, et *dixit Petro*, quem

præ aliis diligebat, et etiam quia inter alios prior erat : *Dominus est*, cui scilicet et pisces obediunt. Dominus enim, est nomen potestatis, et per potestatem in miraculo piscium est hic manifestatus. Joannes, qui tamquam virgo, ceteris purior erat, et perspicacior in cognoscendo, citius aliis cognovit Christum ; quia puritas mentis et corporis, maxime disponit hominem ad cognitionem divinorum. Secundum *Bedam*, cognovit primus Dominum : sive miraculo istius piscationis, sive sono præcognitæ vocis, sive primæ reminiscens piscationis. Ubi ait *Petrus Cantor* : « Per Petrum, activa et laboriosa vita, per Joannem, contemplativa et quieta significatur. Contemplativa activæ Deum, quem considerat, ostendit. Si, in die in actione fuisti, saltem in nocte dicat tibi vita contemplativa : Dominus est, ne ita distraharis operibus, quod ipsum aliquando non consideres : » hæc *Petrus Cantor*. Tunc *Simon Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se*, ut cum majore reverentia accederet ad eum ; *erat enim nudus*, id est parum vestitus, ut aptior esset ad piscationis opus. Unde *Beda* : « Dicitur Petrus nudus fuisse ad comparationem ceterorum vestimentorum quibus uti solebat ; sic nos solemus dicere, cum aliquem simplici vestimento videmus indutum : quare nudus incedis? » Ubi et *Theophilus* : « Præcinxit autem se linteo amictu, quem Phœnices et Tyrii piscatores circumvolvunt sibi, cum nudi sunt ; sive etiam ceteris indumentis apponunt. » *Et* ex devotione ac fervore dilectionis, *misit se in mare*, ut citius ad eum veniret, memor Domini quem ferventer diligebat. *Alii autem discipuli trahentes rete piscium*, cum matura festinatione *navigio venerunt*, quia ita fervidi sicut Petrus non erant. Petrus quidem moras navis exspectare non potuit, sed amoris immensitate cogente, in mare se præcipitavit, ut velocius et magis festinus ad Dominum suum venire posset. Ubique Petrus ferventioris fidei, et majoris dilectionis invenitur. Ubi ait *Beda* : « Eodem autem ardore, quo et multa alia fecerat, venit ad Jesum. » Non tamen intelligendum est Petrum tunc super fluctus venisse, sed aut natando, aut pedibus propriis : *Non enim longe erant a terra*. Et hic, secundum *Chrysostomum*, optime ponitur conditio Joannis et Simonis Petri, quia Joannes perspicacior erat intellectu, Petrus ferventior affectu. Propterea Joannes quidem primus cognovit Jesum, Petrus vero primus ivit ad eum. Mystice, per mare significatur tribulatio præsentis seculi. Unde, illi qui desiderant ad Christum pervenire, mittunt se in mare, quia non refugiunt tribulationes hujus mundi, scientes *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, et tamen inter tribulationes securus et illæsus Christi servus evadit, sicut Petrus illæsus pervenit; per navigium vero, significatur Ecclesia, unde alii discipuli veniunt navigio, id est protecti societate Ecclesiæ, secundum illud Psalmistæ : *Proteges eos in tabernaculo tuo*.

4 Novum miraculum creationis carbonum, piscis ac panis et discipulorum reverentia. — *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas* in littore *positas*, id est ordinatas ad calefaciendum, *et piscem illis superpositum, et panem* juxta positum. Ecce aliud miraculum : nam non ex materia subjecta, sicut alias multiplicavit panes ; sed de nihilo et novo fecit virtute divina carbones accensos, et piscem, et panem, ad majorem discipulorum in fide Resurrectionis Christi confirmationem. De Bethsaida ad unam leucam contra Orientem est locus, ubi stetit Jesus in littore, cujus adhuc vestigia ibidem ostenduntur in lapide, et inde non ad jactus lapidis medietatem, locus ubi viderunt prunas, et piscem superpositum, et panem. Et jussit Jesus afferri de piscibus, quos nunc prendiderunt, nutu ipsius. *Ascendit* autem *Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus*. Ubi dicit *Isidorus*, quod omnia genera piscium ad istum numerum reducuntur ; et quia Apostoli debebant esse piscatores omnium hominum, ideo tot

et non plures pisces piscati sunt. *Et cum tanti essent, non est scissum rete.* Numerum et magnitudinem piscium exprimit, ad declarationem miraculi, ex tanta captione eorum, et iterum ex retis integritate, quoniam non est scissum. Et vocans Dominus *Jesus* discipulos *dicit eis : Venite, prandete* ; et simul cum eis comedens, ad declarationem suæ Resurrectionis, et, ad ostendendum non esse phantasma quod factum est, fecit eis convivium, et festum magnum cum ipsis in littore maris. *Et nemo discumbentium audebat interrogare eum : Tu qui es ?* non propter austeritatem et formidinem, sed propter reverentiæ auctoritatem, et cognitionis certitudinem, *scientes* discreta cognitione, *quia Dominus est*, cui cum metu et reverentia oportet intendere ; et ideo frustra fecissent de hoc quæstionem, quia non oportebat facere eam ; ubi enim est veritas exhibita aperte, ibi nulla est opus interrogatione. Unde *Chrysostomus :* « Et nemo audebat eum interrogare, sed cum silentio et formidine multa et reverentia sedebant attendentes in eum. Nam sciverant quidem, quia ipse Dominus est, formam autem alteratiorem videntes, et multa admiratione plenam, valde erant stupefacti. » Unde et *Augustinus :* « Nemo audebat dubitare quod ipse esset, tanta enim erat evidentia veritatis, qua illis Jesus apparebat, ut nullus eorum auderet non solum negare, sed nec dubitare, et ideo stultum esset interrogare. »

5 Jucundum Domini cum discipulis convivium. — *Et* consuetæ humilitatis suæ more ministrans eis, *accipit panem et dat eis*, benedictum tamen, et distribuendo fractum, *et piscem similiter*, et comedit cum eis ; nam eo modo dividebat eis, et distribuebat, sicut consueverat ante Passionem, ad declarandam suam Resurrectionem. Stant igitur reverenter, multumque alacriter isti septem discipuli cum Domino suo, pariter comedentes cum eo. Aspiciunt desiderabilem, et jucundam faciem ejus, et exsultant in cordibus suis. Accipiunt de sacratissimis manibus ejus escas desiderabiles, et reficiuntur non minus spiritualiter, quam corporaliter. O quale est istud convivium ! Considera bene per singula, et si potes pascaris cum eis, in exsultatione et lætitia. In hoc convivio Ecclesiæ spirituali Christus præparat prunas caritatis, quas de cœlis portavit ad terras, quia ignem venit mittere in terram, et vult ut accendatur. Item, præparat piscem superpositum prunis, qui est ipse Christus, qui super prunas ponitur, quando ex incendio caritatis, pro nobis in cruce immolatur. Item, præparat panem quo reficimur, qui est et ipse Christus, nam ipse reficit nos per doctrinam, et etiam dando Corpus suum nobis in cibum. Dedit etiam Dominus discipulis piscem, quia suam Passionem imitandam ostendit ; dedit et cum pisce panem, quia post tolerantiam passionis gaudia æternæ societatis repromisit. Unde *Augustinus :* « Fecit Dominus prandium septem discipulis de pisce asso, et aliis quos cœperant, et pane. Piscis assus, Christus est passus ; ipse est et panis, qui de cœlo descendit. Huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem æternam, propter quod dictum est a Domino : *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc,* ut omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum, per quem potest nostra universitas intelligi figurata, tanto Sacramento nos communicare nossemus, et eidem beatitudini nos sociari : » hæc *Augustinus*. Ideo etiam ultimum convivium cum septem discipulis piscantibus voluit celebrare, quia illi post universale judicium cum Domino æternum convivium sunt celebraturi, qui septiformis Spiritus Sancti gratia repleti, fluctus præsentis seculi divino amore calcant, et in lucrandis animabus invigilant. Unde *Gregorius :* « Cur cum septem discipulis ultimum convivium celebrat, nisi quod eos tantummodo, qui septiformi gratia Spiritus Sancti pleni sunt, futuros secum in æterna refectione denuntiat ? Septem quoque diebus omne hoc tempus evolvitur, et sæpe per septenarium numerum perfectio designatur. Illi ergo ul-

timo convivio de præsentia Veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos hujus mundi amor non ligat, quibus si utcumque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit : » hæc *Gregorius*.

6 Duplex piscatio miraculosa ejusque significatio. — Sicut ergo Dominus in alia piscatione significavit Ecclesiam qualiter nunc est; sic in hoc loco significat eam qualiter in fine seculi scilicet in ultima resurrectione mortuorum, futura sit. Mare enim præsens seculum signat; littus, quod est finis maris, finem seculi designat. Unde, ibi Jesus ascendit in navem, quia adhuc in fluctibus vitæ corruptibilis cum discipulis erat; hic autem in littore stabat, quia jam ad statum vitæ immortalis transierat. Ibi non in dexteram navigii neque in sinistram, sed indifferenter, inquit : *Laxate retia vestra in capturam*, ut intelligamus bonos et malos ; hic autem : *Mittite*, inquit, *in dexteram navigii rete*, ut significaret eos qui stabunt ad dexteram, solos bonos. Ibi numerus piscium non exprimitur, quia multiplicati sunt super numerum ; hic vero certus est numerus, scilicet centum quinquaginta tres : qui numerus habet quinquagenarium, per quem designatur jubileus, in quo cunctus populus ab omni opere quiescebat ; et insuper habet tria propter mysterium Trinitatis ; ideo autem dictum est, quod erant magni, quia omnes electi magni sunt in regno cœlorum, licet gradus sint diversi. Ibi rete propter significanda schismata rumpebatur ; hic vero non est scissum rete, quoniam in illa summa pace Sanctorum nulla erunt schismata. Et ideo ad hoc commendandum valet, quod Joannes ante hanc apparitionem, tamquam finem libri sui interposuit dicens : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc*, etc.., quod esset etiam secuturæ narrationis quasi quoddam prœmium.

7 Christus Petrum in suum vicarium electurus eum interrogat de dilectione sua. — Attende nihilominus quæ sequuntur , quia pulcherrima sunt et valde utilia Nam, completo isto solemni convivio, et refectionis beneficio omnibus communiter exhibito, *cum ergo prandissent*, *dicit* Dominus *Jesus* specialiter *Simoni Petro*, volens ei conferre beneficium speciale : *Simon Joannis*, scilicet filius, *diligis me plus his*, id est plus quam isti me diligunt? Quasi Petro diceret : Quid mihi dabis, quid mihi præstabis, quia diligis me? Ubi *Alcuinus* : « Mystice autem Simon *obediens*, Joannes *gratia* dicitur ; merito ergo nomine vocatur, id est *obediens gratia* Dei, ut ostendatur quod ardentiori illum caritate amplectitur, non meriti humani, sed divini esse muneris. » Interrogat Dominus an se diligat, quem semper et ubique majorem amoris affectionem erga se ostendere videbat : *Simon Joannis*, inquit, *diligis me plus his*, qui tui amoris affectum plus quam hi circa me ostendis? In quo apparet quod ille, qui eligitur ad officium prælationis, debet diligere Deum præ ceteris, et quod, ceteris paribus, melior et perfectior debet præfici in prælatum, quia Dominus requirebat a præficiendo, an plus diligeret eum, et plus haberet caritatis, quæ est vinculum perfectionis. Nam in omni regimine, ille qui præsidet et gubernat, debet excellentior esse, et ad plura ac majora et magis ardua tenetur prælatus quam quicumque subditus : quia sicut se habet anima ad corpus quod regit, et ratio ad vires inferiores, et pastor ad gregem, et homo ad bruta animalia ; sic se debet habere prælatus ad subditos. Et ideo videtur quod ille qui aliquem eligit ad tale officium, tenetur semper eligere meliorem : non tamen intelligitur melior, litteratior, vel astutior ; sed ille qui, omnibus conditionibus pensatis, melior est ad tale officium, ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ. Aliter vero eligens vel promovens, non videtur judicium divinum evadere. Quod autem, secundum jura, sufficit eligere bonum et idoneum, hoc est secundum judicium humanum , per

quod talis non est puniendus; cum secundum *Augustinum*, aliqua permittuntur humano judicio incorrecta, propter majora mala vitanda, quæ tamen sunt divino judicio corrigenda. Nam aliquid sufficit, secundum judicium humanum, quod non sufficit secundum judicium divinum. Secundum judicium humanum sufficit illud de quo homo non potest accusari, nec electio ejus improbari. Constat autem difficile esse electiones fieri, si possent ex hoc reprobari, quod invenitur alius melior quam ille qui est electus; unde sufficit, secundum judicium humanum, ut electio sit recta, et eligatur idoneus. Secundum vero judicium divinum, et conscientiam, necessarium est eligere meliorem, quantum ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiæ; si vero aliquis minus bonum præeligat et aliquid privatum, pura affectio carnalis, spes beneficii et commodi temporalis eum moveat, est fraudulenta electio et personarum acceptio, et peccat. Sciens ergo Dominus Petrum interrogat: sciebat enim quod non solum diligeret eum, verum etiam plus omnibus diligeret; sed innuit, ut et corde credamus, et ore confiteamur.

8 Cauta Petri modestia. — Nesciens autem Petrus, quantum alii Christum diligebant, non est ausus respondere: Plus quam alii, quia cor alterius videre non poterat; sed cum modestia locutus est, et absolute respondens *dicit ei* : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te* Quasi diceret: Teipsum testem invoco, qui secretorum es conscius, quia amo te, et tu qui interiora consideras, scis si plus aliis amem te, quod ego nescio; tu scis quantum diligo te, et quia integro corde te diligo, quantum vero alii te diligunt nescio. Item, quia expertus propriæ fragilitatis in Christi negatione fuit, cautius de se respondit nec ultra se efferre in Christi dilectione ausus fuit; sed quantitatem suæ dilectionis in judicio Christi, qui secreta cordium intuetur, posuit; nec audet invocare conscientiam propriam, in qua prius deceptus fuit, sed Domini conscientiam invocat, dicens: *Tu scis quia amo te*. Ac si dicat: Tu nosti plus quam ego. Humilians se coram Apostolis non dicit: Amo te plus his; sed simpliciter: *Amo te*, instruens nos quod non debemus nos aliis præponere, sed alios nobis. Quod ergo de se novit, scilicet quod diligeret, dixit; quod nescivit, scilicet utrum plus aliis diligeret, tacuit, docens nos quod in dubiis suspensam debemus sententiam tenere, et non temere de occultis diffinire. Tunc *dicit ei* Dominus, officium pastorale sibi committens: *Pasce agnos meos*. Quasi diceret: Hoc mihi dabis, hæc præstabis, si amas me, ut pascas gregem meum. In hoc sciam, et experiar quod me amas, si scilicet gregem meum pascis; exhibitio operis, sit probatio dilectionis. Dilectio enim Dei, probatur in dilectione proximi; qui vero opus pietatis proximo non impendit, minus Deum diligit. Unde *Augustinus* : « Confitenti autem amorem suum, oves suas commendavit, tamquam non esset ubi ostenderet Petrus amorem suum in Christum, nisi esset pastor fidelis sub principe omnium pastorum. » Cumque Dominus secundo ab illo quæsiisset, si ipsum diligeret, et Petrus idem quod supra respondisset, iterum subdit: *Pasce agnos meos*. Cum vero Dominus tertio quæreret, si eum amaret, *contristatus est Petrus*, eo quod sæpius esset interrogatus ab eo, qui sciverat quod interrogabat; et turbatus fuit, eo quod noverat eum scire etiam omnia futura, propter quod timuit ex tali replicatione, ne Christus vellet sibi prædicere aliquem casum suum futurum, sicut supra prædixit ei suam negationem futuram, et ideo merito timuit, et turbatus fuit. Unde, secundum *Chrysostomum*, rursus formidat, ne forte æstimans se diligere, si non diligat, corripiatur, sicut et prius correptus est, multum se existimans fortem, unde ad ipsum Christum refugit. *Contristatus* ergo *Petrus dixit ei* : *Domine, tu omnia nosti* et ineffabilia cordis, et præsentia, et futura; et de ultimo cordis protulit amantis vocem, dicens: *Tu scis quia amo te*. Quasi diceret: Tu scis omnia et

præsentia et futura, ideo tu scis quod nunc te diligo; sed quid sit mihi futurum, ego nescio, tu scis. Deinde, post tertiam Petri responsionem, Dominus adjecit aliquid, et *dixit ei* : *Pasce oves meas.*

9 Cur trina confessio ab eo exigitur. — Interrogavit autem eum ter, non ignorans quo animo confiteretur Christi amorem; sed ut trina confessio amoris, deleret trinam negationem timoris; ter negavit timor, ter confessus est amor. Unde *Augustinus* : « Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori, et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens. Et secundum *Ambrosium*, interrogavit non ut disceret, sed ut doceret quem elevandus in cœlum amoris sui velut vicarium relinquebat : non vult Dominus suos agnos vel oves committere, nisi illi qui eum diligit, quos ipse tantum dilexit, ut pro eis mori dignaretur; et ideo prius Ecclesiæ pastorem interrogat an se diligat, et sic postea ad pascendum suos agnos et oves ei committit; sicut enim fuit timoris indicium negare pastorem, sic est amoris officium pascere Dominicum gregem. Unde *Chrysostomus* : « Si diligis me, inquit, præsiste fratribus, et ferventem amorem, quem per omnia demonstrasti, nunc ostende; et animam, quam dixisti positurum te esse pro me, hanc pro ovibus da meis, ostendens quanti appretiatur præsistentia propriarum ovium, et quoniam hoc est maxime ejus, qui in ipsum est, amoris signum. » Unde et *Gregorius* : « Si ergo signum dilectionis, est cura pastoris, quicumque virtutibus pollens gregem Dei negligit pascere, summum pastorem convincitur non amare. » Unde et *Augustinus* : « Quid est aliud : Diligis me? Pasce oves meas, quam si diceret : Si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas, et sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; damnum meum, non tuum; lucra mea, non tua. » Unde etiam *Bernardus* : « Non otiose toties repetitum est : *Simon, amas me*, in commissione ovium. Et ego quidem id significatum proinde puto, ac si illi dixisset Jesus : Nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me ames, et valde perfecteque ames, hoc est : plus quam tua, plus quam tuos, plus etiam quam te, ut trinæ repetitionis meæ numerus impleatur; nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus utique sanguis meus effusus est. Terribilis sermo, et qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere! Propterea attendite vobis, quicumque opus ministerii hujus sortiti estis; attendite, inquam, vobis, et pretioso deposito, quod vobis creditum est : » hæc *Bernardus*. Vide quomodo Dominus Christus, committendo Petro pastorale officium, ipsum ter examinat de dilectione; quia pastores Ecclesiæ debent Deum ac etiam proximum præ ceteris hominibus diligere. Non ergo debet quis eligi in prælatum, nisi habitis certis signis et argumentis de dilectione ejus erga Deum et proximum. Unde idem *Bernardus* : « An non incongrue de dilectione requiritur, qui pascendo gregi præponitur? Ille enim præesse debet aliis, qui vino caritatis inebriatus exæstuat, immemor sui, ut non quærat quæ sua sunt sed magis quæ sunt Jesu Christi. » Attende etiam quod Dominus pastorale officium injungit, trina examinatione præmissa, et ideo qui ad hoc officium assumitur, prius examinari debet diligenter.

10 Tria genera fidelium in Ecclesia, quos pascere non tondere jubetur Petrus. — Primo autem et secundo *agnos* imperfectos, quodam lacte vescendos, et tertio *oves* perfectiores solido cibo alendas Petro commisit, quia non solum pastorem, sed et pastorum pastorem eum constituit. Sicut enim in Ecclesia tria genera, seu tres gradus hominum fidelium, qui sicut agni et oves in Ecclesia sunt pascendi, scilicet : incipientes et proficientes, qui quasi adhuc imperfecti nomine agnorum; et perfecti qui nomine ovium possunt intelligi : et bis dictum est : *Pasce agnos meos*; sed

semel : *Pasce oves meas,* quia infirmi et adhuc tenelli in fide ampliori pastorali cura et sollicitudine indigent, quam fortiores et grandiusculi, qui se regere valent, neque tanta cura egent. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, quia regit et subditos, et prælatos; omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est, nihil, inquam, quod suis pastoribus commiserit. Sed cum Joannes a Domino magis esset dilectus, quare non est aliis Apostolis prælatus, sed Petrus? Quia erat adolescens, et si esset prælatus, illi scandalizarentur forte in eo, sed non ita in Petro, quia senex; item, ne videretur amicos carnales exaltare, et eos aliis præferre. Utinam Ecclesia imitaretur hoc exemplum, et non faceret in multis contrarium! Considera hic solitam Domini caritatem et benignitatem. Aperte enim vides quomodo diligenter et affectuose imprimit, reiterat et recommendat Petro animas nostras. Ter enim interrogans eum de amore, ter subjunxit *pasce.* Non dicit ei : tonde, munge, macta et manduca; sed dicit tribus vicibus *pasce*, scilicet : pane doctrinæ, et sanctæ prædicationis verbo, vitæ et honestæ conversationis exemplo, et temporalis sustentationis subsidio. Ter ergo dictum est *pasce*, ad significandum quod habens curam animarum, debet subditos pascere pastu triplici, scilicet : verbi Dei, et boni exempli, et prout potest temporalis subsidii. Sed istud quod dicitur ter *pasce,* quidam mali nunc mutant in tonde, munge, et occide : quia multi hodie subditos exactionibus temporalium opprimunt, malis suasionibus et exemplis corrumpunt, et occidunt; sed de triplici pastu prædicto parum cogitant vel curant.

11. Martyrium per crucis supplicium Petro prædicitur. — Deinde postquam Petrus Dominum se amare ter respondit, et per hoc amoris sui privilegium confirmavit, mortis suæ genus ei Dominus nuntians suum martyrium sibi prædixit; in qua morte quantum Petrus eum dilexerit demonstravit aperte, quia prælati Ecclesiæ tantam debent caritatem habere, ut parati sint se morti pro grege exponere. Unde ait Christus, loquens Petro parabolice *Amen, amen dico tibi : Cum esses junior* non tam ætate, quam sensus et virtutis imbecillitate qua negasti me, *cingebas te,* et ad libitum tuum properabas, *et ambulabas ubi*, secundum appetitum tuum, *volebas*; *cum autem senueris,* non tam ætate, quam sensus et virtutis stabilitate, sicut jam tua demonstrasti confessione, *extendes manus tuas,* scilicet ad crucem, id est crucifigeris, ubi promptitudo ejus ad martyrium tolerandum designatur, et genus mortis; *et alius,* scilicet tortor, *te cinget*, et ligabit vinculis, fuit enim ligatus chordis, et sic in cruce positus, non clavis affixus, ut viveret diutius, et longior esset ipsius cruciatus; *et ducet* te, id est viriliter trahet, *quo tu non vis* ire naturaliter, secundum appetitum sensitivum, scilicet ad mortem, quam refugit sensualitas et voluntas naturalis; voluntate tamen deliberata et electiva, qua cupiebat esse cum Christo in vita æterna, et secundum appetitum intellectivum etiam senex voluit ad mortem duci et crucifigi, sequens Magistrum suum, qui ait : Non mea voluntas, sed tua fiat; sed si fieri posset, vitam æternam præter mortis molestiam concupisceret. Est enim in homine duplex appetitus, scilicet sensitivus et intellectivus; et uterque aliquando et large loquendo voluntas nominatur, quia solus appetitus intellectivus proprie voluntas dicitur. Licet ergo appetitus intellectivus in Petro esset promptus ad martyrium; tamen appetitus sensitivus refugiebat, quia mors est ultimum terribilium. Et eodem modo in Christo fuit, ut visum est supra, ubi ad Patrem oravit. Nam inter animam et corpus est adeo naturalis amor, quod numquam vellet anima a corpore separari, nec e converso; et ideo dicit : *Quo tu non vis*, scilicet, secundum naturæ instinctum, qui sic est naturalis, ut nec ipsa senectus eum Petro auferre potuerit; sed desiderium gratiæ hoc immittit, unde dicit

Apostolus : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Unde *Chrysostomus* : « Dicit ergo, quo non vis, propter naturalem compassionem animæ, quæ invita separatur a corpore, Deo hoc utiliter dispensante, ut non multi sibi mortem inferant violentam : » hæc *Chrysostomus.* Sed, secundum *Augustinum*, quantacumque sit molestia carnis, debet eam vincere vis amoris, quo amatur Christus, qui etiam mori voluit pro nobis ; quia si nulla esset, vel parva mortis molestia, non esset tam magna martyrii gloria. Unde et *Gregorius* : « Neque enim si plenissime Petrus nollet, pro Christo pati potuisset ; sed martyrium quod per infirmitatem carnis noluit, per virtutem spiritus amavit. Qui, dum per carnem ad pœnas ire trepidat, per spiritum ad gloriam exsultat ; actumque est ut cruciatum martyrii nolendo voluisset. Sic nos quoque cum gaudium quærimus salutis, amarum poculum sumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo displicet, sed restituenda per amaritudinem salus placet. » Cum ergo cognovit Dominus quod diligeretur a Petro, prædixit illi fructum dilectionis, scilicet coronam martyrii, quo agnos et oves pascere, et Ecclesiam multiplicare, et se caput sequi deberet. Unde *Glossa* : « Passurum prædicit, qui negaturum prædixerat ; hoc jam poterit, scilicet pati pro Christo, ratione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Jam non metuit hujus vitæ interitum, quia, resurgente Domino, vitæ alterius præcessit exemplum. » Unde et *Chrysostomus* : « Et nimirum hoc volebat et cupiebat, idcirco ei manifestum hoc fecit, quia enim dixit : Animam meam ponam pro te ; et : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, dedit ei quod desiderabat. Quia enim Petrus semper volebat esse in eis, quæ pro eo erant, periculis : Confide, ait, ita enim tuum implebo desiderium, ut quæ non passus es juvenis existens, hoc te oporteat pati senem factum : » hæc *Chrysostomus.* Hoc autem quod ait : *Alius te cinget, et ducet te,* debet præcedere hoc quod dicit : *Extendes manus tuas* ; nam in alterius cinctione exprimitur impositio vinculorum a persecutore. Unde *Augustinus* : « Extendes, inquit, manus tuas, hoc est crucifigeris, ad hoc autem ut venias, alius te cinget, et ducet te ; non enim crucifixus, sed crucifigendus quo nollet est ductus : » hæc *Augustinus.* Et bene dicit : Cum senueris ; nam post tempus, quo verba ista dicta sunt, usque ad tempus mortis Petri, fluxerunt vere triginta septem anni : unde patet, quod satis senex erat. In hoc autem quod Petrus cum senuisset, et prope terminum vitæ jam esset, passus est molestiam crucis, mystice significatum est, quod post peccati remissionem toto tempore vitæ suæ debet homo pro peccato suo dolere, et usque ad terminum vitæ miseriam sustinere. Unde *Glossa* : « Etiam remissis peccatis, tolerat homo miseriam, in quam ex peccato venit ; productior est pœna quam culpa, ne parva videretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. » In Petro typus est secularium et religiosorum : secularis enim quo vult vadit, dominus suæ voluntatis ; sed religiosus superioris ligamine cinctus, gravitate religionis senior, et professione maturior, præcepto majoris frequenter ducitur quo non vult, nisi propter obedientiæ fructum. *Hoc autem dixit* Jesus Petro, *significans qua morte,* crucis scilicet moriturus esset, et *clarificaturus Deum esset* : martyrium enim Petri fuit ordinatum ad gloriam Dei : quia sicut ne cingeretur vinculis cum Domino, Christum obscuravit in cordibus audientium per negationem ; ita extendendo manus in simili cruce sicut Christus, glorificavit Christum per exemplum constantiæ in veritatis confessione, in auribus crucifigentium tortorum. Quamvis enim Christus non clarificetur in se a malis et infidelibus, tamen clarificatur quotidie per exemplum patientiæ a sanctis et bonis fidelibus. Mors ergo Sanctorum est ad gloriam Christi, quia ex hoc ostenditur magnitudo Domini, quod pro ejus veritate et fide Sancti exponunt se morti. Cum enim vis amoris gra-

ves vincat molestias mortis, profecto Martyres morte sua Deum clarificant, ostendentes ea, quantum colendus et amandus sit Et nota quod Christus in directum crucifixus est; Petrus vero ob reverentiam Domini in contrarium, scilicet deorsum; sed Andræas in transversum.

12 Quo sensu Petrus secutus est Dominum? — *Et cum hoc dixisset* Jesus Petro, nuntians ei mortem et Passionem, ne dura et intolerabilis Petro videretur passio, hanc suo exemplo pius Magister lenire curavit, et ad genus mortis exemplo sui eum invitans, *dicit ei : Sequere me*, id est imitare me; sequi enim Dominum, imitari est Ac si diceret : Tanto tolerabilius crucis passionem sustinebis, quanto in ejus sufferentia, mea te sequi vestigia recordaberis; ut sicut ego pro tua salute crucis patibulum sustinere non distuli, ita quoque tu pro confessione nominis mei te pati debere memento, quia eo gloriosiorem palmam martyrii consequeris, quo ad hanc promerendam arctius Magistri iter sequeris. Quia enim Petrus prius singulariter ad hanc se exhibuerat sequelam, dicens : Quare non possum te sequi, animam meam pro te ponam; ideo singulariter ab eo exigit Dominus promissum, dicens : *Sequere me,* scilicet in genere mortis. Si me, inquit, diligis, *sequere me*, veni post me; et sicut ego pro te, ita et tu moriaris pro me; sicut ego, tu crucem ascende, tu eamdem quam ego mortem patere. Unde non dixit ei soli, sed signanter præ aliis, quia ipse præ omnibus debebat animam pro grege ponere et ovibus. Hoc autem dicendo, Dominus surrexit, et a loco convivii abire cœpit. Et sic per illam sequelam corporalem, idem significabat, quod prius Petro per verba expresserat; sicut enim in Veteri Testamento Prophetæ significabant aliqua verbis, et aliqua factis, similiter Christus faciens, postquam verbo prædixerat Petro suum martyrium, dicens : *Extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet te, quo tu non vis*; incepit ire, et tunc *dicit ei : Sequere me,* scilicet in hoc quod prædixi tibi.

13 De morte Joannis interrogatio. — *Conversus Petrus*, retrahendo oculos ab aspectu Domini, *vidit illum discipulum. quem diligebat Jesus* ipsum etiam *sequentem*; quia sicut et Petrus cœperat ire post Christum, et volens certificari de morte Joannis, ex amore quo eum diligebat, de eo Dominum quæsivit, *et dixit : Domine, hic autem quid,* scilicet patietur? Quasi diceret : Ecce ego sequor te in passione, hic autem quem ut me diligo, numquid morietur sicut et ego? Postquam Petrus audierat se crucifigendum, voluit etiam agnoscere fratris exitum. Diligebat enim Petrus Joannem speciali dilectione, et ideo volebat eum in martyrio socium habere. Unde dicit *Chrysostomus*, quod valde diligebat Petrus Joannem, et audiens tam magni amoris indicia a Domino, quod videlicet simili genere mortis secuturus esset Dominum, quo Dominus præcesserat Petrum, cupiebat tam magnorum munerum habere socium. De hoc autem quod Petrus interrogavit, etiam Joannes interrogasset; sed non audebat. Diligebat autem, ut hic dicitur, Jesus Joannem, non quidem singulariter solum, sed præ ceteris familiarius, et specialia signa dilectionis ei ostendendo præ ceteris; et hoc signum inter cetera, ut per pacem exiret de vita, non per certamen passionis. Diligebat primo quippe, propter munditiam puritatis, quia virgo est electus a Deo, et virgo permansit; secundo, propter sublimitatem suæ sapientiæ, quia ceteris altius arcana divinitatis vidit; tertio, propter fervorem sui affectus ad Christum, qui diligentes se diligit. Et respondens *Jesus* Petro, *dicit ei : Sic eum volo manere*, id est exspectare, scilicet absque passione martyrii, *donec* Ecclesia sua pace firmita, *veniam*, scilicet ad eum vocandum, et per placidam mortem de hoc mundo ad gloriam cœlestem assumendum. Quasi dicat : Nolo eum mori per martyrium, et me sequi per viam passionis; sed magis volo eum occupari in quiete contemplationis, donec, me vocante, de hac vita in aliam transferatur suaviter et jucunde. Habetur

enim in Legenda ejus, quod Christus apparuit sibi circa finem vitæ suæ cum discipulis suis, vocans eum ad gloriam, et ad epulandum cum illis. Subdit ergo : *Quid ad te*, scilicet investigare de ipso? Quia ad Petrum non pertinebat scire quod Deus ordinabat in futurum de Joanne; sed tantum pertinebat ad ipsum verbo Christi prompte et humiliter obedire. Et ideo sequitur : *Tu me sequere*, scilicet crucis passione. Unde *Chrysostomus* : « Sic eum volo manere, inquit, quid ad te? Per hoc erudiens nos non anxiari, neque multum investigare, neque ultra ea quæ placent ei quærere, et nihil ultra quam oportet circumscrutari. Hoc autem faciebat ab intemporanea compassione, quæ ad se invicem erat dividens eos. Quia enim debebant orbis terrarum procurationem accipere, non oportebat eos ad se invicem de reliquo esse complexos; profecto enim magnum huic orbi terrarum factum esset damnum. Propterea ait : Opus commissum est tibi, id attende et perfice, et exerce, et certa; hunc vero si voluero manere hic, quid ad te? Tu ea quæ tui ipsius sunt attende, et de his sollicitus esto : » hæc *Chrysostomus*. Subjungit autem : *Exiit ergo sermo iste inter fratres*, id est discipulos, qui erant uniti fraterna caritate, et divulgatum est in publicum per narrationem unius ad alterum, *quia discipulus ille non moritur*. Hunc intellectum conceperunt ex verbis Christi, et in isto intellectu sermo ille recitabatur, quod Joannes non esset moriturus; sed donec Christus ad judicium veniret victurus. Sed non erat hoc magnum donum, si datum esset discipulo, cum melius sit dissolvi, et esse cum Christo. Ille tamen intellectus fuit erroneus, quia Joannes secundum veritatem est mortuus. Et ideo statim excluditur, cum subditur : *Et non dixit ei*, Petro scilicet, *Jesus : Non moritur*, quia sententia mortis in omnes in originali peccato natos prolata est; *sed* dixit : *Sic eum volo manere*, a dolore persecutionis alienum *donec veniam* vocando eum in morte, per resolutionem naturalem ad cœlum, *quid ad te?* Hoc remissive legendum est, quia non quærit, sed solum recitat hoc quod ante dixit; habebat autem Joannes nonaginta novem annos cum moreretur, et sexaginta octo annis Evangelium prædicavit.

14 Vita duplex per sortem Joannis et Petri significata. — *Hic est discipulus ille*, scilicet Joannes, de quo Salvator jam locutus est, *qui testimonium perhibet de his*, quæ vidit et audivit, propter quod ejus testimonium est efficax et verum; *et scripsit hæc* tamquam testis verax, testimonium perhibens de eis. Modus erat antiquorum, quod illi scriberent historiam, qui vidissent; propter quod dicitur historia ab ἱστορεῖν quod est videre, quia qui videt quod fit, potest inde historiam contexere, et idcirco Joannes, qui verba Christi audivit, et facta ejus vidit, convenientissime scribere potuit. Omissa autem omni comparatione inter duos istos discipulos de dilectione, potest ad mysterium referri, et mystice accipi : nam per hos duos duplex significatur vita, scilicet activa et contemplativa. Per Petrum enim cui dictum est : *Sequere me*, labor exprimitur vitæ activæ; ad quam pertinet necessitatibus proximorum insudare; ac pro veritate et justitia, si necesse fuerit, usque ad mortem certare. Per Joannem vero suavitas designatur vitæ contemplativæ, ad quam pertinet, omnibus aliis omissis, soli Deo inhærere, de qua bene dictum est : *Sic eum volo manere donec veniam*, id est eos quos gustu meæ contemplationis inebriavero semper proficere volo, quousque me in die judicii cum æterna remuneratione apparente, de fide transeant ad speciem, et de imperfecta vitæ hujus contemplatione ad perfectam gloriæ contemplationem, Utriusque autem vitæ finis et objectum est Deus, pro quo exercetur hæc et illa; sed vita activa plus diligit quam vita contemplativa, quia magis sentit angustias præsentis vitæ, et æstuantius desiderat ab eis liberari et ad Deum ire. Contemplativam vero vitam Deus plus diligit, quia eam

magis conservat; non enim simul finitur cum vita corporis, sicut vita activa, et ideo in libro Psalmorum dicitur: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.* Unde ait Dominus de vita contemplativa: *Sic eum volo manere,* id est exspectare, *donec veniam,* vel in fine mundi, vel in morte contemplativi; sed vitæ activæ dicit: *Tu me sequere.* Contemplativa enim hic inchoata non perficitur, sed inchoata manet, et exspectat donec veniat Christus perficiendo cum venerit. sed activa vita perfecta et informata ejus passionis exemplo, interim sequitur Christum, patiendo pro eo.

15 Quo sensu hæc apparitio vocatur tertia? — Potuisti itaque attendere quam multa et quam magnifica dicta et facta sunt in hac apparitione. Et hanc apparitionem vocat Joannes tertiam, scilicet a numero dierum, sed non numero apparitionum: et sic prima apparitio fuit in prima die qua surrexit Dominus, in qua pluries se manifestavit; secunda, post dies octo, quando Thomas vidit et credidit; tertia, hac die, quando de piscibus prandium fecit, sed post quot dies ab octava Resurrectionis id fecerit, Evangelista non determinat. Potest etiam referri ad vices, quia non legitur quod multis vel pluribus discipulis simul apparuerit, nisi primo Thoma absente, et secundo eo præsente, et tertio hic ad mare; unde signanter in plurali dicit: *discipulis suis tertio manifestatus est.* Et deinceps apparuit usque ad diem Ascensionis quoties voluit, quamvis non omnia scripta sunt. Tandem Dominus, benedictione data discipulis, disparuit ab eis.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, præsta mihi misero ut pulmentarium tibi exhibeam, mandatis tuis obediendo; tu enim nostra obedientia quodammodo reficeris, quia in ea quam plurimum delectaris. Fac quoque me indignum tui convivii participem, ut te pisce asso et pro nobis passo reficiar, pro te patiendo, et te pane vero satier, nunc in tua doctrina, et tui Corporis sacramento, et tandem in æternæ societatis gaudio. Da etiam mihi, Domine, ut cum Petro merear te diligere, pro te mala perferendo, et cum Joanne a te diligi, tibi inhærendo; et in hoc semper proficere, et usque in finem perseverare. Amen.

# CAPUT LXXX

### QUOMODO DOMINUS APPARUIT UNDECIM DISCIPULIS IN GALILÆA, ET ETIAM QUINGENTIS FRATRIBUS.

Matthæi cap. XXVIII.

1 Apparitio principalis Christi in monte Galilææ. — Post hæc *undecim discipuli abierunt in Galilæam,* secundum mandatum Christi et Angeli, *in montem* et locum, *ubi* principaliter *constituerat illis Jesus,* quia ibi ordinaverat se visibilem præbere illis. Unde *Beda*: « Nimirum pergens Dominus ad Passionem, ait discipulis: *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Angelus quoque mulieribus ait: *Ecce præcedit vos in Galilæam.* Quapropter jussioni Magistri obedientia discipulorum obsequitur. » Quamvis enim supradicta apparitio ad mare Tiberiadis fuerit in Galilæa,

ubi est idem mare; non tamen illa principaliter intendebatur, cum ibi pauci scilicet septem tantum essent discipuli, sed potius ista, in qua simul omnes erant congregati. Et sciendum, quod prope montem Oliveti ex parte boreali ad unum milliare est mons, qui appellatur Galilæa : et dicunt quidam quod ille est mons prædictus ad quem discipuli undecim abierunt, non quia mons sit in Galilæa, cum sit in Judæa, sed quia mons iste appellatur Galilæa; alii, quod magis videtur, dicunt hoc fuisse in monte Thabor, in quo Dominus transfiguratus fuit, qui vere in Galilæa consistit. Ibi enim paucis, scilicet tribus discipulis ostenderat gloriam suæ futuræ Resurrectionis; et ideo ibi Resurrectionem suam completam manifestare voluit omnibus suis discipulis. Unde probabiliter creditur quod ibi etiam fuerunt quingenti fratres præter prædictos undecim discipulos, et quod illa fuit manifestatio, de qua ad Corinthios scribit Apostolus dicens : *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul*; hic tamen non exprimuntur nisi undecim Apostoli, quia erant principales discipuli Christi. Unde *Eusebius* : « Duo enim Evangelistæ, scilicet Lucas et Joannes solis undecim hunc scribunt apparuisse in Jerusalem; ceteri vero in Galilæam properare : non solum undecim, sed universis discipulis, et fratribus dixerunt Angelum et Salvatorem vidisse, de quibus et Paulus meminit dicens : *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul* : » hæc *Eusebius*. Quomodo autem tot fratres erant ibi, cum aperte dicatur in Actibus, quod omnes discipuli erant in Jerusalem in cœnaculo congregati, et non erant nisi centum viginti? Potest dici quod omnes credentes de Jerusalem cum Apostolis non erant nisi centum viginti; multi autem erant credentes de aliis civitatibus et locis, quibus simul apparere voluit, ad ipsorum consolationem, sicut et aliis. Et ibi scilicet in monte apparuit eis Dominus, quia illi eum quandoque videre merebuntur in altitudine cœlorum, qui nunc celsitudinem perfectionis ascendentes in ima calcant desideria terrenorum. Unde ait *Rabanus* : « In monte quidem apparuit eis Dominus : ut significaret quoniam corpus quod de communi generis humani terra nascendo suscepit, jam super omnia terrena resurgendo sublevaverat; et ut admoneret fideles, si illic celsitudinem Resurrectionis ejus cupiunt videre, hic ab infimis voluptatibus ad superna studeant desideria transire : » hæc *Rabanus*.

2 Potestas data Christo ut homini. — *Et* Discipuli Dominum *videntes* vivum, *adoraverunt eum*, in adventu suo, adoratione latriæ, et ante eum humiliaverunt se credentes Dominum Deum, et hominem immortalem resurrexisse; *quidam autem dubitaverunt*, propter rei novitatem, quorum dubitatio nostram auget fidem, ex quo patet quod ibi erant alii quam Apostoli, qui omnes erant certificati, etiam Thomas, qui inter eos fuit magis incredulus. Dubitatio quidem discipulorum, nostræ fidei fuit confirmatio : quippe quo amplius dubitaverunt, eo sollicitius inquisierunt, et quo verius probaverunt, eo firmius crediderunt; et non solum fidem nostram sic corroboraverunt, sed etiam hæreticorum vesaniam destruxerunt. Pius autem et clemens Dominus credentes in fide confortat, et fidem eorum roborat; ac dubios ad fidem reducit, et dubietatem eorum excludit, intimans eis ad quamtam gloriam pervenerit. Unde, ut omnem dubietatem a cordibus eorum auferret, *accedens Jesus locutus est eis*, ad certificandum eos de sua Resurrectione dubios, *dicens* : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*; quia licet Christus, quantum ad divinitatem, ab æterno haberet hanc potestatem, et in quantum homo ab instanti conceptionis haberet potestatem in cœlo et in terra; auctoritatem tamen executive non habuit ante suam Resurrectionem, sed voluit passibilitati esse subjectus, propter nostram redemptionem. Hoc ergo loquitur a parte humanitatis, in qua modico quam Angeli minoratus est; non autem a parte divinitatis, in qua Patri est consors, et coæqua-

lis. Nam secundum divinitatem tantus est Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, quantus est Pater, et Filius et Spiritus Sanctus Unde *Augustinus* : « Tanta est tota Trinitas in solo Patre, vel in solo Filio, vel in solo Spiritu Sancto, quanta est simul in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto : » hæc *Augustinus.* Igitur secundum divinitatem semper simul cum Patre et Spiritu Sancto omnipotens super omnia; secundum humanitatem, omnium rerum, et inter omnia potestatem accepit, et omnia in manu ejus sunt tradita, ut homo ille qui nuper factus est de cœlo, dominetur et in terra. Habet enim potestatem in cœlo coronandi quos vult; et in terra eligendi quoscumque vult : quoniam et hic et ibi facit quod vult. Non solum ergo in terra, sed etiam in cœlo potestatem accepit, quia in humanitate exaltatus, ad dexteram Patris est collocatus, et super omnes Angelos elevatus, nomenque sibi datum est, quod est super omne nomen, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum* : non solum est super omnium hominum nomen, sed etiam super omnium Angelorum sanctissimum. Nulli enim hominum, vel Angelorum concessum est, ut natura Filius Dei dici possit, nisi illi soli, cui a Patre dictum est : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nulli quoque Sanctorum vel Angelorum datum est, ut in nomine ejus daretur salus mundo, nisi soli Domino, de quo Petrus ait : *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* In natura quippe hominis a Patre accepit, quod in natura deitatis etiam ipse donavit. Unde *Severianus* : « Filius quippe Dei Virginis Filio, Deus homini, divinitas carni contulit, quod semper ipse cum Patre possedit. »

3 Apostolos mittit ad prædicandum Gentibus et Baptismum conferendum. — Hæc autem potestas sibi data peccatores non spernit, sed omnes sine personarum acceptione colligit. Unde consequenter instituens Baptismum subjungit : *Euntes ergo* per mundum universum *docete* fidem *omnes Gentes*, id est omnia genera Gentium, sine distinctione personarum. Ex hoc patet, quod prædicatores Evangelii debent omnibus et magnis et parvis, sine acceptione, prædicare. *Euntes ergo*, quod est contra negligentes, qui ire nolunt; *docete*, quod est contra ignorantes, qui docere nesciunt, et officium assumunt; *omnes Gentes*, quod est contra personarum acceptores, qui tantummodo ad aliquos vadunt. *Baptizantes eos*, quia : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei,.... in nomine*, propter unitatem substantiæ, *Patris et Filii et Spiritus Sancti*, propter distinctionem personarum, ut quorum est una divinitas, una sit largitio Non enim ait : in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; sed *in nomine*, ut individuam Trinitatem, unum Deum esse insinuet. Ista ergo est forma Baptismi a Christo instituta; sed familiari consilio Spiritus Sancti quodammodo mutata fuit in primitiva Ecclesia, quando Apostoli baptizabant in nomine Christi, ut nomen Christi, quod tunc odiosum erat, publicaretur et magnificaretur per ambitum mundi. Et addit Dominus : *Docentes eos servare* opere et perseverantia, *omnia quæcumque mandavi*, et dixi *vobis*, scilicet : sacramenta a Christo instituta, et alia ad fidem catholicam pertinentia, ac mores circa dilectionem Dei et proximi instituentia. Præceptum quod Dominus ante Passionem suam discipulis dederat, scilicet quod solis Judæis prædicarent, et in viam Gentium non abirent, ad tempus erat certum, quia ante Christi Resurrectionem fides Christi non erat divulganda per orbem universum; et ideo post Resurrectionem præcepit eis, ut in omnes Gentes irent, et primo docerent, id est catechizarent, et in fide instruerent, deinde fidei sacramento, scilicet Baptismo intingerent, quia adulti prius debent instrui de his quæ ad fidem pertinent, quam baptizari. Et ideo catechismus debet Baptismum præcedere, et tandem post doctrinam fidei, et post Baptismum omnia quæcumque essent observanda præciperent, quia,

ut dicit Jacobus, oportet non tantum auditores esse verbi, sed etiam factores; et qui offenderit in uno, factus est omnium reus. Congruus est ordo : primo enim auditor in fide est docendus, quia nisi prius fidem anima recipiat, non est dandus Baptismus : *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo*; nec valet Baptismi mundatio, si non quantum potest bonis operibus insistat : *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua*. Igitur oportet omnia servare quæcumque mandavit ipse.

4 Caritas legem adimplet et omnia facit acceptabilia. — Cui autem hoc videtur impossibile, solum teneat et custodiat caritatem. Unde *Augustinus* : « Dilectio fortis res est, fratres. Vultis videre quam sit fortis dilectio? Quisquis propter aliquam necessitatem non potuerit implere, quod jubet Deus, amet illum qui implet, et in illo implet. » Et iterum : « Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam latissimamque doctrinam, sine ullo errore comprehendit, et sine ullo labore custodit cujus cor plenum est caritate, dicente Apostolo : *Plenitudo ergo Legis caritas*. Totam magnitudinem divinorum eloquiorum secura possidet caritas, qua Deum proximumque diligimus; docet enim cœlestis unus medicus nos, et dicit : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua; et diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ*. Si ergo non vacat omnes paginas sacras perscrutari, omnia involuta sermonum evolvere, omniaque Scripturarum secreta penetrare, tene caritatem, ubi pendent omnia. Ibi tenebis quod ibi didicisti, tenebis etiam quod non didicisti; si enim nosti caritatem, aliquid nosti, unde et illud pendet, quod forte non nosti. Et in eo quod in Scripturis intelligis, caritas patet; et in eo quod non intelligis, caritas latet. Ille itaque tenet et quod patet, et quod latet in divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus. » Et iterum : « Quanta est caritas, quæ si desit, frustra habentur cetera; si adsit, habentur omnia? » Et iterum : « Homo fide, et spe, et caritate subnixus, et eas inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Multi per hæc tria in solitudine, sine codicibus vivunt : » hæc *Augustinus*. Est etiam tantum bonum caritas, ut non tantum defectus nostros suppleat, sed etiam bona aliena nostra esse faciat. Unde *Gregorius* : « Aliorum bona opera nostra sunt; quæ si imitari non possumus, in aliis amemus, et amantium fiunt quæcumque amantur in nobis. » Unde et *Augustinus* : « Pensent invidi quantum bonum est caritas, quæ sine labore nostro aliena bona nostra facit. » Et iterum : « Si amas unitatem, etiam tibi habet, quisquis in illa aliquid habet; tolle invidiam, et tuum est quod habeo, tolle invidiam, et meum est quod habes. Livor separat, caritas jungit : » hæc *Augustinus*. Per caritatem quippe est homo in participio omnium bonorum Ecclesiæ; et ex defectu caritatis amittit homo meritum omnium bonorum Ecclesiæ, et etiam boni operis proprii. Et, ut dicit *Bernardus*, caritas est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximus acceptatur. Et breviter concludendo caritas inter virtutes tenet principatum, quia sine ipsa ad perfectionis culmen nemo conscendere valet; tunc enim homo perfectus est quando caritate plenus est.

5 Quomodo Christus semper est præsens in Ecclesia. Deinde, quia magna discipulis injunxit, erigens eorum sensus et eos confortans, ait : *Et ecce ego vobiscum sum*, protectione divinæ virtutis, cooperatione laboris et operis, ac etiam sacramentali præsentia Corporis, *omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* inclusive, cum finitis laboribus, et consummato seculo, mecum regnabitis, cujus rei pignus est præsentia meæ deitatis et gratiæ etiam in præsenti. Ex quo patet quanta merces piæ conversationis qualevæ pignus futuræ beatitudinis etiam in præsenti fideles maneat; et quod usque ad finem mundi, fides non deficiat, quantumcumque tribulationibus agitetur. Ac si dicat, ut ait *Chrysostomus* : « Non excusetis vos,

nec mihi dicatis difficultatem injunctorum negotiorum, quia ecce ego vobiscum sum qui, omnia faciam levia : » hæc *Chrysostomus*. Magna promissio, magnus et insuperabilis clypeus securitatis! *Ego*, inquit, *vobiscum sum* : in vobis pugno, vos defendo, nihil timeatis, ite securi. *Si enim Deus pro nobis quis contra nos?* Dicamus ergo : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos*, et inimicos nostros. Et specialiter prædicatoribus Evangelii promittitur assistentia Domini cum dicitur : *Et ecce ego vobiscum sum*, scilicet dirigendo sermones ad salutem audientium et meritum vestrum. « Non tantum, ait *Chrysostomus*, loquitur illis qui tunc erant, nec cum illis solum dixit se futurum esse ; sed et per ipsos loquitur omnibus futuris, qui post illos credent, cum quibus etiam semper erit. Non enim usque ad consummationem seculi, Apostoli permansuri erant, sed sicut uni corpori loquitur fidelibus, quibus conjungitur ut caput membris : » hæc *Chrysostomus*. Quamvis enim Dominus, quoad præsentiam corporalem abscessurus esset a discipulis, tamen per præsentiam divinitatis, et spiritualem influxum suorum donorum et suæ gratiæ, præsens semper manet, et manebit cum fidelibus usque ad finem seculi. Sapiens enim et fidelis nauta, navem non dimittit, donec fuerit ad portum applicata ; Ecclesia vero est navis, et Christus est nauta regens ipsam, quia eam non dimisit, nec dimittet, donec ad portum paradisi perveniat. Hæc Ecclesia in Apocalypsi de cœlo descendere dicitur, quia, secundum *Augustinum*, cœlestis est gratia, qua Deus eam facit. Ubi *Rabanus* : « Ex hoc autem intelligitur, quod usque ad finem seculi non sunt defuturi in mundo, homines qui divina mansione et inhabitatione sunt digni. » Quod autem dicit : usque ad consummationem seculi, secundum *Bedam*, finitum pro infinito ponitur. Nam qui in præsenti seculo manet cum electis, eos protegendo, et per occultos instinctus Spiritus Sancti dirigendo; ipse cum eis post finem seculi manebit, eos remunerando, et sine fine sua præsentia satiando. Unde et *Leo* Papa : « Qui enim ascendit in cœlos, non deserit adoptatos, et ipse deorsum confortat ad patientiam, qui sursum invitat ad gloriam. » Manebit etiam cum fidelibus in præsenti seculo, non solum virtualiter, sed etiam per præsentiam corporalem in Eucharistiæ sacramento, ubi est Christus totus ; et post finem videbunt eum facie ad faciem luce clarius. « Rememorat autem eis, ut ait *Chrysostomus*, et consummationem seculi, ut eos magis attrahat, et ne præsentia singulariter inspiciant solum, quæ simul cum præsenti vita dissolvuntur ; sed et futura bona, et sine fine mansura. Quasi diceret : Tristia, quæ sustinebitis, simul cum præsenti vita dissolventur, cum et totum seculum in consummationem deveniat; bona autem quibus potiemini sunt in æternum mansura : » hæc *Chrysostomus*.

6 Jucunditas Apostolorum. — Considera nunc bene discipulos, et ea quæ modo sunt eis dicta, quia sunt valde magnifica. Stant in magna jucunditate cum Domino : manifestat eis qualiter est Dominus omnium, dat eis mandatum de prædicando, et dat formam Baptismi, dat et vigorem permaximum, dum dicit quod semper cum eis erit. Et stans benignus familiariter inter eos, prædicans et loquens de regno Dei magna eos jucunditate replevit, et lætitia inenarrabili. Vides quantam consolationem dat eis, et quod ostendit insignia caritatis. Apparet autem quod isti Dominum cum desiderio et sollicitudine exspectare curaverunt ; et ideo læti eum aspicere meruerunt. Sic et nos contingere sentiremus, si in exspectando Dominum et adventum ejus, fervidi et solliciti essemus. Per istos, quibus Dominus in prædicto monte Thabor apparuit, contemplativi designantur, quia in hoc monte transfiguratus dicitur, et talibus ipse frequenter apparere dignatur. Deinde Dominus ab eis discessit, et more solito ad sanctos Patres in limbo rediit ; discipuli vero cum magno gaudio remanserunt, et postea in Jerusalem reversi sunt.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui corda discipulorum, de morte tua dolentium, tuæ exhibitione præsentiæ gaudio incredibili, in monte eis apparens, perfudisti, da mihi misero, ut nunc celsitudinem perfectionis ascendens, in ima studeam desideria terrenorum calcare, et ab infimis voluptatibus ad superna desideria transire; quatenus te merear quandoque in altitudine cœlorum videre. Fac etiam, Domine, me omnia quæ mandasti servare ; et mane nobiscum in hoc seculo protegendo et dirigendo, et post finem seculi remunerando, et sine fine tua præsentia satiando. Amen.

# CAPUT LXXXI.

### EPILOGUS APPARITIONUM DOMINI POST RESURRECTIONEM.

1 Numerus apparitionum Christi et argumenta quibus suam Resurrectionem comprobavit. — Habes igitur duodecim apparitiones, post Domini Resurrectionem usque ad Ascensionem, absque duabus cum Ascensione proximo dicendis ; et sic apparitiones quatuordecim fuerunt; de quibus tantum decem in Evangelio scriptæ sunt. Potes etiam meditari de pluribus : nam verisimile est, quod benignus Dominus sæpe Matrem suam et discipulos, et Magdalenam dilectam discipulam visitavit, confortans et exhilarans eos, qui sic vehementer de sua Passione conterriti et contristati fuerant. Quod etiam beatus *Augustinus*, sentire videtur loquens de tempore post Domini Resurrectionem. « Non omnia, inquit, scripta sunt; crebra enim erat ejus cum illis conversatio, priusquam ascendisset in cœlum. » Et forte ipsi sancti Patres, maxime Abraham, et David, ad quos specialis facta fuit promissio Filii Dei, veniebant cum eo, ad videndum illam excellentissimam filiam suam, Matrem Domini, quæ pro eis et pro omnibus gratiam invenit, et Redemptorem genuit. O quam libenter eam conspiciebant, et quam reverenter se eidem inclinabant, et omni qua poterant benedictione complebant, quamvis ipsi non viderentur ab illis, qui corporaliter ibi erant ! Potes etiam hic considerare benignitatem, caritatem et humilitatem Domini, quæ, more solito, in omnibus factis ejus relucent ; quod etiam postquam gloriose vicerat et resurrexerat peregrinari adhuc per dies quadraginta voluit, ut suos discipulos confirmaret et roboraret. Digne namque post tot annorum curricula, post tot labores et afflictiones, post tam crudelem, ignominiosam et acerbam mortem poterat triumphator ad suam gloriam remeare, et Apostolos per suos Angelos confortare, et pro suo nutu confirmare ; sed hoc non patiebatur caritas sua. Personaliter voluit conversari cum eis, et veritatem Resurrectionis multis comprobavit argumentis, id est sensibilibus et evidentissimis signis, multa in corpore proprio ostendens præter naturam corporis immortalis, ut sic veritatem Resurrectionis astrueret, et ab Apostolis eorumque posteris omnem omnino causam hæsitationis amoveret. In corpore enim proprio cicatrices ostendit, cum tamen a natura corporis immortalis penitus aliena sit omnis deformitas cicatricis; comedit cum eis et bibit, cum tamen corpus spirituale ciborum alimonia minime

indigeret. Sed sciendum est, cibos a Domino ante mortem sumptos in ejus alimoniam cessisse, quia illos in se convertit; post Resurrectionem vero sumptos, nullam ei alimoniam præbuisse, quia illos in se non convertit, cum haberet corpus glorificatum et incorruptibile, sed mox spirituali ejus virtute absumptos, sicut absumitur aqua missa in ignem. Aliter quipe absorbet aquam terra sitiens, aliter exsiccat radius solis calens : illa absorbet et in se trahit, indigentia ; iste exsiccat et consumit, potentia. Manducavit ergo Dominus post Resurrectionem potestate, non necessitate, ut eo modo Resurrectionem et vitam veram, non imaginariam ostenderet; si enim nos ostenderetur veritas Resurrectionis, perditus esset fructus Passionis. Unde *Augustinus* : « Et de Salvatore quidem fides Christiana non ambigit, quin post Resurrectionem in carne spirituali, sed tamen vera, cibum et potum cum discipulis sumpserit, non alimentorum indigentia, sed ea qua, et hoc poterat potestate. Non enim edendi et bibendi talibus corporibus aufertur potestas, sed egestas, quoniam certo et inviolabili munere immortalitatis induuntur ; ut non nisi velint possibilitate, non necessitate vescantur : » hæc *Augustinus*. Præter hæc argumenta Lucas scribens historiam Actuum Apostolorum, ponit et alia. Fuit enim argumentum veræ Resurrectionis, quod per dies quadraginta multiformiter apparuit discipulis Christus : *Quibus*, id est Apostolis, *et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei*. Non est intelligendum, quod singulis quadraginta diebus apparuit eis, exhibendo se oculis videndum, et manibus palpandum, cum eis comedendo et bibendo, sicut ante consueverat, ut Resurrectionem suam pluribus modis ostenderet; sed ad demonstrandum gloriam suæ Resurrectionis, non decebat eum cum illis, ut prius, conversari continue, ne putaretur ad vitam mortalem resurrexisse. Facto ergo intervallo, apparebat discipulis, et non conversabatur continue cum eis ; ut ostenderet se resurrexisse ad immortalem vitam, ab hominibus hujus vitæ separatam.

2 Cur Ascensio Domini dilata fuit? — Non statim itaque post Resurrectionem ascendit, ut multipliciter Resurrectionem probaret, et discipulos consolando refoveret, et ut nostram informaret patientiam, quia debemus et nos æquanimiter exspectare mercedem nostram. Unde, sicut fuerunt quadraginta horæ mortis ejus, scilicet quatuor Parasceves vespertinæ, et triginta sex duarum noctium et unius diei ; ita quadraginta diebus cum eis conversatus est post Resurrectionem, quia divina consolatio excedit humanam tristitiam. Pro eis fecit hoc, et pro nobis ; sed non advertimus. Dilexit, et diligit sic vehementer et non diligitur, cum tamen ad talem et tantum ignem non solum calefieri, sed etiam ardere deberemus. Unde *Beda* : « Resurrectionem suam certam et veram, multis et variis documentis persuadere dignatus est : propter ædificandam fidem et fugandam de corde perfidiam, omnemque dubitationem de sua Resurrectione tollendam. » Unde inquit et *Bernardus* : « Christus dici potest triplex panis : subcinericius, in Incarnatione ; reversatus, in Resurrectione ; triticeus, in nudæ deitatis ostensione. Panis subcinericius est Deus-homo ; nam, quid est Deus, nisi vita et panis ? Quid est homo, nisi cinis et pulvis ? Et quid est, in una persona Deus latens, et homo patens, nisi panis subcinericius? Panis ergo subcinericius est panis sub cinere, Deus latens sub homine ; et hoc erat Christus ante Resurrectionem. Panis reversatus est e converso homo-Deus, scilicet, post suam Resurrectionem. Prius enim quasi cinis panem occultavit ; post vero quasi panis cinerem celavit, quando etenim habuit corpus glorificatum, tunc humanitas in eo quasi celata fuit. Unde ante Passionem humanitas in eo manifesta fuit, deitas latebat, et ideo tunc per miracula et prædicationem deitatem probare, et mundo ostendere oportebat ; post Resurre-

ctionem vero magis probationi humanitatis, quam divinitatis insistebat, unde tunc visu, tactu, esu, et *multis aliis argumentis* se verum hominem esse approbabat. Panis triticeus sine omni cinere est, sine furfure, sine ænigmate, sed de simila purissima : hæc est nuda deitas. Hic panis est Deus Deus. Nam devotioni non sufficit semel dicere : Deus; vox enim devota est : Deus Deus meus : hoc facit mihi Deus, et hoc addatur ut sit Deus Deus meus. Quid enim proderit mihi Deus, si non sit Deus meus : » hæc *Bernardus*.

3 NON INIQUIS NEC QUIBUSCUMQUE, SED TESTIBUS PRÆORDINATIS APPARUIT CHRISTUS. — Et sciendum, quod non iniquis hominibus, et mundi amatoribus, sed solis Apostolis aliisque fidelibus post Resurrectionem suam Salvatorem apparuisse legimus ; neque enim conveniens erat ut Christus a mortuis resurgens, factusque jam æternus et immortalis, iniquis hominibus, Deo mortuis, et a vita, quæ Christus est, separatis, se manifestaret. Ideo et ipse ante dixerat : *Adhuc modicum, et mundus*, scilicet qui modo me videt oculis carnis, *jam me non videt. Vos autem videtis me : quia ego vivo, et vos vivetis*. Unde sic dicit *Theophilus* : « De cetero non conversabatur Dominus inter plebem, quia scilicet post Resurrectionem conversatio ejus non erat digna hominibus, sed divina magis; quod etiam est forma Resurrectionis futuræ, in qua sicut Angeli conversabimur et filii Dei : » hæc *Theophilus*. Manifestavit autem se discipulis suis, et aliis fidelibus, ut vivus videretur a viventibus. Unde dicit *Augustinus*, quod quando surrexit, non est visus nisi a suis. Unde et in Actibus Apostolorum : *Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo; nobis qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis*. Fuit autem conveniens quod non omnibus, sed *testibus* tantum *præordinatis* Resurrectionem suam manifestaret; quoniam infima per media reducit in suprema, et ideo quosdam mediatores elegit, per quos universo orbi Resurrectio manifestari posset. Sic ergo Dominus per dies quadraginta multiformiter apparens discipulis, accedens loquensque cum eis : et argumentis nos illuminavit ad fidem, et promissis erexit ad spem, ut sic tandem, donis cœlitus datis, accenderet ad amorem. Et, secundum *Hieronymum*, ostendit immortalitatem mortalibus, ad gratiarum actionem debitam, ut intelligamus quid fuerimus, et sciamus quid futuri erimus.

4 APPARITIONES DOMINI MORALITER FIDELIBUS APPLICATÆ. — De mysterio autem prædictarum apparitionum, et duarum sequentium, sic dicit *Beda* : « Hæc ergo frequentia corporalis suæ manifestationis, ostendere voluit Dominus, in omni loco se bonorum desideriis præsentem esse divinitus. Apparuit namque ad monumentum lugentibus feminis; adest et nobis ejus absentiæ recordatione salubriter contristatis. Apparuit et revertentibus a monumento, ut agnita Resurrectionis gaudia prædicarent; adest et nobis, dum bona, quæ novimus, proximis fideliter annuntiare gaudemus. Apparuit in fractione panis his, qui se peregrinum esse putantes, ad hospitium vocaverunt; adest et nobis, cum peregrinis et pauperibus quæcumque possumus bona libenter impendimus; adest et nobis in fractione panis, cum sacramentum Corporis ejus, videlicet panis et vini, casta et simplici conscientia sumimus. Apparuit in abdito de sua Resurrectione loquentibus ; adest et nobis, qui modo ejus dono idem agimus; adest et nobis semper, cum ab extrinsecis operibus ad tempus vacantes, de ejus gratia locuturi convenimus. Apparuit, cum, foribus clausis, intus, Judæorum metu residerent, apparuit eum, minorato eodem metu, apertis cum gressibus in montis vertice quærerent ; affuit quondam confortaturus suo Spiritu Ecclesiam, cum ab infidelibus premeretur, et ad publicum venire, ac dilatare prohiberetur ; adest eidem et nunc, cum inclinato ad fidem culmine regali, terror quievit persecutionis, et omnis mundi subli-

mitas Apostolicis est substrata vestigiis. Apparuit piscatoribus, eosque apparens divisis adjuvit beneficiis; adest et nobis, cum necessaria vitæ temporalis recta intentione curamus, justisque nostris laboribus subsidium adjungit suæ pietatis. Apparuit recumbentibus; adest et nobis cum juxta Apostoli monita, sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid agimus, omnia in gloriam Dei facimus. Apparuit primo in Judæa, deinde in Galilæa, post hæc in Judæa rursum, die quo ascendit in cœlum; aderat Ecclesiæ cum primo solius Judæ terminis clauderetur; adest modo, cum Judæis ob culpam perfidiæ derelictis, transmigravit ad Gentes; et aderit in futuro, cum ante finem seculi revertetur ad Judæam, et sicut Apostolus ait, intrante Gentium plenitudine, sic omnis Israel salvus erit. Novissime illis apparuit ascendens in cœlum; aderit et nobis ut eum post mortem ad cœlos sequi mereamur, si ante mortem eum in Bethaniam unde ascendit, id est in *domum obedientiæ* sequi curamus. Ipse etenim cœlum ascensurus Bethaniam venit, quia sicut Apostolus ait : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen;* venimus ibidem et nos, si quod ille monet agimus, quod promisit intendimus. *Esto fidelis,* ait, *usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Fit quoque ipsius gratia largiente, ut qui nobiscum usque ad vitæ hujus terminum manet, post hanc nos vitam ad videnda secum cœlestis vitæ præmia sublevet : » hæc *Beda.*

5 Quinquagesimæ pascalis gaudium et devotio. — Sicut ergo quadragesimam, sic et quinquagesimam Christus nobis sacravit, et nos utraque solemnitate mystice instituit; de quibus simul *Beda* sic ait : « Utramque sane hanc solemnitatem, hoc est quadragesimæ et quinquagesimæ, non quorumlibet hominum, sed ipsius Domini ac Salvatoris nostri prima nobis sanxit auctoritas. Quadragesimæ videlicet in eo, quod diebus ac noctibus quadraginta jejunavit, in deserto; victaque versutia tentatoris, ministeriis fruebatur angelicis, ubi suo nos informaret exemplo : quia per macerationem carnis adversarii spiritualis machinas evitare, et ad Angelorum debeamus consortium pervenire. Porro quinquagesimæ nobis gaudia in eo servanda monstravit, quod post Resurrectionem seipsum discipulis vivum, in multis argumentis, per dies quadraginta præbuit, et illos suæ frequentia visitationis lætabundum hoc tempus habere fecit, ac festivum. In quo, non solum futuri seculi gaudia, quæ cum illo sumus habituri præsignavit, verum et ineffabilem circa nos suæ pietatis affectum ostendit, qui deposita jam infirmitate corporis, et per Resurrectionis virtutem in cœlestem gloriam commutata, dignatur tamen adhuc discipulorum interesse convivio : ut socios eos habere possit in cœlo, et præcepta quibus ad regnum Dei perveniant vivacius ipsa familiaritate commendet, atque sic memoria illius temporis roboret, de quo eis ante Passionem suam promittendo prædixerat : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*; sed et in cœlum ascendens nequaquam eis priscæ suæ præsentiæ dulcedinem abstulit, quin camdem potius, promisso Spiritus Sancti charismate, cumulavit. Denique mox *ipsi,* scilicet discipuli *adorantes regressi sunt in Jerusalem, cum gaudio magno*; *et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum*; hoc quoque nobis gaudio, ac laude et benedictione cœlesti, qua Spiritus Sancti præstolabantur adventum, usque ad diem quinquagesimum, quem Græci Pentecosten appellant, solemnitatis hujus lætitiam docuerunt esse protelandam. Merito igitur sacrosanctis his diebus nos majoribus epulis atque hymnis cœlestibus vacamus : ob reverentiam Dominicæ Resurrectionis, ob memoriam Dominici convictus cum discipulis simul, et ob spem futuræ nostræ quietis, ac vitæ immortalis. Sed et genu in oratione minime flectimus; quia flexio genuum, pœ-

nitentiæ et luctus est indicium. Quod etiam omnibus diebus Dominicis observandum, propter ejusdem Resurrectionis vel Dominicæ, vel nostræ sacramenta, patres instituerunt. Recte ergo quadragenario dierum numero jejunium annue celebramus, ut per hoc spiritualius admoneamur, quia quamdiu in mundo vivimus, pro cœlestium præmiorum adeptione semper laborare debeamus Recte etiam quinquagenario dierum numero statum futuræ nostræ beatitudinis in imagine veneramur, jejunia videlicet relaxando, *alleluia* canendo, stantes orando, quæ sunt aptissima perpetuæ quietis, resurrectionis et laudis præsagia : « hæc *Beda.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, per gloriosam Resurrectionem tuam, qua discipulis et fidelibus tuis, vivus et immortalis apparuisti ; per gratissimam moram et colloquia dulcissima, quæ cum eis per quadraginta dies habuisti, in quibus multis argumentis apparens eis et loquens de regno Dei, eosque confortans, et cum eis convescens, ut Resurrectionem veram in te probarent et crederent, totalem dubitationem de ipsorum cordibus abstulisti : obsecro te, Jesu bone et pie, da mihi inter testes præordinatos a Deo testem fieri Resurrectionis tuæ, non lingua tantum, et verbo ; sed opere, et veritate. Amen.

# CAPUT LXXXII

## DE ASCENSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Marci cap. XVI. Lucæ cap. XXIV, et Actuum Apostolorum cap. I.

1 Ultimum Domini in cœlum ascensuri convivium. — Circa Ascensionem Domini te vigilem esse oportet ; nam hæc solemnitas valde solemnis est, ut infra patebit. Et saltem hoc ad attentionem te animet amplius, quod nunc Dominus completo suæ peregrinationis cursu, est præsentia corporali recessurus, unde ipsius verba et facta sunt attentius consideranda. Quælibet enim anima fidelis debet sponsum suum, Dominum Deum suum, in ejus discessu diligentissime et vigilantissime observare ; et quæ per ipsum dicuntur et fiunt, viscerosius mente amplecti ; ac eidem se devotius et humilius recommendare ; et totaliter animum suum ab aliis abstrahere. Quadragesimo autem die a Resurrectione voluit Dominus ascendere, ut demonstraret eos qui decalogum Legis, per quatuor Evangelia impleverint, posse cœlum scandere. Tunc itaque bene *sciens* Dominus *Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos*, nunc vero usque *in finem dilexit eos.* Accipiens igitur de paradiso terrestri sanctos Patres, et omnes illas sanctas et benedictas animas, ac benedicens Eliæ et Henoch ibi remanentibus, et adhuc viventibus ; venit ad undecim discipulos suos, qui erant in monte Sion, cum Matre ipsius et aliis. Omnes siquidem tam Apostoli quam alii discipuli, nec non et mulieres, habitabant in monte Sion ; sed in cœnaculo, in quo Dominus cœnaverat, habitabant tunc Maria cum undecim Apostolis, ceteri vero discipuli et mulieres circumquaque per diversa hospitia erant divisi. *Novissime* ergo, *recumbentibus* seu comedentibus *illis undecim* Apostolis, in illo cœnaculo cum Beata Virgine, et forte aliis, sed digniores

sunt tantum hic expressi, *apparuit* Dominus; et comedit cum eis benignus Magister ante discessum suum, in signum et memoriale specialis dilectionis et gaudii. Quia enim Apostoli non erant eum amplius in carne visuri, ideo antequam recederet, manducavit cum eis, quemadmodum amici cum ad invicem separari debent, simul manducant et bibunt. Omnibus igitur hora tertia comedentibus, cum magna lætitia in hoc ultimo Domini sui convivio, ut omnes testes essent, et narrarent quæ communiter viderunt et audierunt, sciens Dominus Jesus tempus esse ut reverteretur ad eum qui misit ipsum, increpavit eos, *et exprobravit* illis *incredulitatem eorum,* quam prius habuerunt, ut succederet credulitas; *et duritiam cordis* lapidei, ut succederet in eis cor carneum, caritate plenum : *quia his qui viderant eum resurrexisse* a mortuis, *non crediderunt*, nisi et ipsi eum viderent, cum utique post Resurrectionem suam Evangelium prædicantibus Gentes crediture erant eum resurrexisse, quem non viderant. Ergo inexcusabilis es, si testimonio videntis rem de qua testatur, non credideris. Exprobratio, est objectio ex probro : quia probrum fuit, quod tantis visis argumentis Resurrectionis, et tantis auditis signis per testes propositis, non crediderunt. Quamvis enim Petrus et Maria Magdalena, et duo illi discipuli quibus in via Dominus apparuerat, certissime firmissimeque nuntiarent aliis Dominum resurrexisse, seque illum vidisse, ceteri tamen illis non credebant. Hanc autem exprobrationem maxime tunc Dominus fecit, cum ad prædicandum per universum mundum discipuli ire debebant, quasi daret eis intelligere, et diceret : Multo magis debebatis vos nuntiantibus Resurrectionem, eam credere antequam me videretis, quam Gentes, quæ credent vobis prædicantibus Evangelium, et me non videbunt. Post illam quippe exprobationem, dixit eis, ut irent in mundum ad prædicandum. Idcirco etiam tunc eos increpavit, cum corporaliter reliquit, ut defectum suum cognoscentes remanerent humiliores, ostendens eis in suo discessu, sicut fecerat et in adventu, quantum ei humilitas placet, quasi eam peculiariter eisdem recommendaret, ut verba quæ recedens dicebat, in corde audientium arctius impressa remanerent.

2 Apostoli mittuntur prædicatum omni creaturæ. — *Et* post increpationem istam Dominus admonendo *dixit eis : Euntes*, et continuis profectibus in prædicando proficientes, *in mundum universum,* non in Judæam tantum, *prædicate Evangelium,* quod omnem aliam doctrinam præcellit, sicut caput corpori præeminet : quia, secundum *Innocentium* Papam, Evangelium est verbum Verbi, quod *erat in principio apud Deum* ; sermo sermonis, qui a *regalibus sedibus venit;* sapientia sapientiæ, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter... Prædicate,* inquit, *Evangelium,* nihil aliud, *omni creaturæ,* id est humano generi : seu indifferenter et sine acceptione omni homini, pro quo facta est omnis creatura; vel ideo quod habet participium, et convenientiam, seu aliquid commune, cum omni creatura, unde et homo *microcosmus,* id est minor mundus dicitur, quasi omnem creaturam continens. Per esse enim, convenit cum inanimatis ; per vivere, cum vegetabilibus et plantis ; per sentire, cum animalibus; per intelligere, cum Angelis, ideo designatur nomine omnis creaturæ. Item, homo dicitur omnis creatura, quia propter eum omnis creatura mundi videtur esse producta, sumus enim quodammodo finis omnium. Vel, omni creaturæ, cui prædicandum est; et multa in Scripturis inveniuntur, quibus hæc una determinatio sufficere potest : quale est illud : *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* scilicet omnia trahenda ; et illud : *Caritas omnia credit,* scilicet, credenda; ita dicitur et alibi : *Ut sit Deus omnia in omnibus*, id est unicuique sufficientia ; et illud : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis,* omnia scilicet ad salutem et beatitudinem pertinentia ; et sic in aliis suo modo ac-

cipere poteris. Hoc autem quod de Evangelio prædicando dicitur, fiendum erat post receptionem et confirmationem Spiritus Sancti, quoniam ante non erant, secundum mandatum Christi, ab Jerusalem discessuri. In hoc etiam quod de Evangelio omnibus prædicando mandatur, Judæorum abjectio, et Gentium electio apertissime monstraretur. Qui ergo prius dixerat : *In viam Gentium ne abieritis*, nunc dicit : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, id est omni nationi : primo Judæo, secundo Gentili : quia *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

3 Nulla salus sine fide, quæ tamen in opere ostendi debet. — Deinde salutem promittendo credentibus, et damnationem comminando incredulis, subjunxit : *Qui crediderit*, fide formata et per dilectionem operante, scilicet per se, ut in adultis, vel per alium, ut in parvulis ; *et baptizatus fuerit*, Baptismo aquæ, si fieri poterit, *salvus erit*, æterna salute a peccatis et pœnis liberante. Non enim sufficit fides absque Baptismo per quem aliquis incorporatur Christo, si adsit facultas recipiendi Baptismum ab aliquo. Si autem non adsit facultas, sufficit baptismus sanguinis, ut in Martyribus, qui pro Christo interficiuntur antequam sint baptizati ; vel baptismus flaminis, ut in habentibus fidem Christi, desiderantibus baptizari, sed præveniuntur morte antequam possit impleri. Per alios ergo parvuli credunt in Ecclesia, sicut ex aliis trahunt peccata, quæ illis in Baptismo remittuntur confessione aliena. Pium est enim, ut id quod per alienum peccatum amiserunt, per alienum auxilium, ut Ecclesiæ et patrinorum, in quibus credere dicuntur, recuperare et recipere possint. *Qui vero non crediderit*, per se, vel per alium, *condemnabitur*, æterna damnatione, per meritum justitiæ infidelitatis suæ. Non ait : qui baptizatus non fuerit, quia per fidem sine Baptismo, salvatur homo, cum eum excludit articulus necessitatis, non contemptus religionis. Unde quod dictum est Nicodemo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, sic debet intelligi : qui contempserit renasci. Noli autem præsumere de fide, nisi ostendas eam in opere, quia sine hoc non poterit te salvare. *Fides* enim *sine operibus mortua est*, sicut et opera sine fide. Unde *Gregorius* : « Fortasse autem unusquisque, apud semetipsum dicat : Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus teneat. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit ; et ille salubriter credit, qui exercet operando quod credit. » Unde et Jacobus : *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habebat? Numquid poterit fides salvare eum?... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.*

4 Signa prædicantibus et credentibus promissa. — Deinde etiam signa pro fidei augmentatione et confirmatione promittendo adjungit : *Signa autem eos qui crediderent, hæc sequentur*, propter meritum fidei, suo tempore, et cum id fuerit necessarium. *In nomine meo*, invocato et honorato, id est in virtute nominis mei, *dæmonia ejicient*, quod de multis legimus, quibus immundi spiritus obediebant ; *linguis loquentur novis*, hoc factum est in die Pentecostes in Apostolis, et aliis credentibus ; *serpentes tollent*, id est auferent vel dispergent, quod de Apostolo Paulo patet ; *et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, quod de Joanne Evangelista factum fuit ; *super ægros manus imponent, et bene habebunt*, quod etiam multi fideles fecerunt. Omnia enim hæc in primitiva Ecclesia, non solum Apostolos et alios majores, sed etiam frequenter alios simplices credentes fecisse legimus, pro infidelibus convertendis, et ut fides credentium cresceret, ac nutriretur et firmaretur miraculis, qua nunc radicata et aucta, non sic necessarium est ea fieri, sicut passim tunc fiebant, quia sufficit ea quæ facta sunt solummodo legere et audire, ac eis fidem adhibere. Si ergo quæratur, quare prædicatores et fideles moderni talia signa non faciunt ?

Respondetur, secundum *Gregorium,* quia cum fides catholica sit sufficienter probata per miracula Christi et Apostolorum ejus, non oportet ultra hanc probationem reiterare amplius; sicut etiam arbusta cum primo plantantur, frequenter irrigantur quousque convaluisse videantur, cum autem in terra radicem fixerint, talia subtrahuntur. Verumtamen Deus in posteris temporibus etiam multa miracula fecit ad consolationem fidelium, ut patet de tempore Martyrum et Confessorum. Fiunt tamen, secundum eumdem *Gregorium,* spiritualiter nunc in Ecclesia, quæ aliquando corporaliter fiebant in ea. Nam sacerdotes populum exorcizando, baptizando, et ad pœnitentiam vocando dæmonia ejiciunt; dumque secularia verba relinquentes, fidei et novæ legis mysteria insonant, linguis novis loquuntur. Qui dum bonis suis exhortationibus vitia et malitiam de alienis cordibus auferunt, *serpentes tollunt.* Et dum hæreticorum libros legunt, vel mortifera in confessionibus seu pestiferas suasiones audiunt, sed tamen non consentiunt, et ad prava non pertrahuntur, mortiferum est quod bibunt, sed eis non nocebit. Qui quoties proximus in fide vel bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt et exemplo suæ bonæ operationis illorum vitam roborant, vel animas infirmas suis orationibus sanant, et Deo reconciliant, super ægros manus imponunt, ut bene habeant. Quæ nimirum miracula tanto majora sunt quanto spiritualiora, et quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. In hoc etiam instruimur, ut quod verbis prædicamus, bonis operibus confirmemus. Item, dæmonia ejiciunt, qui dæmonum tentationes fide et signo crucis repellunt; linguis loquuntur novis, qui Dei laudes et verba sacra narrant, dimissis frivolis et otiosis; serpentes tollunt, qui detractores efficaciter reprehendunt; mortiferum bibunt, sed eis non nocet, qui persuasiones pestiferas seu amara convitia audiunt, sed surda aure transeunt, et pro nihilo ducunt; super ægros manus imponunt et bene habebunt, qui per bona verba et opera alios a peccatis retrahunt, et in bonis confirmant. Et hæc similiter signa spiritualia tanto sunt corporalibus meliora, quantum quæ sunt animæ corporalibus præferuntur.

5 Promissio Spiritus Sancti Apostolis facta. — Deinde dixit eis : *Vos autem* specialiter *estis*, id est eritis, *testes horum*, scilicet quæ vidistis et audistis, et quæ locutus et operatus sum in medio vestri, vel horum superius descriptorum, quantum ad Jesu Christi Incarnationem, prædicationem, Passionem et Resurrectionem. Et ne turbati cogitarent : Quomodo nos homines idiotæ testimonium perhibebimus Gentibus et Judæis, qui te occiderunt, subjungit : *Et ego mitto*, id est mittam cito et de propinquo ponendo præsens pro futuro, et ratione certitudinis, et ratione proximi temporis *promissum* vobis auxilium *Patris mei in vos*, id est Spiritum Sanctum in signo visibili, ut sufficiatis ad testandum et ad prædicandum constanter ubique veritatem Evangelii mei. Pater enim eum promisit, cum dixit : *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*; et quia Filius promisit, dicens : *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre*, ideo et Pater promisit, cum opera Trinitatis sint indivisa. Qui licet procedit ab utroque, est tamen *Patris*, auctoritate spirationis. Et ne imperfecti prædicare præsumerent, adjunxit : *Vos autem*, qui debetis esse testes mei, *sedete* et manete hic *in civitate* Jerusalem, *quoadusque induamini*, scilicet undique tamquam armatura spirituali, *virtute*, non humana, sed cœlesti, id est Spiritus Sancti gratia, *ex alto*, id est de cœlo. Hoc idem tangitur in Actibus, cum dicitur : *Et convescens*, id est simul cum discipulis comedens, *præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent*, *sed exspectarent promissionem Patris*, *quam audistis*, inquit, *per os meum*. Quasi eis diceret : Hic et ibi non estis sufficientes ad prædicandum constanter veritatem Evangelii, donec confirmati fueritis per donum Spiritus Sancti, ut

stetis ante reges et præsides intrepidi. Unde *Chrysostomus* : « Sicut milites invasuros multos, nemo sinit exire donec armati sint ; sic et discipulos ante Spiritus Sancti descensum, ad conflictum egredi non permittit. Cur autem non Christo præsente, vel statim eo discedente, Spiritus venit? Quia decebat eos fieri cupidos rei, et deinde recipere gratiam ; tunc enim magis ad Deum erigimur, cum incumbit necessitas. Dicit autem : *Donec induamini virtute ex alto*, nec expressit quando, ut sint jugiter vigiles. Quid igitur miraris, si diem novissimum non pandit, ubi diem hunc proximum nec pandere voluit? » hæc *Chrysostomus*. Licet ergo Christus dedisset discipulis Scripturarum intellectum, et commisisset prædicationis officium, tamen distulit exsecutionem prædicandi, usque ad Spiritus Sancti receptionem in signo visibili, per hoc insinuans, quod prædicans actu prius debet habere sufficientem Sacræ Scripturæ notitiam, et gratiam Spiritus Sancti per conjecturam, scilicet quod non sit consciussibi de peccato mortali. Debent quippe prædicatores sedere in civitate, id est in claustro, ubi debet esse civium unitas, vacando ibi studio et contemplationi, ut ibi hauriant, quod postmodum in prædicatione aliis effundant. Unde ait *Hieronymus* : Nihil nobis rectum videatur nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis magistri efficiamur; docemus autem homines in ecclesiis, quod nescimus : omnes alias artes absque doctore non discimus ; sola hæc tam vilis et tam facilis est, ut præceptore vel doctore non egeat. » Unde etiam, ut ait *Gregorius* : « Notandum est, quia sunt quos a prædicationis officio vel imperfectio vel ætas prohibet, et tamen præcipitatio impellit ; qui admonendi sunt, ne dum sibi tanti onus officii præcipitatione arrogant, viam sibi subsequentis vitæ melioris abscindant. Admonendi sunt etiam quod ipsa Veritas, quæ repente quos vellet roborare potuisset, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam plene discipulos de virtute prædicationis instruxit, illico adjungit : *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* In civitate quippe sedemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur, ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus : » hæc *Gregorius*.

6 Educuntur discipuli ad montem Oliveti. — Comedunt igitur et gaudent discipuli, propter præsentiam Domini sui, sed nihilominus propter discessum turbati sunt. Tanta enim amoris teneritudine eum diligebant, quod etiam verba discessionis suæ æquo animo sustinere non poterant. Cumque comedissent, *eduxit eos* omnes, verbo scilicet, non manu, *foras*, id est extra civitatem, *in Bethaniam*, id est versus Bethaniam, quia mons Oliveti, ad quem exierunt, est in via versus Bethaniam ; et Bethania in latere montis Oliveti est sita. *Eduxit eos foras*, ut viderent eum ascendentem, per hoc insinuans, quod civitas tumultuosa non est locus aptus ad divinorum contemplationem. Prius *eduxit eos foras* extra civitatem, ut significaret non habere nos hic manentem civitatem; deinde *in Bethaniam*, quæ interpretatur *domus obedientiæ* : ut qui ex obedientia descendit, et humiliatus est usque ad mortem, ostendatur ex merito obedientiæ ascendisse, et exaltari in cœlum, juxta illud Apostoli : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem..., propter quod et Deus exaltavit illum*; et ut signet per obedientiæ opera eos transituros ad cœlestia, et quod non est ascensus in cœlum, nisi per obedientiæ meritum; sicut ergo inobedientia hominem de paradiso ejecit, sic obedientia introducit. Item, secundum *Bedam*, Dominus *eduxit eos in Bethaniam*, propter situm ejusdem villæ, quæ in latere montis Olivarum posita est, quia videlicet obedientis Ecclesiæ domus, in ipsius summi montis, id est Christi latere, fidei, spei, dilectionisque, sua fundamenta locavit. Postquam ergo eos fo-

ras duxisset, tunc dixit eis, quod in montem Oliveti transirent, et inde eum in cœlum ascendentem viderent, quia inde ascendere volebat in cœlum. Et tunc disparuit, et evanuit ab oculis eorum. Per montem, intelligitur eminentia Spiritus in contemplatione; per olivas autem, pinguissimi spiritus devotio : ulterius vero post ista non restat nisi saltus animæ in cœlum. Apostoli igitur undecim, cum Matre Domini atque aliis discipulis et mulieribus unanimiter statim venerunt in montem Oliveti, ei ibidem iterum Dominus eis apparuit. Ecce quomodo habes hodie duas apparitiones. Conspice nunc bene eos et cuncta quæ fiunt. Considera nihilominus sanctos Patres ibidem invisibiliter existentes, quomodo libenter et reverenter intuentur Dominam et affectuose benedicunt, per quam tantum assecuti sunt beneficium; quomodo etiam intuentur illos excelsos pugiles et duces divini exercitus, quos inter omnes ad expugnandum et vincendum universum mundum elegit, et mittit Dominus.

7 Quæstio facta de restitutione regni Israel. — Tunc *igitur* quidam ex his *qui convenerant, interrogabant eum dicentes* : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Quidam imperiti et carnaliter sapientes, videntes alienigenam regnare, et Judæos sub Præside esse, desiderabant quod regnum ipsum nationi Judaicæ redderetur, et quærebant de restitutione regni Israel temporalis; ut sic Rex Judæis daretur hoc tempore, putantes tunc a Domino regnum restituendum, et a dominio alienigenarum scilicet Gentilium, qui Judæis dominabantur, liberandum; sicut et duo discipuli putabant, dicentes : *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.* Ac si isti interrogantes eum, dicerent : Numquid hoc tempore regnabis, sicut David, et Salomon, et dominaberis nationibus? Alii vero magis instructi, scientes restitutionem illam non nisi finaliter futuram, scilicet circa tempora judicii, quærebant de restitutione regni Israel spiritualiter, scilicet de liberatione et dilatatione Ecclesiæ. Ac si dicerent : Numquid hoc tempore facies quod promisisti Ecclesiæ? Unde ait *Augustinus* : « Ergo discipuli Christi deducturi aspectu ascensurum Christum, interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Domine, si in hoc tempore præsentaberis; et quando regnum Israel? Quod regnum? De quo dicimus : *Adveniat regnum tuum*; de quo audituri sunt ad dexteram positi : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*, etc. Sed quando hoc regnum? Quando regnum tuorum? Quando regnum humilium? Quamdiu typhus superborum? Quando venturum sit? Quid ad te? Sic vive quasi hodie venturum sit; et non timebis, cum venerit : » hæc *Augustinus*. Dominus autem super hoc non certificavit eos, ex quodam tamen, in responsione ejus posito, possent intelligere restitutionem illam multis temporibus differendam. *Dixit autem eis* : *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, id est numerum temporum et momentorum, usque ad finem seculi, quæ tantum patent scientiæ Patris mei. Non est quippe aliquorum nosse tempora, ultra quod revelatur vel traditur per Scripturas, quia hoc est præsumptionis; sed secundum Scripturas nosse, est eruditionis. Ac si diceret : Ad vos non pertinet scire futura, quæ in sola Dei dispositione sunt posita; de quorum numero est regni Judaici restitutio. Nam ipsum restituendum non est carnaliter, sed spiritualiter, quando circa finem seculi Judæi credent in Christum, qui fuit Rex eorum; et quando regnabit in domo Jacob, vere sine fine seculi in æternum. Nihil, inquam, ad vos quærere de secretis hujuscemodi, nec modo ad ea percipienda estis idonei : *sed* de his quæ ad vos spectant estote solliciti, quia revera, *accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos*, cujus virtute purificati et roborati, ut possitis mea verba loqui, *et* doctrinam meam ferre, *eritis mihi testes*, conversationis et doctrinæ, mortis et Resurrectionis meæ : primo, *in Jerusalem : et* secundo *in*

*omni Judæa, et* postea *in Samaria, et* tandem *usque ad ultimum terræ.* Ac si tacite diceret : Ante regni illius restitutionem non solum Jerosolymam, sed et omnes fines Judææ et Samariæ ac etiam mundi terminos per circuitum Evangelii fama percurret. Primo siquidem prædicatum est Evangelium in Jerusalem; sed propter lapidationem Stephani, atque mortem Jacobi gladio occisi, egressi sunt de Jerusalem, prædicantes in finibus Judææ ; postea transierunt ad Samaritanos ; et inde processerunt per mundum ad alios. Ubi *Augustinus* : « Quo autem pacto ab Apostolis est prædicatio ista completa, quando adhuc usque sunt gentes in quibus modo cœperit, et in quibus nondum inceperit impleri? Non utique hoc sic a Domino mandatum est Apostolis, tamquam ipsi soli quibus tunc loquebatur tantum munus fuerint impleturi ; sed sicut eis solis videtur dixisse : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, quod tamen eum universæ Ecclesiæ promisisse, quæ aliis morientibus, aliis nascentibus hic usque in seculi consummatione futura est, quis non intelligat? » hæc *Augustinus.* Et quia Evangelium, primo prædicatum est in Jerusalem ; inde est quod, audita pronuntiatione Evangelii, vertimur ad Orientem, quasi ad Jerusalem, gratias agentes et dicentes: *Gloria tibi, Domine* : quia inde venit ad nos Evangelium. Unde scriptum est : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Unde et *Augustinus* : « Cœpit enim Ecclesia ab Jerusalem ista terrena, ut gaudeat in Deo in illa Jerusalem cœlesti ; ab hac enim incipit, ad illam terminat. In illa tota Ecclesia erit, ab ista exordium fidei sumpsit : » hæc *Augustinus.* Sed verba Evangelii Levita prænunciaturus, vertit faciem contra Aquilonem, ut ostendat verbum Dei dirigi contra eum, qui per Aquilonem designatur, scilicet contra diabolum, qui dicebat in corde suo : *Sedebo in lateribus Aquilonis et ero similis Altissimo.*

8 Benedictio Domini Apostolis data. — *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis*, quæ ad eruditionem suæ pertinebant consolationis, unumquemque osculatus est in intimo amore cordis, quia, secundum *Ambrosium,* Apostolis reliquit oscula pacis ; deinde valedicens illis, *elevatis manibus,* ut suos Patri offerret, *benedixit eis,* scilicet bona optando, promittendo, conferendo, ut eos contra hostem muniret, et bonis cœlestibus augeret. Et forte, ut dicit *Theophilus*, in hac benedictione vim conservativam eis influxit Dominus, usque ad Spiritus Sancti adventum. Ex loco isto duxit Ecclesia in consuetudinem, quod Episcopi in fine missæ dent benedictionem. Ubi *Origenes :* « Quod autem, *elevatis manibus, benedixit eis,* significat quod deceat benedicentem cuiquam ornatum esse variis operibus et arduis, respectu aliorum; sic enim manus tolluntur in altum : » hæc *Origenes.* In recessu suo benedixit Christus discipulis, sicut pater recedens a filiis benedicit eis ; et hoc fecit : primo propter majorem eorum necessitatem, juxta illud : *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo*, ubi petit eos post recessum suum servari a malo; secundo, ad ostendendum finalem et perseverantem erga suos suam dilectionem, juxta illud : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Instruxit etiam per hoc superiores in Ecclesia, ut recedentes a subditis, benedictionibus eos Deo commendent.

9 Quomodo ad cœlum ascendit Christus, et cur B. Maria Virgo non simul assumpta fuerit ? — *Et cum hæc dixisset*, hisque finitis, *recessit ab eis, et* ad Orientem versa facie, ut dicit *Damascenus*, cœpit sua propria virtute non aliena elevari ab eis, et ascendere, *videntibus illis* quos scilicet tanta visione dignabatur, et videndo deducentibus, ut scilicet desiderium veniendi ad ipsum in eis excitaretur; et triumphaliter proprio motu per dotem agilitatis, *in cœlum* supremum unde venerat *ferebatur.* Tunc Mater et omnes alii aspicientes eum in cœlum elevari, prociderunt in terram adorantes ; et propter discessum lacrymas continere non poterant, mul-

tum tamen gaudebant, quod ipsum sic gloriose cœlum petere cernebant. O quam libenter Mater cum Filio de hoc mundo recessisset; sed eam ad tempus hic manere Dominus voluit, quia propter confirmandos credentes utile et expediens fuit; nostræ etiam fidei hoc erat necessarium quia ipsa post Ascensionem Domini inter Apostolos conversando, multa eis revelavit, quæ de mysteriis illius cognoverat. Unde sic habet *Anselmus* : « Sed, o bone Jesu, istius tuæ dulcissimæ Matris piissime Fili, quomodo pati potuisti ut te in regnum gloriæ tuæ remeante, illam quasi orbatam in miseriis mundi relinqueres, et non eam statim regnaturam assumeres? Erat, ut mihi videtur, necessaria nostræ fidei conversatio sua post Ascensionem Domini inter Apostolos ejus, quia licet ipsi per revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen, manifestius ac eminentius ipsa per eumdem Spiritum ipsius veritatis intelligebat profunditatem ; ac per hoc multa eis per illam revelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed et ipso effectu, et ipso experimento cognoverat de mysteriis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Nec dilatio suæ assumptionis quoquomodo jacturam inferre valebat immensitati amoris et gaudii sui ; quoniam ipsa perfectio amoris et gaudii ita illam reficiebat plenitudine sui, ut hoc ipsum ei ad augmentum amoris et gaudii magnopere fieret, quod illic se esse videbat ubi Deum, quem præ cunctis amabat, velle magis sciebat. Igitur ubicumque erat, et ipsa in Deo, et Deus in ea jucundabatur, qua ipsa jucunditate felix, hoc præ ceteris ubique fieri cupiebat, quod sapientiæ Dei potissimum placere intelligebat : » hæc *Anselmus*. Et est notabile, quod Dominus : primo suos de civitate eduxit ; secundo, eos in Bethaniam duxit ; tertio, eis benedixit ; quarto, ascendit. In quo datur intelligi, quod peccatorem, quem vult justificare : primo educit de peccato ; secundo ipsum in Bethaniam, id est in *domum obedientiæ* ducit, statum ejus mutando ; tertio ei benedicit, gratia illum replendo ; quarto ascendit, id est ascendere facit, ad superiora transferendo, ut, secundum Psalmistam, eat de virtute in virtutem.

10 Patrum comitatus et spirituum cœlestium occursus. — Et ascendens Dominus Jesus duxit secum illam multitudinem nobilem, scilicet captivam captivitatem, id est captivos a captivitate inferni, quos secum victor eduxerat, et cœli aperta jam porta, *pandens iter ante eos*, se sequentes, ut Michæas Propheta dixerat, exsules introduxit in regnum Patris sui, concives illos faciens Angelorum, et domesticos Dei : quatenus et ruinas angelicas restauraret, et æterni Patris honorem cumularet, et se triumphatorem ostenderet, et Dominum exercituum comprobaret, Dominus itaque gloriosus candidus et rubicundus, splendidus et gaudiosus, præcedebat eos, viam eis ostendens ; et ipsi sequebantur eum cantantes et jubilantes. Interim autem Michael præpositus paradisi, pergens ad patriam cœlicam, nuntiavit quod Dominus ascenderet ad eam. Et ecce omnes beatorum spirituum ordines accurrerunt eidem decenter et seriatim per acies suas. Unus ex eis non remansit, qui Domino suo obviam non veniret. Et inclinantes se cum omni reverentia, qua poterant, eum cum hymnis et canticis ineffabilibus deducebant. Quis enim posset cantus et jubilos, qui ab ipsis fiebant explicare, et quis posset hoc gaudium enarrare? Sed et illud gaudium quis dicere posset quod tam beatissimi spiritus, quam sanctissimi Patres habuerunt, cum sibi ad invicem accurrerunt? Omnes jubilabant et psallebant ; nam juxta Prophetam : *Ascendit Deus in jubilo*, quod maxime refertur ad vocem jucunditatis redemptorum cum ipso ascendentium, qui prius voce lacrymabili clamaverunt in partibus inferni :

*Advenisti desiderabilis,*
*Quem exspectabamus in tenebris* ;

et *Dominus in voce tubæ* quod refertur ad sonum prædicationis Apostolorum, qui tunc fuit eis injunctus,

Domino dicente : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ ;* ex tunc enim, *in omnem terram exivit sonus eorum*, attamen post Spiritus Sancti receptionem. Cumque psallerent tam Angeli quam animæ beatæ, Dominus junctis manibus devote et sursum ante pectus erectis, et nubecula sub pedibus ascendit, et omnes beati simili modo junctis manibus cum Domino ascenderunt. Domino autem ascendente, quidam chori Angelorum ipsum præcedebant, quidam sequebantur, alii a dextris, et alii a sinistris; cum ipso comitabantur simul, et cum beatis animabus.

11 Ascendit Dominus propria virtute, non subsidio alieno. — Ascendebat vero Dominus plane et morose, propter consolationem Matris et discipulorum, quousque poterant videre eum. *Et* tunc quædam *nubes* lucida et candida, *suscepit eum ab oculis eorum* carnalibus, quia claritate nubis circumdatus, ulterius non est visus ; ut qui Christum secundum carnem noverant, ultra jam sic non noscerent. Ascendit usque ad nubes ea forma quam ante Passionem habuit; susceptus autem a nubibus, ea qua in monte apparuit. Quasi in globo bajulæ nubis ascendit, non per modum vehiculi, et quasi ad ascendendum egeret ministerio Angelorum vel nubis, quia sua propria virtute ferebatur ; sed per modum obstaculi, ut ab oculis mortalium amplius non videretur, et ut per hoc ostenderetur, quia omnis creatura parata est obsequi suo Creatori : nubes enim quæ subtraxit eum ab oculis inspicientium, et Angeli assistentes ibi ostendebant, quod creatura corporalis et spiritualis subjecta est obsequio Christi. Et tunc in momento cum omnibus Angelis et Patribus sanctis erat in patria cœlestis beatitudinis. Ascendit ergo Christus et per nubem cœlos penetrans assumptus est in cœlum æthereum, seu empyreum non virtute aliena, sed propria : tum ratione deitatis, quæ omnia potest ; tum ratione humanitatis gloriosæ, quantum ad motum localem per dotem agilitatis, quæ est in tali corpore. Unde non curru, non Angelis sublevatus legitur, quia qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur. Henoch vero ab Angelis translatus est, et Elias curru subvectus est in cœlum aereum, non virtute propria : quia homines puri erant, et virtute indigebant aliena, et quia eorum corpora nondum sunt glorificata. Stabant autem Mater et discipuli, et Magdalena, et alii intuentes in cœlum euntem illum, quamdiu apparebat oculis eorum. Unde *Ambrosius :* « Stabant beati Apostoli toto suspensi corpore, et ascendentem ad cœlum Dominum, quia incessu non poterant, oculis sequebantur. Et licet ad deducendum Salvatorem visio humana defecerit, fidei tamen devotio non deficit. Usque ad nubem enim deducunt Christum oculis, usque ad cœlos autem cum Christo fidei devotione comitantur. Unde ait Apostolus, sciens fidem nostram in cœlis esse cum Domino : *Nostra autem conversatio in cœlis est :* » hæc *Ambrosius*. O quid erat videre Dominum sic gloriose ascendentem? Et, si quis potuisset audire et videre illos beatissimos spiritus, et animas sanctas cum eo pariter incedentes, forte præ gaudio anima illius a corpore separata fuisset, et cum eis etiam pariter ascendisset.

12 Angelorum apparitio, qui nuntiant Christum judicare venturum in forma humana. — *Cumque* jam Dominus subtractus esset ab oculis et conspectu eorum, adhuc tamen suspensis vultibus, *intuerentur in cœlum euntem illum, ecce* propterea *duo viri*, scilicet Angeli in forma vivorum *steterunt juxta illos in vestibus albis*, ut gratulatio monstraretur ex ipsis indumentis; *qui et dixerunt* eis : *Viri Galilæi, quid statis hic aspicientes in cœlum?* Galilæa Apostolorum patria fuit, unde et viri Galilæi dicuntur. Ac si dicerent : Statis hic et in cœlum aspicitis, quasi obliti quid facere debeatis. Redite in Civitatem, et exspectate promissionem Patris, sicut dictum est vobis. Recedite, nec spectate Jesum, ut modo redeat : *hic* enim *Jesus, qui assumptus est a vobis*

*in cœlum, sic veniet,* sed in fine temporum, *quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* ; id est, sicut bajulis nubibus vidistis eum in cœlum ascendentem, sic bajulis nubibus videbitis eum in aere ad judicium descendentem ; et quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, in forma humana, cui competit videri oculis corporalibus, et moveri de loco ad locum, sic veniet, in eadem forma et carnis substantia ad judicium : quia sicut fuit judicatus in forma humana, sic veniet ad judicandum mundum ; verumtamen judicatus fuit in forma humana passibili, ascendit autem in cœlum, et veniet ad judicium, in forma humana gloriosa, et impassibili. Unde ait *Augustinus :* « Sic veniet, quemadmodum vidisti eum euntem in cœlum, id est in forma humana in qua judicatus est, judicabit, ut etiam illud propheticum impleatur : Videbunt in quem pupugerunt. » Et iterum : « Itaque si rediturum eum credimus, nos exspectare debemus, ne sic nos comprehendat adventus illius, non suspicantes, sicut comprehendit nunc castigatio delinquentes ; coertio namque præsentium imaginem habet in se futurorum. Cavendum est ergo, ne si in præsenti verbere non corrigimur, futura severitate damnemur : » hæc *Augustinus.*

13 Quo modo Apostoli regressi sunt in Jerusalem. — Considera hic, quomodo Dominus Jesus de suis sollicitus fuit. Nam statim cum evanuit ab oculis eorum, misit Angelos suos : tum ut mœstos de absentia Domini consolarentur et confortarent ; tum ut eum vere ascendisse in cœlum, scilicet in regionem Angelorum, demonstrarent, non sicut Henoch et Elias, qui translati sunt in paradisum terrestrem, qui licet eminens sit, tantum pertingit sublunarem regionem ; tum ne diutius ibi morarentur et nimium ibi stantes fatigarentur, sed potius recedentes, *promissionem Patris exspectarent. Tunc,* Angelis scilicet disparentibus *ipsi*, scilicet discipuli, in loco ubi steterunt novissime pedes ejus *adorantes* Christum, scilicet Deum et hominem, ut Deo personaliter unitum, *reversi sunt Jerosolymam a monte qui vocatur Oliveti,* propter copiam olivarum, *qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter*, id est itinere sabbati, scilicet spatio milliarii distans ab Jerusalem : quia non ampliori spatio licebat Judæis progredi in sabbato de villa vel civitate in qua erant ; sed circa per mille passus deambulare poterant. Vetus editio habet a monte trium luminum. Sic autem dictus est mons Oliveti : quia de nocte ex parte Occidentis illuminabatur igne templi, ubi erat ignis jugis in altari ; mane a parte Orientis primo excipiebat radios solis, antequam illustrarent civitatem ; habebat etiam copiam olei, quod est luminis fomentum. *Et ipsi regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno,* quia omnia mysteria erant impleta in Christo. Lætabantur autem de Dei et Domini sui glorificatione, quem post triumphum Resurrectionis etiam cœlos cognoverant penetrasse ; lætabantur et de humani generis completa redemptione ; de restauratione ruinæ Angelorum, et de dejectione dæmonum ; de confusione Judæorum infidelium, et de Spiritus Sancti promissione, de humanæ naturæ exaltatione, et de certa spe generalis resurrectionis et ascensionis futuræ. Ex quo enim caput resurrexerat et ascenderat, idem et de membris pro certo sperare poterant. Hanc autem ultimam processionem discipulorum post Jesum, qui unanimiter sunt egressi et postea unanimiter sunt regressi, repræsentat Ecclesia, Dominicis diebus, egrediendo de ecclesia, et redeundo ad eam, quasi de Jerusalem, rediens in Jerusalem. Unde in eo quod de ecclesia egredimur crucem Domini præferendo, repræsentamus quod illi egressi sunt, præeunte Crucifixo ; in eo autem quod cum cruce Domini redimus, licet ille sine Crucifixo redierint, repræsentamus, quod ait : *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi,* quia licet non redierit Crucifixus cum eis præsentia corporali, rediit tamen cum eis præsentia spirituali. In primitiva autem Ecclesia hujusmodi repræsentatio fiebat quinta

feria, quæ tunc solemnis erat pro veneratione Ascensionis sicut prima feria, scilicet dies Dominica pro reverentia Resurrectionis. Sed quia supervenerunt festa Sanctorum, et celebrare tot festa erat quasi onerosum, ideo solemnitas quintæ feriæ est sublata, et processio ad Dominicam translata.

14 Vestigia a Christo in monte Oliveti relicta. — De loco autem ascensionis dicit *Sulpitius* Episcopus Jerosolymitanus, quod cum ibi postea ædificata esset ecclesia, locus ille in quo steterunt Christi ascendentis vestigia, numquam potuit sterni pavimento postmodum, imo resiliebant marmora in ora collocantium. Calcati etiam a Domino pulveris hoc dicit esse documentum, quod vestigia impressa cernuntur ibidem, et eamdem adhuc speciem velut impressis vestigiis terra custodit. Et, ut ait *Beda*, cum terra eadem a credentibus quotidie minuatur, tamen eadem vestigia pristinum statum continuo recipiunt. Nec summum ecclesiæ cacumen propter Dominici corporis meatum contegi potuit sed a terra transitus Christi usque ad cœlum patet. Adhuc est ibi ecclesia, in quo solebant esse nigri monachi cum Abbate, et est ibi sanctæ Ægyptiacæ sepulchrum, et locus ubi Apostoli composuerunt symbolum.

15 Jejunium et orationes discipulorum. — Tunc descenderunt Apostoli cum Matre Domini, et aliis mulieribus ac discipulis in cœnaculum montis Sion, et ibi morabantur exspectantes promissionem, prout a Domino erat eis mandatum; ibi est locus ubi beatus Matthias inter Ascensionem et Pentecosten fuit loco Judæ in Apostolatum electus. Et *hi omnes erant unanimiter in oratione perseverantes*, et assidue debitis horis sine intermissione orantes, et per orationem ad receptionem Spiritus Sancti se præparantes quotidie, ut promissum mererentur accipere. Et quamvis dictum sit quod erant perseverantes in oratione et non sit additum, in jejunio, quidam tamen a festo Ascensionis usque ad Pentecosten jejunant exemplo Apostolorum, quos inquiunt jejunasse in spatio illo, quia dictum est in Evangelio : *Venient dies cum ablatus fuerit ab illis sponsus*, et *tunc jejunabunt*. Orabant ergo et jejunabant; quia Christus sponsus ab eis ablatus carne recessit. *Et erant semper*, id est communiter vel frequenter, *in templo*, quod est locus orationis, *laudantes* Deum de beneficiis suis, *et benedicentes Deum*, id est magnificantes de promissis divinis, et orantes devote pro recipiendis Spiritus Sancti donis; vel *laudantes Deum*, de propria sua bonitate in se, ac pro Domini sui glorificatione et Ascensione, *et benedicentes*, id est gratias agentes de bonorum suorum communicatione, ac pro Spiritus Sancti promissione, et eorum per Angelos facta consolatione. Non aliquo mundano distrahuntur; sed omnibus contemptis, jugiter divinis laudibus insistunt, ut in loco orationis, et inter laudum devotiones promissum Sancti Spiritus adventum promptis et paratis per omnia cordibus exspectent. Vicissim quidem habitabant modo in templo ad orationem, modo autem in cœnaculo ad quietem. Unde hoc adverbium, *semper*, dicit ibi frequentiam et opportunitatem, non more suo durationem continuam. Quos nos imitantes, in sacra vita semper degamus laudantes Deum et benedicentes. Sic enim et nos quotidiana illius merebimur benedictione sublimari, si quotidie triumphalis illius in cœlum ascensionis memores, laudantes et benedicentes Deum, in Jerusalem, id est supernæ pacis sperata ac desiderata visione quiescimus, et orantes ut dona ipsius recipere possimus, *similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis*. Unde sic ait *Beda* : « Et semper et in loco hoc maxime, fratres carissimi, meminisse nos decet sermonis Domini quo discipulos glorificans : *Beati*, inquit, *oculi, qui vident quæ vos videtis*. Quis etenim dicere, quis digne valeat cogitare, quam beata compunctione oculos ad terram defluxerunt, quibus ipsum quem adorabant cœli Regem, devicta mortalitate, quam assumpserat, ad paternæ claritatis solium jam

redire conspexerant? Quam dulces lacrymas, quanta spe et lætitia ferventes pro ingressu cœlestis patriæ fuderunt, quo Deum ac Dominum suum partem suæ naturæ jam ferre cernebant! Merito ergo tali spectaculo refecti, postquam adoraverunt *ubi steterunt pedes ejus*; postquam vestigia quæ novissime fixit, lacrymis rigaverunt profusis, confestim rediere Jerosolymam, ubi adventum Sancti Spiritus exspectare sunt jussi. Et ut digni cœlestibus promissis existerent, erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum, scientes certissime, quia illa solummodo corda Spiritus Sanctus invisere et inhabitare dignatur, quæ locum orationis frequentantia, quæ laudi et benedictioni divinæ viderit esse dedita. Unde et in Actibus eorum legitur de ipsis : *Hi omnes erant unanimiter perseverantes in oratione*, quod nobis est testimonium operis Apostolici solerter imitandum, videlicet ut qui cœlestia promissa habemus, qui pro his accipiendis sedulo supplicare præcipimur; et omnes ad adorandum conveniamus, et in oratione persistamus, et unanimi Dominum devotione prædicemus. Nec dubitandum est, quod sic nobis orantibus pius Conditor auditum accommodare, et Spiritus sui gratiam nostris quoque cordibus infundere dignabitur, quod nostros quoque beatos faciet oculos, etsi non ut oculi Apostolorum, qui commorantem in mundo Dominum, qui docentem et miracula facientem, qui post triumphum mortis resurrexisse, atque ad cœlos redeuntem videre meruerunt, certe ut eorum, de quibus Thomæ Apostolo dixit : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti ; beati qui non viderunt et crediderunt*. Cunctis etenim credentibus, sive illis qui Incarnationis ejus tempora nascendo præcesserunt, sive his qui in carne eum viderunt, sive nobis qui post ejus ascensionem credimus, communis est ejus hilarissima promissio, qua dicit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* : » hæc *Beda*.

16 Ascendit ad cœlum empyreum Dominus, ubi a dextris Dei sedet. — Dominus ergo Jesus cum universa prædicta felici multitudine aperiens januas paradisi, usque tunc humano generi clausas, intravit triumphaliter et gaudenter in eas. Ascendit autem in cœlum empyreum super omnes alios cœlos, imo super omnem spiritum beatum, et omnem creaturam, et supra omne quod nominatur in hoc seculo, vel in futuro. Et nota, quod triplex esse cœlum insinuat Apostolus, ubi fatetur se raptum usque ad tertium cœlum. Inter quos cœlos, secundum *Augustinum*, primum est corporale, sole, luna et stellis ornatum; secundum est spirituale, spiritibus angelicis deputatum ; tertium est superintellectuale, soli divinitati appropriatum. Ad hoc tertium raptus fuit Paulus, quia non ad visionem corporum cœlestium, nec ad cognitionem cœlestium spirituum, sed ad contemplationem nudam divinæ essentiæ raptus fuit; et in hoc cœlum, secundum eumdem *Augustinum*, ascendit Christus. *Et sedet a dextris Dei*, non quod sessio Dei intelligatur corporaliter, ut Christus homo sedeat a dextris et Pater a sinistris ; sed dicitur sedere, propter judiciariam potestatem quam a Patre accepit, quia sedere judicantis est. Sedere autem a dextris, si referatur ad Christum ratione deitatis, sic ista sessio importat æqualitatem cum Patre, quia conregnat Patri in æqualitate majestatis secundum deitatem, secundum quam Filius est Patri æqualis. Si autem referatur ad Christum ratione humanitatis, hoc potest esse dupliciter : uno modo, in quantum est unita actualiter ipsi Deo, et sic ista sessio importat quamdam associationem honoris, quia eadem veneratione veneratur humanitas, in quantum unita Verbo cum ipsa deitate, sicut vestis regia cum ipso rege, quando est ea actualiter indutus, et sic Christum in dextera Dei Patris sedere, est humanitatem in gloria divinitatis requiescere ; alio modo secundum se, et sic sedere a dextris Patris, designat esse in potioribus ejus bonis, sicut dextera est pars nobilior, et potior corporis. Merito Christus dicitur sedere ad dexteram Dei : sedere quidem, quia laboravit ; ad

dexteram autem, quia in sinistra adversitatis diu fuit; Dei vero dicitur, quia post abjectionem merito gloria sequitur. Dicitur ergo sedere, quia æqualis est Patri in potestate judicandi. Dicitur et stare qui suos juvat in militia præsenti. Nos credimus Christum a dextris Patris sedentem, quia credimus eum regnantem, et quiescentem, quæ notantur per sessionem; Stephanus autem vidit *Jesum stantem a dextris Dei*, quia in tribulatione positus habuit eum propugnatorem et susceptorem, quæ notantur per stationem. Sicut enim sedere quiescentis est et judicantis, ita stare pugnantis et adjuvantis. Sedens ergo ad dexteram Patris jugiter vultui benignissimi Patris apparet, et vulnerum quæ pro nobis pertulit cicatrices ostendit, *ad interpellandum pro nobis*.

17 LÆTITIA CŒLESTIS CURIÆ. — Omnes vero Sancti Patres, et beatissimi spiritus jubilabant coram Deo laudes. Si enim Moyses et filii Israel post transitum maris rubri cecinerunt carmen Domino, et si Maria prophetissa soror ejus, et reliquæ mulieres eam sequentes canebant Domino in tympanis et choris; quanto magis modo omnes hoc faciunt, omnibus adversitatibus superatis? Omnes igitur ibi constituti psallunt, omnes cantant, omnes exsultant, omnes lætantur, omnes gaudent, omnes jubilant, omnes manibus plaudunt, omnes tripudiant, omnes jucundantur. Vere nunc in superna Jerusalem auditur canticum lætitiæ, et per omnes vicos ejus ab universis dicitur *alleluia*. Numquam ab origine mundi tale festum, et tam solemne Pascha celebratum est in patria; nec umquam erit, nisi forte post diem judicii, cum omnes ibi cum corporibus gloriosis præsentabimur electi.

18 SOLEMNITATIS ASCENSIONIS MAGNITUDO. — Magnum itaque et solemne est hoc festum. Nam quidquid Deus usque modo fecit, fecit ut ad hunc diem perveniret. Cœlum et terra, et omnia quæ in his sunt, facta sunt propter hominem; homo autem propter gloriam cœlestem habendam, ad quam usque nunc pertingere post peccatum non poterat, quantumcumque justus esset. Quia ergo omnia completa sunt in Ascensione Christi, magnificus valde est dies iste. Hodiernus quippe dies proprie est festum solemnissimum Domini nostri Jesu, quia hodie incepit sedere ad dexteram Patris, et requiem capere a labore suæ peregrinationis. Est etiam proprie festum omnium supernorum spirituum, quia de Domino suo quem ante ibi in humanitatis forma non viderant, novum suspiciunt gaudium; et quia hodie primo incipiunt restaurari ruinæ ipsorum, in tanta multitudine beatorum; et cognoscunt numerum suum per peccatum diminutum, per Dominum Jesum reintegrandum. Si ergo gaudium est in cœlo, coram Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente, quale putamus gaudium eorum fuisse, quando tot millia animarum sanctarum ad suum viderunt consortium transire? Et jam proprie est festum Patriarcharum, Prophetarum, et aliarum animarum sanctarum, quia ad supernam patriam hodie primitus intraverunt. Si ergo festum facimus de aliquo Sancto ad cœlos migrante, quanto magis de tot millibus, et quanto magis de Sancto Sanctorum? Est etiam festum Dominæ nostræ, quæ Filium suum unigenitum in ea carne quam de se assumptam noverat, totam oculis suis gloriose sic vidit tamquam Deum verum, super excelsa conscendere, et omnes cœlos dominandi jure penetrare; ac in Dei Patris consessum ascendendo pertingere. Est etiam nihilominus proprie festum nostrum, quia humana natura hodie super omnes cœlos est exaltata, et homo perditus, ad regna cœlestia, et ad societatem Angelorum per Dominum Jesum est revocatus. Ipse etenim Dei Filius, qui exivit a Patre, non per loci mutationem, sed per æternam generationem, et personalem distinctionem; hodie reliquit mundum, quantum ad præsentiam corporalem, et ivit ad Patrem, faciendo naturam mortalem paternæ gloriæ consortem. Igitur valde solemnis est dies iste; et anima quæ Dominum Je-

sum bene diligeret, merito hodie exsultaret. *Si diligeritis me*, inquit, *gauderitis utique, quia vado ad Patrem.* Unde *Leo* Papa : « Dicit quidem Dominus Jesus discipulis suis : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Vobis enim hæc præstatur ascensio : et super omnes cœlos ad Patris dexteram collocanda, vestra in me humilitas elevatur. Univi enim vos mihi, et factus sum Filius hominis, ut vos filii Dei esse possitis. Quia igitur Christi ascensio nostra provectio est, et quo processit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis, dignis, dilectissimi, exsultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus; sed cœlorum etiam in Christo superna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam, quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad Patris dexteram collocavit.

19 Cor nostrum ascendere debet cum Christo. — Audiamus et *Augustinum* de hac festivitate sic loquentem : « Hodie, sicut audistis, fratres, Dominus Jesus Christus ascendit in cœlum ; ascendat cum illo et cor nostrum. Sicut enim ille ascendit, nec recessit a nobis; sic et nos cum illo jam simus, quamvis nondum in corpore nostro jam factum sit quod promittitur nobis. Cum ascendit in cœlum, nos ab illo non separamur. Non nobis invidet cœlum; sed quodammodo clamat : Mea membra estote, si ascendere vultis in cœlum. In hoc ergo omnes interim roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus, in hoc meditemur in terris ; quod aliquando computemur in cœlis. Et qui tunc exuturi sumus carnem mortalitatis, nunc exuamur animæ vetustate. Facile corpus levabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum. » Et iterum : « Quia vero temporali Christi præsentia viduati sumus, ad æternam ejus visionem tota intentione festinemus eique dicamus : *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea ; faciem tuam, Domine, requiram.* Tota namque dispensatio humanitatis Christi nihil aliud fecit, nisi ut intentionem nostram ad superna dirigeret ; et ex tempore nostræ mortalitatis ad manifestam visionem sui perduceret ; ac perductos æterna vultus sui gloria satiaret. » Et iterum : « Hæc quippe solemnitatis hujus est ratio, ut Christum ad dexteram Patris jam regnare credamus ; et interim eum quasi geminis virtutum alis, caritatis scilicet et spei subsequamur: ut cum tradiderit regnum Deo Patri, sine fine cum eo regnemus. Ascendamus cum Christo interim corde, ut cum dies promissus advenerit, sequamur et corpore : » hæc *Augustinus.* Unde etiam *Gregorius* : « Igitur, fratres carissimi, oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum corpore ascendisse credimus : desideria terrena fugiamus, nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis ; et si adhuc hic tenemur in infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris. Non autem deserit desiderium nostrum, ipse qui dedit Jesus Christus Dominus noster: » hæc *Gregorius.* Ascendit ergo Christus, ut corporali præsentia subtracta, provocet affectum mundi, et toto corde eum desideremus. Et ideo, quæ sursum sunt quæramus, quoad vim intellectivam ; quæ sursum sunt sapiamus, quoad vim affectivam. Sic ascendit corde miles quidam, qui in partibus ultramarinis omnia loca in quibus Salvator noster fuerat, sollicite cum lacrymis visitavit ; et dum omnia sancta loca devote perquisivisset, ultimo venit in montem Oliveti unde Dominus ascendit, ubi post longam orationem cum lacrymis dixit : Ecce, Domine, ubique quæsivi te diligenter, usquedum venerim ad locum ubi cœlos ascendisti. Nescio ubi amplius te requiram, jube ergo spiritum meum suspici, ut ad dexteram Patris videam te residentem in gloria. Et his dictis, spiritum suum sine dolore reddidit. Sic et nos Dominum per singula sua opera et virtutum exercitia quæramus, ut tandem ad eum ascendere valeamus.

20 Ascensionis Domini figuræ. — Ascensio Domini olim in scala Jacob præfigurata fuit, quæ una extremitate terram, et alia cœlum tangebat, et Angeli per eam descendebant, et ascendebant; sic Christus de cœlo descendit, et reascendit, quando cœlestia, et terrestria revenire voluit. Oportebat enim quod mediator Dei et hominum Deus et homo esset, quia aliter pacem inter Deum et hominem reformare non posset ; Deus enim altissimus est, et homo infimus erat; et ideo Christus inter cœlum et terram scalam faciebat. Descendunt autem Angeli per illam, nobis gratiam apportando ; et reascendunt, animas nostras in cœlum reportando. — Hanc etiam ascensionem Christus prænotavit, quando parabolam de una ove ex centum perdita et inventa prædicavit. Ovis una perdita est quando mandatum Dei transgressus est ; Deus autem nonaginta novem, id est novem choros Angelorum in cœlo dimisit, et veniens in hunc mundum, hominem perditum per triginta tres annos quæsivit, et in tantum se fatigavit quod de toto corpore suo sudor sanguinis emanavit. Inventam autem ovem super humeros posuit, et portavit, quando crucem pro peccatis nostris propriis humeris bajulavit; amicos ad congratulandum sibi invitavit, quando cum homine ascendit, et omnem cœli curiam lætificavit. — Hæc etiam ascensio Domini olim fuit in translatione Eliæ præfigurata. Elias Legem Dei in Judæa prædicavit, et transgressores Legis audacter increpavit, propter quod magnam sustinuit a Judæis persecutionem, sed apud Deum meruit in paradisum translationem ; ita Christus in Judæa viam veritatis docuit, et propter hoc a Judæis multas persecutiones sustinuit : *propter quod et Deus exaltavit illum* super omnes cœlos, *et, donavit illi nomen quod est super omne nomen,* etc. *Oportuit* enim *pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* ; et multo magis oportet nos miserias et afflictiones hujusce mundi tolerare propter vitam æternam.

## ORATIO

O Jesu, corona celsior, qui resurgens a mortuis ad Patris ascendisti dexteram, trahe ad te mentem meam ut te solum ardenter desiderem et inquiram. Da, quæso, toto desiderio meo et studio tendere, quo te credo ascendisse ; ut in præsenti quidem miseria solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione et aviditate ; ut ibi sit cor meum, ubi tu sis thesaurus desiderabilis et amabilis. Trahe me post te, ut per tuam gratiam de virtute in virtutem ascendens, te Deum deorum videre merear in Sion. Amen.

# CAPUT LXXXIII

## DE SCRIPTURÆ EVANGELICÆ, AC FIDEI FINE ET UTILITATE.

1 Omnia facta et dicta Christi non sunt scripta. — Joannes sic suum concludit evangelium : *Sunt autem et alia multa* signa et facta, in multitudine incomprehensibili existentia, præter ea quæ ab Evangelistis sunt scripta, *quæ fecit Jesus* in terra, in se et in aliis, tam actibus cordis, quam oris et operis, ante suam Resurrectionem et post eamdem, *quæ* præ multitudine sua, *non sunt scripta* in libro hoc. *Quæ, si scribantur per singula,* quoad facta particularia, et conditiones virtutemque eorum, *nec*

*ipsum arbitror mundum,* id est homines hujus mundi, *capere posse eos qui scribendi sunt, libros.* Non enim spatio locorum credendum est mundum capere non posse, quia in eo scribi non possent, si scripta non ferret ; sed capacitate intellectus legentium et audientium et quoad incredulitatem infidelium et quoad mysteria et sensum comprehendi fortasse non possent. Facta enim et verba Christi non sunt hominis tantum, sed et Dei; quia in illo humanitas erat organum divinitatis ; et ideo non possunt ad plenum ab hominibus explicari, vel etiam comprehendi, quod patet ex hoc, quod a principio Ecclesiæ cœperunt sancti doctores libros scribere ad explicationem verborum et factorum Christi, et adhuc ad plenum non sunt elucidata, imo si mundus duraret per mille millia annorum, et semper libri scriberentur, numquam ad plenum elucidarentur. Etenim, sicut dictum est, facta sunt et dicta Dei, quæ sunt nobis incomprehensibilia, propter eorum excellentiam, respectu intellectus nostri ; et ideo debemus subjugare, et captivare intellectum nostrum in obsequium Christi, ut ei assentientes per fidem, quæ est in ænigmate, tandem veniamus ad contemplandum eum facie ad faciem. Unde, secundum *Chrysostomum,* nec ipse Joannes, nec alii Evangelistæ omnia dixerunt ; sed quæ erant sufficientia attrahere ad fidem audientes : quoniam qui non credidit his qua dicta sunt, neque pluribus attendet ; qui vero hæc suscipit, nulla indigebit alia in fide ratione.

2 Quæ autem scripta sunt ad fidem astruendam et salutem consequendam tendunt. — Tantum enim conscripserunt, quantum ad fidem credentium sufficere posse cognoverunt ; et ideo pauca de pluribus elegerunt, ut facilius intelligantur, ac diligentius quærantur, fide credantur et memoriæ tradantur. Unde *Augustinus* : « Cum multa fecisset Dominus Jesus, non omnia scripta sunt; electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur : » hæc *Augustinus.* Materia quidem Evangelii et omnium Evangelistarum est eadem, scilicet sanctæ Trinitatis mysterium, Christus secundum divinam et humanam naturam, dicta et facta ejus, aliorumque dicta et facta ad ipsum : omnes enim agunt de istis, et est materia istorum. Intentio vero et finis omnium est, per Christi gesta atque doctrinam, fidem de eo astruere, quod ex fine libri Joannis perpenditur, ubi dicitur : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis,* scilicet fide formata caritate, *quia Jesus est Christus Filius Dei,* scilicet naturalis, in potentia sibi æqualis, et per consequens idem in deitate ; quia natura divina est indivisibilis. Credatis, inquam, corde ad justitiam, et ore confiteamini ad salutem, opere ostendentes ad fructum vitæ : quia *fides sine operibus mortua est.* Ecce Scripturæ utilitas, scilicet effectus fidei ; ad hoc enim ordinatur tota Scriptura Novi et Veteris Testamenti. Quam autem utilitatem ex hac credulitate consequamur, manifestatur, cum subjungitur : *Et ut credentes, vitam,* scilicet æternam in qua clare videbis quod nunc creditur, *habeatis* nunc in spe, et in futuro in re ; vel *ut credentes vitam habeatis,* hic vitam justitiæ, quæ habetur per fidem, *justus* enim *ex fide vivit,* et in futuro vitam spei, quæ habetur per gloriam; et hoc *in nomine ejus,* id est per fidem nominis Christi : quia *non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat non salvos fieri* ; virtute ergo nominis Christi et Salvatoris, habetur vita æterna. Unde Joannes ait : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Finis itaque, id est finalis causa Evangelii, est : sane credere, et perfecte diligere, et sacramentis insigniri ; et horum trium finalis causa est vita æterna. Ad hæc quippe adipiscenda fuit intentio scribere et prædicare Evangelia. Veteris quidem Testamenti intentio est, Novum Testamentum figuris et ænigmatibus demonstrare ; Evangelii autem, ad æternæ beatitudinis gloriam mentes humanas accendere. Fides ergo catholica, id est universalis, omnibus est necessaria ad vitam, et salutem

æternam : fidei succedit spes; et spei succedit beatitudo; caritas autem etiam fide et spe decedentibus, permanet et augebitur, et ideo *major* his esse dicitur.

3 De symbolis fidei, præsertim de symbolo apostolorum. — Quæ vero fidelibus credenda sunt, ex symbolo haberi possunt. Est enim symbolum, compendiosa collectio omnium ad salutem spectantium. Sunt autem tria symbola : primum, Apostolorum ; secundum, Nicæni concilii; tertium, S. Athanasii Primum factum est, ad fidei instructionem ; secundum, ad fidei explanationem ; tertium, ad fidei defensionem. De primo ergo, in quo est fidei fundamentum, hic videamus solum ; quia hoc magis est ad propositum. Ubi sciendum est, quod si respectus habeatur ad eos qui ediderunt hoc symbolum, tunc articuli sunt duodecim, secundum numerum duodecim Apostolorum. Si autem consideremus quæ radicaliter sunt credenda, tunc articuli sunt quatuordecim : quorum septem spectant ad divinitatem, et septem ad humanitatem ; et hæc signata sunt in septem stellis, et in septem candelabris aureis, in quorum medio ambulabat Filius hominis.

4 Septem articuli ad divinitatem spectantes. — Sunt igitur septem articuli fidei, qui pertinent ad divinitatem. Primus est, unum Deum esse, qui notatur ibi : *Credo in* unum *Deum*. Credere Deum, est credere Deum esse, scilicet *quia est* ; credere Deo, est credere verbis ejus, et Sacris Scripturis ; credere *in Deum* , est credendo Deum fide et affectione, seu fide per dilectionem operante, in ipsum tendere et ire, ac membris ejus incorporari. — Secundus est Patrem esse Deum, qui notatur ibi : *Patrem*, quod hic personaliter tenetur ; Pater vero essentialiter tenetur, ubi agitur de paternitate adoptionis, qua paternitate ipsa Trinitas pater est bonorum, vel creationis, qua paternitate et tota Trinitas pater est tam bonorum quam malorum ; *Omnipotentem*, appropriate, quamvis et Filius sit omnipotens, et Spiritus Sanctus : quia potentia appropriate attribuitur Patri, sicut sapientia Filio et bonitas Spiritui Sancto ; *Creatorem cœli et terræ*, ubi per cœlum et terram, intelligitur tam spiritualis quam corporalis creatura. Creare quippe, seu creatorem esse, potius sonat potentiam, quam sapientiam, vel bonitatem, quia operatio egreditur a potentia, cum tamen creet omnia Pater per Filium, cooperante Spiritu Sancto : indivisa sunt enim opera Trinitatis et totæ tres personæ unus sunt Creator. — Tertius est, Filium esse Deum, qui notatur ibi : *Et in Jesum Christum*, quæ duo nomina frequenter conjunguntur in Novo Testamento : quia unum, scilicet Jesus, quod interpretatur *Salvator*, exprimit ejus divinitatem, nam in quantum Deus, Salvator est ; reliquum, scilicet Christus, quod interpretatur *unctus*, exprimit ejus humanitatem, quia in quantum est homo, unctus fuit, præ consortibus suis. *Filium ejus unicum*, id est naturalem, non adoptivum ; vel *unicum*, dicit, quia non est Filius unus in quantum Deus, et alius in quantum homo, sed unus Christus in duabus naturis, scilicet deitate et humanitate, et in tribus substantiis, scilicet deitate, anima et carne unicus est Filius ; *Dominum nostrum*, sicut enim Pater Dominus est omnium et omnipotens, ita et Filius ; quod intelligatur secundum deitatem, quia quamvis humanitati Christi collata sit omnium scientia, non tamen omnipotentia. — Quartus est, Spiritum Sanctum esse Deum qui notatur ibi : *Credo in Spiritum Sanctum*, et circumloquitur hæc vox Spiritus Sanctus : quando tenetur dictionaliter, convenit soli tertiæ personæ Trinitatis ; quando autem in vi orationis tenetur, essentialiter sumitur et convenit totæ Trinitati Sic ergo patet, quod prædicti quatuor articuli sunt de divinæ essentiæ unitate, et personarum trinitate. — Quintus est, credere remissionem peccatorum his qui sunt in Ecclesia, qui notatur ibi : *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, *Sanctorum communionem*, id est credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sive militantem, sive triumphantem, esse

communionem, id est congregationem vel societatem Sanctorum. Vel sic : credo et sanctam Ecclesiam adhuc in terris militantem, et credo Sanctorum communionem, id est associationem in cœlo scilicet esse Ecclesiam triumphantem. Quasi diceret : Credo utramque Ecclesiam. Est autem sancta Ecclesia in tres divisa : una est in mundo, quæ est adhuc in timore et exspectatione ; alia est in cœlo, quæ est sine timore et exspectatione ; tertia est in purgatorio, quæ medio modo se habet, quia est in exspectatione, cum adhuc gloriam præsentem non habeant, et tamen sine timore, quia habent liberum arbitrium in bono confirmatum. Καθολικὸν Græce, Latine sonat universale ; et dicitur universalis duabus de causis, scilicet : quia universaliter prædicata per quatuor partes terræ, et quia articulos habet veros universaliter, quibus nullum falsum potest subesse. *Remissionem peccatorum*, id est credo remissionem peccatorum fieri, scilicet per Deum in Baptismo triplici, scilicet : fluminis, et flaminis, et sanguinis, sive post Baptismum in Pœnitentia. — Sextus est, credere Resurrectionem mortuorum, qui notatur ibi : *Carnis resurrectionem*. In qua resurrectione credendum est idem corpus quod per mortem cecidit, ad eumdem spiritum, id est ad eamdem animam rediturum. — Septimus est bonorum remuneratio, sub quo comprehenditur et malorum punitio, qui notatur ibi : *Vitam æternam*. Quasi diceret : Credo vitam æternam, præmium bonorum : et mortem æternam, supplicium malorum. Et isti tres ultimi articuli ad divinitatem pertinent, quia per virtutem divinitatis fit peccatorum remissio, quæ est animæ vivificatio, et corporum resurrectio, atque corporum simul et animæ glorificatio.

5 SEPTEM ARTICULI AD HUMANITATEM CHRISTI SPECTANTES. — Alii septem sunt articuli, qui pertinent ad humanitatem Christi. Primus est, credere Filium Dei conceptum fuisse de Spiritu Sancto, qui notatur ibi : *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*, id est operatione Spiritus Sancti. Uno enim eodemque momento segregata fuit illa caro assumpta a reliqua carne Virginis, operatione Spiritus Sancti, et animata anima rationali, et deitas unita ei. Unde illud, *de* non denotat substantiam causæ materialis, sed potius efficientis. Quamvis enim Incarnatio Filii sit opus totius Trinitatis, quia quod operatur una persona, operantur et omnes, eo quod sunt indivisa opera Trinitatis ; tamen ipsa gratia mediante, qua natura humana unitur naturæ divinæ, est donum appropriatum Spiritui Sancto ; quia hæc gratia appropriate procedit a caritate, sive a benignitate Dei, quæ Spiritui Sancto bene appropriatur : non enim Deus, in quantum potens est vel in quantum sapiens; sed in quantum bonus et benignus est nostram redemptionem operatus est per Verbi Incarnationem. Et tangitur hic nativitas Christi in utero, scilicet qua natus est de Spiritu Sancto. — Secundus est, Filium Dei natum ex Maria Virgine, qui notatur ibi : *Natus ex Maria virgine*, scilicet nativitate ex utero. — Tertius est, Filium Dei pro nobis mortuum in cruce, qui notatur ibi : *Passus sub Pontio Pilato*, id est sub potestate Pilati Pontii, *crucifixus*, ad distinguendum Passionem Jesu Christi a passionibus aliorum, qui in patibulis suspenduntur et citius moriuntur ; *mortuus*, vera morte per dissolutionem animæ a corpore, divinitate tamen semper conjuncta utrique ; *et sepultus*, non tamen, ut alii, corruptus et incineratus. — Quartus, Filium Dei descendisse ad inferos, secundum animam, qui notatur ibi : *Descendit ad inferos*, descendit tantum in anima deitate unita, quia corpus in sepulchro quievit, deitate etiam ei unita. — Quintus, Filium Dei resurrexisse, qui notatur ibi : *Tertia die resurrexit a mortuis*, ut per synecdochen pars ponatur pro toto : ut videlicet pars illius Parasceves, qua mortuus est, computetur pro die una, et nox sequens eum die sabbati sequentis, pro alia, et nox sequentis Dominicæ, cujus mane surrexit, pro tertia. Isti autem duo articuli dicunt totum, quod Christus nobis meruit per mor-

tem suam, hoc autem est : redemptio in anima, quæ completa est per fracturam inferni, in descensu ad inferos; et redemptio in corpore, quæ completa est in Resurrectione, per gloriam corporis sui. — Sextus, eumdem ascendisse ad Patris æqualitatem, qui notatur ibi : *Ascendit ad cœlos,* scilicet in quantum homo et secundum humanitatem, quia ubique est secundum divinitatem; *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis* , conregnans Patri in æqualitate, secundum deitatem, et fruens potissimis bonis Patris, secundum humanitatem; pacifice gloriatur, et omnia quiete cum Patre judicat et disponit. — Septimus, Filium Dei judicaturum bonos et malos, qui notatur ibi : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Inde*, id est postmodum; vel *inde*, id est de cœlis, quos ascendit venturus in die judicii judicare vivos et mortuos; ad litteram, quia tunc vivi et mortui reperiuntur judicandi; illi tamen vivi morientur, sed statim in momento resurgent, judicium cum resuscitatis recepturi.

6 Articulorum conditores. — Isti quatuordecim articuli colliguntur de symbolo, quod Apostoli condiderunt. Articulum primum et secundum de divinitate , posuit Petrus, Andreas tertium, Bartholomæus quartum, Simon quintum , Thaddæus sextum, Mathias septimum. Item primum et secundum articulum de Christi humanitate, posuit Jacobus Major, Joannes tertium, Thomas quartum, Matthæus quintum, Jacobus Minor sextum, Philippus septimum. Si autem quæratur, an teneamur aliqua credere, quæ non sunt articuli? dicendum est, quod sic. Oportet enim nobis, ad salutem, credere Deo, quod est credere verbis illius et Sacræ Scripturæ.

7 Quatuor Evangelistarum differentiæ, intentiones et figuræ. — Sane est circa hoc sciendum, quod pars divinæ Scripturæ, quæ est testimonialis et Evangelica, in librorum quaternario continetur : sunt enim quatuor Evangelistæ, quasi quatuor testes, quod homo ille qui dictus est Jesus, fuit Christus in Lege promissus, Rex et Dominus omnium, Salvator hominum et Filius Dei. Dividuntur ergo inter se libri quatuor Evangelistarum, quia Matthæus intendit principaliter declarare illum hominem fuisse Christum, et ideo in principio dicens : *Liber generationis Jesu Christi,* non expressit Filii Dei, sed *filii David, filii Abraham,* etc..., et in sequentibus subdit : *Generatio Christi sic erat.* Hinc est, quod figura hominis inter quatuor animalia Evangelistas repræsentantia, designat Matthæum, quia maxime immoratur circa hominem Christum ; ostendendo Jesum fuisse illum, qui promissus fuerat in tota serie Scripturarum. Unde quasi de homine exorsus est scribere, dicens : *Liber generationis Jesu Christi*, etc. — Marcus vero, principaliter intendit declarare, illum hominem fuisse Regem et Dominum omnium, sicut in Propheta Daniele habet, quod *in diebus quatuor regnorum suscitabit Deus cœli regnum* quintum, *quod in æternum non dissipabitur..... Quia potestas ejus potestas sempiterna.* Hinc est quod Marcus designatur per leonem, qui est rex et dominus aliorum animalium, unde et in eo auditur *vox* leonis *in deserto* rugientis, et *clamantis*, etc. Hinc est etiam, quod maxime circa miracula immoratur, et circa Resurrectionem ; et parum ponit de doctrina Christi, quia principaliter intendit potestatem ejus et dominium, atque virtutem explicare, quæ in Resurrectione et miraculis maxime elucescunt. — Lucas vero intendit principaliter declarare, illum hominem fuisse Salvatorem hominum, et ideo in principio introducit Gabrielem dicentem : *Vocabis nomen ejus Jesum,.... ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* ; et in secundo capitulo subdit verbum Angeli ad pastores : *Natus est vobis hodie Salvator, in civitate David.* Hinc est, quod maxime immoratur circa gesta et facta Christi quæ sonant in clementiam et salutem, et in remissionem peccatorum. Et propter hoc in referendo Passionem, maxime explicavit verba dulcia et clementia Christi, ut est illud : *Pater, dimitte eis, non enim sciunt*

*quid faciunt*; et illud : *Hodie mecum eris in paradiso*; et illud : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; et ipse solus refert quomodo *factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, quasi in signum balnei salutaris, et medicinalis. Hinc etiam est, quod per figuram vituli, qui aptus est ad immolandum, designatur; unde et a Zacharia sacerdote initium sumpsisse legitur. — Joannes vero principaliter intendit declarare, illum hominem fuisse Dei Filium, et verum Deum. Et quod hæc sit conclusio, quam ipse intendit, ipsemet Joannes explicat circa finem sui Evangelii, ubi inquit : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis, in nomine ejus*. Hinc est, quod incipit a Christi deitate, dicendo : *In principio erat Verbum*, et fere in quolibet Evangelii capitulo, semper infert illum hominem fuisse Filium Dei. Hinc est etiam, quod per aquilam figuratur, quia assumptis pennis aquilæ, ad altiora volans, de Verbo Dei disputat et philosophatur. Sic igitur quatuor libri Evangeliorum habent pro subjecto idem, scilicet, hominem Jesum; sed de illo subjecto quatuor declarare intendunt : Matthæus quidem, quod fuit Christus in Lege promissus; Joannes vero, quod est verus Deus, et Dei Filius; Lucas autem quod est verus Salvator hominum; Marcus denique, quod est Rex, et etiam Imperator omnium. Et hoc probant per facta et dicta, quæ testificantur illum hominem fuisse in conspectu discipulorum suorum, et multitudinis Judæorum. Et sic quatuor Evangelia distinguuntur, non penes quatuor subjecta, sed penes prædicata de eodem subjecto. Et ordinantur secundum ordinem editionis librorum, non secundum ordinem originis, vel dignitatis materiæ.

8 Matthæus probat Christum esse Messiam. — Incipit ergo Matthæus partem testimonialem Scripturæ divinæ, et probat hominem Jesum Messiam, et Christum, in Scripturis promissum fuisse Et hoc sibi maxime congruebat, quia in Judæa, Hebræo sermone, et fratribus Judæis ad Christum conversis scribebat. Intendit ergo minorem unius rationis probare, ac si ita velit arguere : Ille homo in quem concordant voces omnium Prophetarum, quantum ad omnia quæ prophetata fuerunt de illo qui dicebatur Messias et Christus, ille, inquam, homo fuit vere Christus. Non enim est possibile, quod omnia concurrant in aliquam personam quæ de Christo dicta sunt, quin illa persona sit Christus. Quamvis ergo duæ vel tres conditiones prædictæ in Prophetis, possent alicui personæ convenire, non tamen omnes, alioquin vana et absque ulla utilitate revelatio prophetica præcessisset : in nullo enim nos introduxisset ad Christum, sed potius errandi materiam præbuisset. Propter quod Salvator dicebat : *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, Prophetis, et Psalmis de me*. Ex quibus patet, quod ille vere debet dici Christus, in quem consonant omnium Prophetarum voces. Sed modo sic est, quod in illum sacrum hominem, qui dictus est Jesus, concordaverunt voces omnium Prophetarum, quantum ad concursum omnium conditionum, quas de Christo prædixerant; ergo homo ille fuit Christus. Hanc autem minorem intendit probare Evangelista Matthæus, quantum ad viginti et duas conditiones in genere, quas de futuro Christo prædixerunt Prophetæ, et intendit sic arguere : In illo homine qui dictus est Jesus, testis sum ego quod omnia concurrerunt, quæ Prophetæ prædixerant futura esse in vero Christo; sive quantum ad propagationem regiam et Davidicam; sive quantum ad gravidationem et gignitionem virgineam; sive quantum ad apparitionem sideream et adorationem regiam; sive quantum ad nominationem floridam et Nazaream; sive quantum ad acclamationem præcursoris præviam; sive quantum ad obsequium Angelorum et ministrationem sedulam; sive quantum ad conversationem primariam in Galilæa, et in terra Zabulon et Nepthalim; sive quantum ad expositionem decalogi, et legisdationem

authenticam et novam; sive quantum ad multiplicem operationum deificam, et miraculorum coruscationem mirificam; sive quantum ad conversationem pacificam et humillimam; sive quantum ad eruditionem parabolicam, et doctrinam figurativam; sive quantum ad nutritionem providam et benignam, ex panibus multiplicatis; sive quantum ad detestationem veridicam omnis hypocrisis et ceremoniarum; sive quantum ad colligationem geminam duarum naturarum, divinæ scilicet et humanæ in uno homine; sive quantum ad ecclesiasticam dispositionem et hierarchicam ordinationem unius novi regni Ecclesiæ; sive quantum ad ostentationem pauperrimam, et sessionem super pullum asinæ; sive quantum ad excæcationem Judaicam, quoad Scribas, Pharisæos et populi seniores; sive quantum ad reserationem prophetiæ arcanorum et futurorum; sive quantum ad institutionem mirabilem et insolitam novorum Sacramentorum; sive quantum ad tolerantiam amaræ et salutiferæ Passionis; sive quantum ad suscitationem magnificam, et Resurrectionem stupefacientem; sive quantum ad convocationem multimodam omnium Gentium, linguarum et populorum. Hæc enim utique verificata sunt in hoc homine sacro Jesu, quæ Prophetæ prædixerant de Christo; ergo ipse est verus Christus, nec est alius exspectandus.

9 Marcus probat eum esse regem omnium — Marcus vero, Apostoli Petri discipulus, qui in Italia Evangelium Græce scripsit, probat de illo felici homine, qui dictus est Jesus, quod fuit Rex et Dominus omnium, et excedens vere in potestate et virtute omnem hominem, et omnem creaturam; quod patet, quia non tractat nisi de præcipuis et excellentioribus miraculis ejus, et fere in quolibet capitulo concludit magnitudinem potentiæ et virtutis in eo, et istam conclusionem semper infert in toto Evangelio; finitque Dei Evangelium in Ascensione ejus in cœlum, et sessione a dextris Dei, et in prædicatione evangelica Apostolorum. *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem*, id est discipuli, *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Sic ergo patet, quod est conclusio, quam Marcus in Evangelio suo intendit, hominem scilicet Jesum esse et fuisse virtutum Dominum, et Imperatorem, et Regem omnium: nam in hac conclusione finit Evangelium, et ipsam interserit in suo processu quasi per totum. Hanc autem conclusionem suo testimonio probat, narrando facta illius hominis, et intendendo unum talem syllogismum: Ille homo, cujus virtutem ac potestatem extendi vidimus ad omnem spiritum creatum et increatum, scilicet ad spiritum propheticum, et divinum, et angelicum, et apostaticum; et quam extendi vidimus ad languores et infirmitates corporum; et quam extendi vidimus ad remissionem peccatorum, et infirmitates animarum; et quam extendi vidimus ad totam legem Mosaicam, et sabbatum immutandum; et quam extendi vidimus ad transferendum virtutem et potestatem in alterum, ut et ille similiter operetur virtuose; et quam extendi vidimus super mare et ventum et super aquæ et aeris elementum; et quam extendi vidimus ad mortis vinculum, et quorumcumque viventium, sive hominum, sive brutorum; et quam extendi vidimus ad multiplicandum corporalem cibum, scilicet alimenta panum pisciumque; et quam extendi vidimus ad dispensandum super omnem statum humanum; et quam extendi vidimus ad restituendum auditum, et loquelæ instrumentum; et quam extendi vidimus ad illuminandum tam spiritualem quam corporalem visum; et quam extendi vidimus ad naturam passibilem commutandum; et quam extendi vidimus non solum in propinquum, sed etiam ad omnem distantem locum, dum tamen inveniret fidelem hominem et credulum; et quam extendi vidimus ad interpretandum mandata legalia, et superaddendum perfectionis consilia; et quam extendi vidimus ad re-

gnum et thronum David obtinendum, juxta miraculosum clamorem populi et juxta testimonium quod fuerat per Prophetas prædictum ; et quam extendi vidimus ad convincendum potentiam, et omnem adversariorum astutiam et machinationem ; et quam extendi vidimus ad præcognoscendum omnem futurorum eventum, et totum seculi decursum usque in finem ; et quam extendi vidimus ad tolerandum summe, et fortiter, et magnanimiter omne adversum, et præcipue crucis mortem amarissimam, quæ est ultimum terribilium ; et quam extendi vidimus ad revolvendum proprium monumentum, et inde egrediendum, cum tamen vere mortuus fuisset; et quam extendi vidimus ad aperiendum cœlum, et ad sedendum super regale et generale gloriæ solium et ad dexteram Patris : ille utique homo vere fuit Rex virtuosissimus et Dominus omnium. Sed homo ille qui dictus est Jesus, habuit conditiones prædictas, igitur ipse fuit omnium Dominus et Rex virtuosus. Hanc minorem seriose Marcus deducit, et quantum ad viginti conditiones ejus, in Evangelio suo probat.

10 Lucas probat eum esse Salvatorem hominum. — Lucas autem, Apostoli Pauli discipulus, qui in Achaiæ et Bithyniæ partibus Evangelium Græce condidit, intendit istam conclusionem, scilicet quod homo ille qui dictus est Jesus, fuit Salvator hominum, et medicus animarum, quod bene Lucæ congruebat, quia erat arte medicus, ut dicit *Hieronymus*. Hinc est, quod in primo capitulo introducit Angelum dicentem : *Vocatis nomen ejus Jesum*, id est Salvatorem; et Zachariam Prophetam ei dicentem : *Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos*; et Angelum evangelizantem : *Natus est vobis hodie Salvator*; et Simeonem dicentem : *Viderunt oculi mei salutare tuum* ; et ubique per totum Evangelium semper agit de homine, sub ratione qua Salvator est et medicus animarum. Unde solus ipse narrat de Maria Magdalena, et solus ipse ponit multas parabolas ad pietatem, et misericordiam, et remissionem peccatorum pertinentes : per quod patet, quod sua intentio principalis fuit probare conclusionem prædictam. Intendit igitur probare eam per talem rationem et syllogismum : Homo ille, cujus ingressus et introductio, cujus etiam convictus et conversatio, cujus conatus et recollectio, cujus affatus et eruditio, cujus discessus per mortem et consummatio, cujus regressus a mortuis et Resurrectio fuit per modum cujusdam spiritualis antidoti, et medicinæ salutaris omnium hominum : utique homo iste censendus est Salvator hominum, et medicus animarum ; sed ita fuit de illo homine, qui dictus est Jesus ; ergo ipse fuit spiritualis hominum medicus et Salvator. Minorem istius, quantum ad sex conditiones positas in majori, intendit Lucas deducere in suo Evangelio, et probare. Primo enim probat, quod hujus hominis introductio et ingressus fuit per modum cujusdam Salvatoris mundi, et medici spiritualis, et tractat de triplici introductione istius hominis : prima quidem, in uterum maternum, per conceptionem ; secunda, in mundum, per nativitatem et ortum ; tertia, ad totum populum, circa annum trigesimum. — Secundo probat, quod hujus hominis conversatio, et convictus cum hominibus, fuit per modum veri Salvatoris, et ostendit qualiter iste homo per sui conversationem et convictum exemplarem, nisus est homines medicare et salvare : describens eum fuisse exemplar omnis pœnitentiæ, exemplar omnis devotionis et latriæ, exemplar mititatis et patientiæ, exemplar liberalitatis et beneficentiæ, exemplar humilitatis et benevolentiæ, exemplar veritatis et existentiæ, contra omnem hypocrisim, exemplar omnis perfectionis et superexcellentis vitæ, exemplar compassionis et misericordiæ atque clementiæ, et ex his octo conditionibus patet, qualiter sua conversatio et convictus fuit ad medicandum et salvandum mundum. — Tertio probat, quod illius hominis totalis conatus et recollectio fuit ad salvandum homines, et tribuendum eis spiritualem

medicinam, et ostendit qualiter homo ille conatus est ad salutem vocare et reducere homines per seipsum, et per alios, scilicet per duodecim Apostolos, et septuaginta duos discipulos. — Quarto probat, quod hominis hujus affectus et eruditio ostendit ipsum fuisse omnium hominum Salvatorem, quia tota sua eruditio ordinabatur ad pellendum peccata et morbos animarum, et ponit plures morales eruditiones, summe accommodæ ad hominum salutem, et curationem, seu remotionem a vitiis pertinentes. — Quinto probat, quod illius hominis discessus et consummatio per mortem, fuit vere medicinalis, et veri Salvatoris mundi ; unde introducit eum dicentem : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* ; et : *Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur,* et plura alia verba clementiæ superius dicta. — Sexto probat, quod istius hominis regressus ad nos et Resurrectio, fuit veri Salvatoris mundi ; unde ostendendo quod ipse erat vere iste, qui omnium Gentium erat medicus et Salvator, inducit quod, sicut scriptum est : *Sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem* omnium *peccatorum in omnes Gentes.*

11 Joannes vero probat eum esse Filium Dei. — Joannes vero, qui in Asia Evangelium Græce scripsit, introducit istam conclusionem : quod homo ille, qui dictus est Jesus, fuit vere Filius Dei, quod non debet intelligi quod sit Filius Dei per adoptionem et gratiam, habens humanam naturam, imo habens in se vere illum, qui ab æterno fuit Filius a Patre genitus, in substantia divina ; nec debet etiam intelligi, quod sit homo ille Filius Dei, per conversionem deitatis in carnem, sed debet intelligi per assumptionem carnis a Filio Dei. Hanc conclusionem probat multipliciter et deducit ; et intendens rationem unam et unicum syllogismum ad eam probandam, sic arguit : Homo ille qui est vere media persona intrinseca in Trinitate ; et est Deo æqualis in auctoritate ; et est Deo æqualis in efficacia et salubritate, respectu hominum ; et est Deo æqualis in illapsu et immensitate ; et est Deo æqualis in modo operandi, et activitate ; et est Deo æqualis in reficiendo mentem, et in cordis societate et gratia ; et est Deo æqualis in instruendo, et in veræ doctrinæ claritate ; et est Deo æqualis duratione et æternitate ; et est Deo æqualis in honore et gloria, ac cultu seu latriæ vel adorationis, et dignitate ; et est Deo æqualis, imo idem cum Patre in essentia et majestate ; et est Deo æqualis in benevolentia ad homines et pietate ; et est Deo æqualis in dominio et regni solemnitate ; et est Deo æqualis in amicitia et caritate ; et est Deo æqualis in insistentia mutua in se invicem, et intimitate ; et est Deo æqualis in conferenda gratia hominibus, et influenda sanctitate ; et est Deo æqualis in beatitudine, et in æterna felicitate ; et est Deo æqualis in sapientia, et scientiæ luminositate ; et est Deo æqualis in patientia et longanimitate ; et est Patri æqualis, in producendo Spiritum Sanctum et inspirativa fœcunditate : ille utique homo est vere Filius Dei ; nam ipse decem et septem conditiones intermediæ, probant ipsum esse verum Deum, prima vero conditio et ultima, ostendunt ipsum esse verum Deum qui est filius Dei, quia hæ duæ proprietates competunt Filio ; sed homo iste, qui dictus est Jesus, habuit supradictas decem et novem conditiones, ut manifesta experientia Joannem et alios discipulos edocuit ; ergo ipse vere est Filius Dei. Probat ergo Joannes istas decem et novem conditiones fuisse in homine, qui dictus est Jesus, secundum quod ipse vere expertus est, et ceteri discipuli qui fuerunt cum eo. Tandem conclusionem diffuse probatam infert, recolligit, et concludit, dicens : *Hæc autem scripta sunt, ut et vos credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei vivi,* et ponit ulteriorem finem, ad quem ordinatur ista conclusio, subdens : *Et ut credentes vitam habeatis, in nomine ejus.* Ultimo vero, tamquam tabellio et notarius publicus, concludit,

quod ipse, *est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus*; ponitque conditionem suam de familiaritate : quia *recubuit in cœna super pectus ejus* hominis, et idcirco multa secreta didicerat, unde prædicta probantur, unde etiam ipse notarius authenticus redditur et solemnis.

12 Evangelia comparantur scalæ Jacob. — Ad hanc partem Sacræ Scripturæ testimonialem et Evangelicam, ascendendum est per ascensum scalarem et cœlicum. Sunt enim Evangelia scala Jacob, quia eis innititur Dominus, et ibi reperitur ; ibique videntur Angeli ascendentes, et descendentes, quia divina opera quibus voluit nobis condescendere, et nos in cœlum erigere, ibi per Evangelistas, quasi per vera quatuor Cherubim, secundum *Hieronymum*, disseruntur. De quo ascensu scriptum est in Genesi : *Viditque* Jacob *in somnis scalam, et cacumen ejus tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum* ipsi *scalæ innixum*.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, qui nos per Scripturam et doctrinam Evangelicam vocare dignatus es ad fidem catholicam, ut credentes vitam habeamus æternam, nunc quidem in spe, et in futuro in re, et hoc in nomine tuo, et per fidem nominis tui, quia non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri : præsta mihi immerito et omnium infimo, ut corde credam ad justitiam, et ore confitear ad salutem, ac opere ostendam ad vitæ fructum et utilitatem, quatenus, te miserante, ad æternæ beatitudinis gloriam nunc mente accendar, et tandem re ipsa pervenire merear, Jesu mundi salvator. Amen.

# CAPUT LXXXIV

## DE PENTECOSTE.

Actuum Apostolorum cap. II.

1 Promissio Spiritus Sancti mittendi adimpletur ipso die Pentecostes. — Die vero Pentecostes, id est quinquagesima a Resurrectione, sed decima ab Ascensione Domini, narrat Dominus Jesus Patri promissionem suam, quam discipulis fecerat de Spiritu Sancto mittendo. Patre ergo gratum hoc habente, mittunt Spiritum Sanctum, ut ad discipulos descendat, eosque repleat et consoletur, roboret ac instruat, ac cumulum virtutum atque gaudiorum eis conferat. Et statim paratus Spiritus Sanctus subito venit, et super eos descendit. « Notandum autem, ut ait *Beda*, quod Dominus Jesus eumdem Spiritum veritatis, et a se mittendum esse prædixit, et eumdem mox a Patre procedere subjungit : non quia idem Spiritus aliter a Patre procedat, quam a Filio mittitur, aut alio tempore a Patre procedat, quam cum a Filio mittitur ; sed ideo Filius eum a se mitti, et a Patre dicit procedere, ut aliam Patris, aliam esse suam personam designet, atque in eadem distinctione personarum unam esse operationem, ac voluntatem suam cum Patris voluntate et operatione denuntiet. Cum enim ejusdem Spiritus gratia datur hominibus, mittitur profecto Spiritus a

Patre, mittitur et a Filio; procedit a Patre et a Filio, quia ejus missio est ipsa processio, qui ex Patre procedit et ex Filio. Venit et sua sponte, quia sicut coæqualis est Patri et Filio, sic eamdem habet voluntatem communem cum Patre et Filio : » hæc *Beda*. Πεντηκοστη interpretatur quinquaginta, et est Græcum vocabulum, sicut παρασκευή, σκηνοπήγια, etc. Judæi enim admixti Græcis, qui inter eos sicut ceteræ nationes conversabantur, Græcis crebro vocabulis utebantur. Est autem Pentecoste æquivocum ad quinquagenam, et ejus solemnitatem septem diebus protelatam. Tria enim erant festa diebus septem durantia, scilicet : Pascha, Pentecoste, et Scenopegia. *Et cum complerentur dies Pentecostes*, id est quinquagenæ a Resurrectione, et inchoarentur dies Pentecostes, id est illius solemnitatis septem diebus protelandæ, *erant omnes pariter in eodem loco*, scilicet in cœnaculo montis Sion, ubi cœna facta fuerat, disciputi fere centum viginti utriusque sexus congregati, in oratione perseverantes, et promissionem Sancti Spiritus exspectantes. Duodenarius ille Apostolorum numerus jam erat decuplatus. *Et* hora diei tertia, *factus est repente de cœlo*, id est de aere, *sonus*, quia fragor quidam insonuit, *tamquam advenientis spiritus*, id est flatus *vehementis* : ut tamquam, sit nota similitudinis, ac si diceretur, venit Spiritus in similitudine venti vehementis ; vel, tamquam Spiritus Sancti vehementis, ut tamquam, sit expressivum veritatis, quia vere Spiritus Sanctus dicitur vehemens, quasi vehens nos a mente, et a mentis affectibus alienans, vel, quasi væ adimens, id est æternam damnationem auferens. Potest ergo ad sonum et ad Spiritum Sanctum referri, quod dictum est, *tamquam advenientis spiritus vehementis*, quia æquivocum est ad utrumque. Venit Spiritus Sanctus in sono, ad terrendum rebelles, et in flatu, qui ab interiori procedit, ad vivificandum devotorum affectus. *Et replevit*, sonus ille vel Spiritus Sanctus, *totam domum ubi erant sedentes*, id est omnes in domo sedentes, implentes quod dictum fuerat eis a Domino : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Hæc enim dona non nisi in unum congregatis per consensum, et ad superiora sublevatis per desiderium, venire potuerunt.

2 Cur sub specie linguæ ignitæ descenderit Spiritus Sanctus? — Et linguæ divisæ sunt velut ignis, *et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*, id est radii ignei in modum linguarum insidentes capitibus singulorum ; *seditque supra singulos eorum*. Bene, ut ait *Gregorius*, in igne Spiritus apparuit, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, et hoc in desiderio suæ æternitatis accendit. Unde et *Origenes* : « *Deus* noster *ignis consumens est*, quamdiu in nobis sunt quæ consumi digna sunt; cum autem consumpta fuerint, jam non erit ignis consumens, sed illuminans. » Unde ait etiam *Hieronymus* : « Ignis duplicem naturam habet, quoniam et lucet et urit ; sic et Deus lucet justis, et peccatores incendit. » Insuper et septem dona Spiritus Sancti congrue demonstrantur in igne. Spiritus enim Sanctus instar ignis : primo purgat, per donum timoris ; secundo liquefacit, per donum pietatis ; tertio decorat, per donum scientiæ ; quarto consolidat, per donum fortitudinis ; quinto elevat, per donum consilii ; sexto illuminat, per donum intellectus ; septimo dulcorat, per donum sapientiæ. Primus effectus ignis patet in veste salamandræ, secundus in cera, tertius in metallis, quartus in lateribus, quintus in vaporibus, sextus in lucernis, septimus in cibis. *Et* sic *repleti sunt omnes Spiritu Sancto ; et* deinde, *cœperunt loqui variis linguis*, secundum impetum ejusdem Spiritus Sancti, et *prout* ipse *Spiritus Sanctus dabat, illis* pronuntiare, et *eloqui* ; qui dividens singulis prout vult, et spirans ubi vult, quando vult, quantum vult, quomodo vult, et quibus vult, radioso lumine scientiæ omnem eos veritatem edocuit, et inexstinguibili caritatis ardore, ad omnem dilectionem accendit, et invincibili vi fortitudinis in omni virtute firmavit inspirans il-

lis omnium linguarum notitiam ; juxta quod legitur, in libro Sapientiæ : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia*, scilicet homo convenientiam habens cum omni creatura, et propter quem facta est omnis creatura, *scientiam habet vocis*, id est linguarum. Ac si diceretur : Spiritus Sanctus replens orbem terrarum, dedit discipulis Domini scientiam linguarum, ut linguis omnium Gentium loquerentur. Tunc etenim Ecclesia in una gente erat ; cumque loquerentur linguis omnium, significabatur, quod Ecclesia crescendo per omnes Gentes linguis omnium locutura esset, quia jam Ecclesia linguas omnium habet. Ubi ergo jam omnes linguæ loquebantur, omnes linguæ crediturae ostendebantur. Ipsa autem species creaturæ in qua Spiritus Sanctus visibiliter descendit, ad quem usum tunc in Apostolos descenderit expressit, ut scilicet ori verbum, intellectui lucem, et affectui ardorem, et cordi robur ministraret. Lingua enim verba explicat, ignis vero illuminat, calefacit, et testam roborat. Sed ad alium usum, scilicet ad relaxandum peccata datus fuit, quando post Resurrectionem suam Dominus Apostolis insufflavit, et dixit : *Accipite Spiritum Sanctum* ; *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*, *et quorum retinueritis*, *retenta sunt*.

3 Spiritus Sanctus bis missus est super Christum et super Apostolos. — Ubi notandum, quod Spiritus Sanctus bis missus est super Christum, et bis super discipulos. Super Christum quidem : primo in specie columbæ in Baptismo, secundo in specie nubis in transfiguratione : quia gratia Christi, quæ datur per Spiritum Sanctum, derivanda erat ad nos per propagationem gratiæ in sacramentis, et sic descendit in specie columbæ, quæ est animal fœcundum ; et per doctrinam, et sic descendit in nube lucida, unde et ibi ostenditur doctor : *Ipsum*, inquit, *audite*. Super Apostolos autem primo descendit in flatu, ad significandum propagationem gratiæ in Sacramentis, cujus ipsi ministri erant, unde dicitur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. ; secundo, in linguis igneis, ad significandum propagationem gratiæ per doctrinam, unde postquam *repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, statim *cœperunt loqui variis linguis*, etc... Bis ergo, secundum *Gregorium*, scriptum legimus Apostolos manifesta donatione Spiritum Sanctum accepisse : primum, Domino consistente in terra, per insufflationem ; postmodum præsidente in cœlo, in variis linguis per ignem : quia caritas, quæ in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffunditur, duobus præceptis, scilicet dilectione Dei et proximi, impletur. In terra datur Spiritus, ut diligatur proximus ; e cœlo datur Spiritus, ut diligatur Deus ; et sicut una est caritas et duo præcepta, ita unus Spiritus, et duo data. Et quia per dilectionem proximi, pervenitur ad dilectionem Dei, recte primo datur Spiritus in terra, et postmodum e cœlo ; sicut enim ait Joannes : *Qui non diligit fratrem suum quem videt*, *Deum*, *quem non videt*, *quomodo potest diligere?* Insuper etiam datus est Apostolis Spiritus Sanctus ante Passionem, ad purgandum quando fuerunt baptizati, et ad faciendum miracula quando ad prædicandum sunt missi ; et dictum est eis : ægros sanate, et dæmones ejicite, mortuos suscitate. Unde *Hieronymus* : « Ego quidem audacter pronuntio Apostolos ex eo tempore, quo crediderunt Domino semper Spiritum Sanctum habuisse, nec absque ejus gratia signa facere potuisse ; sed eum pro modulo atque mensura recepisse. Primo autem die Resurrectionis ejus acceperunt gratiam Sancti Spiritus, qua peccata dimitterent et baptizarent, ac Spiritum adoptionis credentibus traderent ; die vero Pentecostes eis amplius repromissum est, videlicet quod virtutem ex alto reciperent, qua et Evangelium Christi cunctis Gentibus prædicarent. » Unde et *Leo* Papa : « Non igitur ambigamus, quod cum in die Pentecostes implevit discipulos Domini Spiritus Sanctus, non fuit hujus inchoatio muneris, sed adjectio largitatis. Nam et Patriarchæ, et Prophetæ, et

sacerdotes, omnesque priorum temporum Sancti sunt ejusdem Spiritus Sancti sanctificatione vegetati; et sine hac gratia, nulla umquam sunt instituta sacramenta, nullaque celebrata sunt mysteria, ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum : » hæc *Leo*.

4 Duplex Spiritus Sancti missio : visibilis et invisibilis. — Et sciendum, quod Spiritus Sanctus datur, seu mittitur visibiliter et invisibiliter. Visibiliter mittitur, cum in aliquo signo visibili demonstratur. Est autem in quintuplici specie demonstratus : primo, in specie columbæ super Christum baptizatum; secundo, in specie nubis lucidæ, super Christum transfiguratum; tertio, in specie flatus, quando Jesus insufflavit et dedit Spiritum Sanctum ipso die Paschatis; quarto et quinto, in specie ignis et linguæ, in qua duplici specie apparuit hodierna die. — Invisibiliter autem mittitur, cum ad sanctificandum creaturam mentibus castis illabitur; unde dicitur : *Spiritus ubi vult spirat*, *et vocem ejus audis*, *sed nescis unde veniat*, *aut quod vadat*. Nec mirum : « Quia, ut dicit *Bernardus*, de verbo invisibili per oculos non intravit, quia non est coloratum; sed neque per aures, quia non insonuit; neque per nares, quia non aeri miscetur, sed menti; neque per fauces, quia non est mansum, id est comestum vel haustum; nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Quæres igitur, cum sint investigabiles viæ ipsius, unde illud adesse noverim? Nempe ex motu cordis intellexi præsentiam ejus, et ex fuga vitiorum carnaliumque compressione affectuum, adverti potentiam virtutis ejus; et ex discussione sive redargutione occultorum meorum, admiratus sum profunditatem sapientiæ ejus; et ex quantulacumque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis ejus; et ex reformatione et renovatione spiritus mentis meæ, percepi utcumque speciem decoris ejus; et ex contuitu omnium horum simul, expavi multitudinem magnitudinis ejus : » hæc *Bernardus*. Unde et *Chrysostomus* : « Si quando boni aliquid cogitamus, sciamus quia Spiritus Sanctus habitat in nobis; si vero aliquid mali, signum est quod Spiritus Sanctus recessit a nobis. » Unde etiam *Augustinus* : « Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus Sanctus, et loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus Sanctus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempore opportuno. Oportebat enim ita significare in omnibus linguis Spiritum Sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, et transiit. Si ergo per hæc miracula non fiat modo testimonium præsentiæ Spiritus Sancti, unde fit? Unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum Sanctum? Interroget cor suum, si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Videat, probet seipsum coram oculis Dei; videat si est in illo dilectio pacis et unitatis, et dilectio Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ. Non attendat eum solum diligere fratrem, quem attendit ante se. Multos enim fratres nostros non videmus, et in unitate Spiritus illis copulamur. Quid mirum, quia nobiscum non sunt? In uno corpore sumus, unum caput habemus in cœlo, ergo si vis nosse quia accepisti Spiritum Sanctum, interroga cor tuum; si est tibi dilectio fratris, securus jam esto, non potest esse dilectio sine Spiritu Dei, quia Paulus clamat : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, *per Spiritum Sanctum*, *qui datus est nobis* : » hæc *Augustinus*. Missio ergo Spiritus Sancti invisibilis fit in habitatione creaturæ rationalis, sed missio visibilis fit ad inhabitationem demonstrandam aliis.

5 Signa tria præsentiæ Spiritus Sancti, quoad incipientes. — Et notandum, quod Spiritum Sanctum alicui inesse certitudinaliter scire non possumus, quia Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat. Conjecturaliter tamen possumus colligere aliqua signa per effectus, ex quibus utcumque conjicere possumus Spiritum Sanctum alicui adesse vel

inesse, et hoc differenter, secundum triplicem statum, scilicet : incipientium et proficientium et perfectorum. Nam, secundum cujuslibet status exigentiam, Spiritus Sanctus diversimode in hominibus operatur ; et secundum hoc diversimode signa præsentiæ ipsius accipiuntur. Nam Spiritus Sanctus spirat, inhabitat, et replet. Spirat, quoad incipientes; inhabitat, quoad proficientes; replet vero, quoad perfectos. Signa autem Spiritus Sancti quibus spirat, scilicet, quoad incipientes, secundum *Bernardum*, tria sunt. — Primum, est dolor de culpa præterita, quia Spiritus Sanctus odit sordes, nec habitare potest in corpore subdito peccatis. — Secundum signum, est firmum propositum, cavendi futura, cum effectu; quod nullatenus haberi potest conatu proprio, sine Spiritu Sancto per gratiam assistente, et infirmitatem nostram adjuvante. — Tertium est promptitudo boni, quia, secundum *Gregorium*, amor Dei, qui est Spiritus Sanctus numquam est otiosus : operatur enim magna, si est.

6 Item, quoad proficientes. — Quoad proficientes vero sunt tria alia signa, ex quibus conjicitur Spiritum Sanctum eos inhabitare. — Primum, est frequens et justa conscientiæ examinatio, non solum de peccatis mortalibus, imo de venialibus, quia sicut Spiritus Sanctus opponitur peccato mortali, ita fervor caritatis, qui est ex Spiritu Sancto, opponitur peccato veniali, ut ipsum ab anima expellat, ne Spiritui Sancto displiceat. — Secundum signum, est concupiscentiæ diminutio, quanto enim in proficiente caritas semper augetur, tanto cor a temporalibus elongatur. Unde dicit *Augustinus* : « Quemadmodum caritatis venenum est concupiscentia temporalium ; sic nutrimentum caritatis, est diminutio cupiditatis. » — Tertium signum, est mandatorum observatio, quia observatio mandatorum sine vera dilectione esse non potest Et ponit de hoc exemplum idem *Augustinus* : « Quis est, inquit, qui dicit : Diligo Imperatorem, sed odi legem suam ? Si ergo te dicis diligere Deum, mandata ejus observa : » hæc *Augustinus*.

7 Item, quoad perfectos. — Quoad perfectos autem sunt alia tria signa, ex quibus conjecturatur Spiritus Sanctus eos replevisse. Primum est, divinæ veritatis manifestatio, cum enim Spiritus Sanctus sit Spiritus veritatis, proprium est sibi docere omnem veritatem ; et ideo in quocumque fuerit Spiritus Sanctus, per aliquas revelationes divinorum secretorum se pandit, et illi tamquam amico secreto communicat. — Secundum signum est, nihil timere nisi solum Deum ; *perfecta* enim *caritas foras mittit timorem*, hæc enim nihil pœnale habet, timor autem pœnam habet; unde Apostolus : *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, libertas autem non stat cum timore servili. — Tertium signum est desiderium dissolutionis, ut videlicet homo ex vehementia divini amoris cupiat dissolvi et esse cum Christo, quia Spiritus Sanctus levat mentem ad desiderium supernorum. Felix ergo anima, quæ cupit dissolvi et esse cum Christo, quoniam certissimum habet signum quod Spiritus Sanctus eam repleverit.

8 Item, quoad omnes cujuscumque sint status. — Præter prædicta autem signa sunt alia tria, per quæ quis potest conjicere se Spiritum Sanctum habere, ideo enim Spiritus Sanctus in triplici signo apparuit, scilicet : in specie nubis, super Christum transfiguratum ; in specie columbæ, super Christum baptizatum ; et in specie ignis, super Apostolorum collegium congregatum. — Primum ergo signum, est abundantia lacrymarum, et ideo apparuit in specie nubis : sicut enim, adveniente Austro, nubes resolvuntur, in pluvias ; sic adveniente Spiritu Sancto, mentes resolvuntur in lacrymas. — Secundum signum, est dimissio injuriarum, et ideo apparuit in specie columbæ : sicut enim columba felle caret ; sic Spiritus Sanctus caritatem in cordibus infundens fugat odia, omnemque rancorem expellit. — Tertium signum, est desiderium supernorum, et ideo apparuit in specie ignis : sicut enim ignis sursum tendit ; sic Spiritus Sanctus corda sursum elevare facit.

9 Homines carnales non sunt Spiritus Sancti capaces. — *Erant autem in Jerusalem habitantes. Judæi viri religiosi*, et præter illos multi alii fere *ex omni natione quæ sub cœlo est*, supervenientes; quia multis captivitatibus Judæi dispersi fuerant, et modo, ordinante Deo, ad diem festum omnes convenerant. Audito ergo fragore et sono venti, qui supra cœnaculum in aere sonuerat, in tantum quod per totam Civitatem audiri poterat, convenerunt omnes ad discipulos, et mirati sunt. *Facta autem hac voce, convenit multitudo et mente confusa est : quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes... Alii autem irridentes* eos, *dicebant : Quia musto pleni sunt isti*, id est vehementer ebrii, quia multo vehementior est ebrietas de musto, quam de vino defæcato. Et quamvis hoc irridendo dicerent, tamen verum erat; quia non vino veteri, quod in nuptiis fuit, sed musto gratiæ spiritualis erant impleti, de quo dicitur alibi : *Nemo mittit vinum novum in utres veteres.* Tunc surrexit Petrus cum undecim, ostendens eos non ebrios, cum sit hora diei tertia, et nondum tempus comedendi, nec solebant inebriari jejuni; sed potius Spiritu Sancto repletos et revera prophetatum esse a Joel Spiritus Sancti adventum super homines. Tunc ergo Christus, qui ascenderat, *dedit dona*, id est Spiritum Sanctum *hominibus*, quoniam omnia nostra bona desursum sunt, quo ipse ascendit. Tunc implevit quod ante Passionem promiserat, dicens : *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*; *si autem abiero, mittam eum ad vos.* Si carni carnaliter adhæseritis, capaces spiritus non eritis. Sensus est : Non potestis plene capere Spiritum, quamdiu, secundum carnem, sum vobiscum; unde ille qui jam ceperat Spiritum, ait : *Et si cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc jam non novimus.* Ubi attendant carnalibus desideriis et delectationibus dediti, verbum *Bernardi* dicentis : « Si Apostoli carni adhuc Dominicæ adhærentes, quæ sola sancta, quia Sancti sanctorum erat, Spiritu Sancto repleri nequiverant, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordida est, et diversarum spurcitiarum phantasiis repleta, astrictus et conglutinatus, illum veracissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi istis carnalibus consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Revera cum inceperis, tristitia implebit cor tuum; sed, si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, et voluntas renovabitur, vel nova creabitur; et erit ut quæ prius difficilia, imo impossibilia videbantur, cum multa percurrant dulcedine et aviditate : » hæc *Bernardus*. Si ergo delectationes spiritus desideras, delectationes carnis respuere debes, quia, ut ait *Gregorius* : « Si carni quodlibet abscindimus, mox in spiritu quod delectat invenimus. » Sed heu! pauci sunt spirituales hodie, et delectationes spiritus delectationibus carnis præferentes, licet multi deferant habitum spiritualem.

10 Spiritualis hominis signa et conditiones. — Possunt autem spirituales et carnales cognosci, ex verbis Apostoli, dicentis : *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt*; *qui vero secundum spiritum, quæ Spiritus sunt, sentiunt* Specialiter tamen ex quibusdam probatur homo vere spiritualis, videlicet : si tam cito et tantum fugit locum ubi lædi potest in spiritu, sicut ubi offendi potest in corpore; et si tam libenter studet medicari spiritui, sicut corpori, quia quanto dignior est spiritus corpore, tanto magis cavendum est spiritui, quam corpori a læsione. Item, si cibus spiritualis, sive sit oratio, sive prædicatio, sive Sacra Scriptura, sive lectio, sive Corpus Christi, sive divinum officium, tantum delectat et confortat spiritum, sicut corporalis cibus corpus; et si tam invitus negligit tempus cibi spiritualis, sicut tempus cibi corporalis. Item, si tam diligens est circa Spiritum, sicut homo carnalis circa carnem. Solliciti enim sunt homines carnales, ut in singulis temporibus habeant necessitates corporis in victu et vestitu, hieme et æstate competentibus; ita spiritualis homo sollicitari debet, qua gratia indigeat in adversi-

tate, et qua in prosperitate, qua egeat ad amicos, et qua ad inimicos, quomodo habeat se solus cum Deo, et quomodo inter homines conversando; et sic de ceteris. Sed *quis est hic, et laudabimus eum?* Quamvis enim aliqui hujus temporis viri bona operentur, dimidii tamen operis sunt : quia alii largitatis gratiam sunt adepti, sed carnis incontinentia sunt lubrici; alii vero corpore quidem sunt casti, sed avaritiæ æstibus sunt cupidi; alii autem gratiam lenitatis habentes, sed rancore animi sunt pusillanimes; alii vero non recordando injurias suas cito ignoscunt, sed minus caute cor custodiendo citiusque irascendo rixas provocant; alii, quod Deus singulis largiendo donavit, in hoc quasi proprio labore acquirentes gloriantur; alii corpus in abstinentia affligunt, sed superbiam, avaritiam, invidiam, et alia nefanda admittunt, vel detrahendo proximo, quasi carnes illius cum sanguine comedunt. Et sic in multis hodie : *Qui optimus in eis est, quasi paliurus*; *et rectus, quasi spina de sepe.* Sciendum autem quod plura sunt necessaria homini volenti proficere, et in vita spirituali Deo servire : primum est, clara et perfecta notitia suorum defectuum et infirmitatum; secundum est, ira magna et fervens contra suas naturales malas inclinationes et voluntates; tertium est, timor magnus, quem debet habere de offensis hactenus contra Deum factis, quia non est certus, an bene satisfacerit, et si cum Deo pacem fecerit; quartum est, magnus timor et tremor qui debet esse in ipso, ne per suam fragilitatem relabatur iterum in similibus, vel majoribus peccatis; quintum est, fortis disciplina, aspera correctio ad regendum quinque sensus corporales, et totum suum corpus subjugandum in obsequium Jesu Christi; sextum, vitare virtuose omnem personam, et omnem aliam creaturam, quæ impellit eum non solum ad peccatum, sed etiam ad aliquam imperfectionem spiritualis vitæ, sicut unum dæmonem infernalem; septimum est, dulcis et continua recordatio beneficiorum Dei, quæ hactenus recepit, et quotidie recipit a Domino Jesu Christo, cum gratiarum actione; octavum est, nocte et die stare in oratione; nonum est, quod portet super se crucem Christi, quæ quatuor habet brachia : quorum primum est, mortificatio mortalium vitiorum, secundum, derelictio omnium bonorum temporalium, tertium, præcisio omnium affectum carnalium amicorum, quartum, suiipsius contemptus, abominatio et annihilatio.

11 Spiritus Sancti efficacia. — Discipuli itaque Spiritus Sancti virtute edocti et illuminati, accensi et adjuti, confortati et roborati, consolati et omni gaudio repleti, cum pauci essent et simplices, totum mundum concusserunt, et pro magna parte subjecerunt; partimque verbis ignitis, partim perfectis exemplis, partim mirandis prodigiis, per totum mundum Ecclesiam plantaverunt; quæ et ejusdem Spiritus Sancti virtute purgata, illuminata atque perfecta, amabilis facta est sponso, ejusque paranymphis, ut speciosa nimis miraque varietate circumdata, Satanæ vero et angelis ejus, terribilis ut castrorum acies ordinata. *Illi* quidem, scilicet discipuli *profecti* sunt, non tam passibus pedum, quam passibus virtutum, secundum supra dictum Christi mandatum, non immediate post Ascensionem, sed post Sancti Spiritus acceptionem; neque statim, accepto Spiritu Sancto, divisi sunt per mundum, sed perduraverunt adhuc circiter duodecim annis in Judæa; et deinde solemnis divisio eorum facta est per orbem universum, cum catenus tantum in Judæa prædicassent; sicque profecti et divisi, *prædicaverunt* intelligenda et credenda, agenda et appetenda, *ubique* per orbem universum, *Domino*, sine quo nihil facere poterant, *cooperante*, hoc est, virtutem operis ministrante, *et sermonem confirmante, sequentibus signis*; ut in virtute nominis Jesu Christi imperarent omnibus creaturis et morbis. Nam, ut prædicationis eorum doctrina credibilis fieret et firma, adhibita sunt signa et miracula: sermo enim qui super naturam et rationem est, non nisi signis confirmari potest.

Unde *Gregorius :* « Præceptum obedientia sequitur, obedientiam signa comitantur. » Sicut vero tunc confirmata est prædicatio signis; ita nunc quemlibet prædicatorem sermonem confirmare oportet signis bonæ operationis. Unde *Theophilus :* « Sciendum autem est et hoc, quod nunc sermo per opera confirmatur, sicut in Apostolis opera confirmabant sermonem, sequentibus signis. Fiat autem, o Christe, ut nostri sermones quos de virtute dicimus, per opera confirmentur et actus ; ut tandem simus perfecti te cooperante in omnibus verbis et operibus : quia te decet sermonum et operum gloria, cum sis virtus Dei, et sapientia in secula seculorum : » hæc *Theophilus :* Et tunc impleta est prophetia, quæ ait : *In omnem terram exivit sonus eorum*; *et in fines orbis terræ verba eorum.* Seminavit quidem igneus, ac sanctificus Spiritus in Apostolorum corda sermones, et ut sapiens adinventor duodecim tibias fidei in organo positas novo flatu implevit, diversisque spiritualibus currens in fistulis Apostolicis, cunctis verba divinæ virtutis sparsit, omnes Gentes delectabilem invitavit ad sonum, et sanctissimæ Trinitatis prædicavit mysterium.

12 Missio Spiritus Sancti cur dilata et quinquagesimo die facta ? — Effectus igitur et fructus non modicus ex hoc subsecutus, ostendit quam magna veneratione sit digna solemnitas hodierna. Unde *Gregorius :* « Pensate, fratres carissimi, post Incarnationem unigeniti Filii Dei, qualis sit hodierna solemnitas de adventu Spiritus Sancti. Sicut enim illa, ita quoque et hæc est honorabilis. In illa quippe Deus in se permanens suscepit hominem, in ista vero homines venientem desuper susceperunt Deum. In illa Deus naturaliter factus est homo; in ista homines facti sunt per adoptionem dii. Pensate, fratres, quanta sit ista solemnitas, habere in cordis hospitio adventum Dei. Tergat ergo sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis : » hæc *Gregorius.* Et notandum quod non statim post suam gloriosam Ascensionem, sed post decem dies misit Dominus Jesus Spiritum Sanctum : primo, ut Apostoli jejuniis et orationibus se aptos ejus adventui præpararent; secundo, quod hi Spiritum Sanctum perciperent, qui decem præcepta explerent. Misit autem quinquagesimo die a Resurrectione, ut sicut populus Judæorum post liberationem suam ab Ægypto, quinquagesimo die accepit Legem timoris, ita populus fidelium post liberationem suam a mundo quinquagesimo die, acciperet Legem amoris. In jubileo etiam, id est in quinquagesimo anno recepit populus Judæorum libertatem amissam et hereditatem ; ita hac die recepit populus Christianus libertatem amissam, et paradisi hereditatem. Dies ergo Pentecostes erat apud Judæos celebris, quia tunc descendit Dominus super montem Sinai in flamma ignis, et cunctis audientibus, dedit Legem eis. Ita quinquagesimo die a Pascha, Spiritus Sanctus in monte Sion, super discipulos in linguis igneis descendit ; et Legem novam gratiæ spiritualis eorum mentibus impressit. Unde *Beda :* « Hæc nimirum solemnitas non tantum charismatibus consecrata est Evangelicis, verum etiam legalibus jam olim est præsignata mysteriis ; ac Domino jubente, per omnes annos sacris observata ceremoniis. Liberati quippe ab Ægyptiaca servitute filii Israel, per immolationem agni paschalis exierunt in desertum, ut venirent ad terram repromissionis, perveneruntque ad montem Sinai ; et descendens Dominus in igne super montem, quinquagesima die Paschæ peracta, Legis decalogum eis disposuit ; atque in memoriam datæ Legis statuit eo die per annos singulos sacrificium sibi de frugibus ejusdem anni ad altare deferri. Quæ autem sit agni paschalis immolatio, Ægyptiacæ servitutis absolutio, cunctis legentibus liquet : quia videlicet *Pascha nostrum immolatus est Christus* ; et ipse verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi, qui sui sanguinis pretio nos a peccatorum servitute redemit ; suæ Resurrectionis exemplo nobis spem vitæ et perpetuæ libertatis ostendit. Quinquagesimo ergo die post occisi-

onem agni data est Lex, descendente Domino super montem in igne; et quinquagesimo æque die post Resurrectionem nostri Redemptoris, data est gratia Spiritus Sancti discipulis in cœnaculo constitutis. Hic autem altitudo cœnaculi, et ibi cacumen montis sublimitatem præceptorum et donorum indicat cœlestium. et quia nemo infimis adhuc desideriis inhærens, vel divinis obtemperare mandatis, vel supernis possit dignus existere donis : » hæc *Beda.*

13 Figuræ missionis et efficaciæ Spiritus Sancti. — Sic ergo Spiritus Sancti missio fuit in Legis datione præfigurata, et festum Pentecostes, quod modo peragitur ab Ecclesia, olim quasi figuraliter peragebatur a synagoga. Quinquagesima ergo die, postquam Judæi de Ægypto exierunt, decem præcepta in monte Sinai a Domino receperunt; ita quinquagesima die postquam nos fuimus ab inferno liberati, receperunt discipuli gratiam Spiritus Sancti. Istud etiam præfiguratum fuit in superabundantia olei. quod datum est pauperculæ viduæ per preces Elisæi Prophetæ, qui misericordia motus super pauperculam, impetravit ei a Domino olei abundantiam. Per viduam ista mdesignatur sancta Ecclesia, quæ ablato sponso suo Christo, videbatur tamquam vidua; sed Dominus misericordia motus dedit ei olei abundantiam, hoc est Spiritus Sancti gratiam, et linguarum intelligentiam. Istud miraculum de intelligentia linguarum, quasi per figuram Deus præmonstravit in eo quod in ædificatione turris Babel diversas linguas creavit. Tunc enim unam linguam in diversas mutavit; modo unicuique intelligentiam omnium illarum dedit, nec miraculum istud nunc fecisset, si divisionem linguarum tunc non præmisisset; et sicut tunc per linguas confudit ædificantes, ita nunc per linguas confudit Judæos, qui multum confusi fuerunt, quando tam grande tamque novum miraculum audierunt.

14 Deus semper est laudandus. — In hac ergo solemnitate laudemus totis viribus Dominum, exsultemus et lætemur in ea, quia inde fructum non modicum, nos qui ad fidem venimus, consecuti sumus. Non solum autem hominibus gaudium in hac solemnitate provenit sed et Beatæ Virginis gaudium inde crementum accepit; de qua *Anselmus* sic ait : « Sed et gaudiorum suorum magnitudo nonnihil incrementi accepit, cum veniente super discipulos Spiritu Sancto, mox ad prædicationem illorum, fidem Filii sui tanta hominum multitudo suscepit. Ibi namque, excepto gaudio, quod de salute generis humani in istorum conversione concipiebat, intellexit Filium suum non fuisse gratis, id est frustra mortuum, cum tam efficaciter videbat operari fidem mortis ejus, etiam in eis qui actores illius exstiterant. Genus humanum ad salutem vocari videbat, cujus rei gratia Filium de se incorporatum, et in cruce passum ante intellexerat; quapropter lætabatur quod spes, quam ante conceperat, jam in rem veram transibat. Gaudebant et gaudent homines : quia quod amiserunt, centuplicati pretii fœnore recipiunt; corruerunt servi, resurgunt fratres et filii : » hæc *Anselmus.* Et, quamvis præcipue et specialiter in solemnitatibus, nihilominus tamen, semper et momentis omnibus Deum laudare debemus. Nam, ut dicit *Gregorius,* mirum est, quod homo semper Deum non laudat, quia quælibet creatura ad Deum laudandum nos invitat. Ad hoc autem nobis valde est necessaria Spiritus Sancti gratia. Unde *Bernardus :* « Si quis torpet de Dei laude, certissimum habet in se experimentum, quod non habeat in se Spiritum Sanctum, quia ubi Spiritus Sanctus inhabitat, laudem Dei excitat. » Invocantes ergo Spiritum Sanctum, semper laudemus Deum ad hoc enim facti sumus, ut Deum, sine fine laudemus; sicut superni cives semper Deum laudant, et continue, ubi semper sunt dies lætitiæ, et numquam deest solemnitas, et gratiarum actio, et vox laudis, scriptum est enim : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Hoc maxime veri monachi faciunt,

qui die ac nocte psallunt. Unde dicit *Hieronymus* : « Monachi debent habere puritatem Martyrum, siquidem et ipsi martyres sunt. Quod enim faciunt Angeli in cœlis, hoc monachi psallentes die ac nocte faciunt in terris : » hæc *Hieronymus*. Et hoc maxime assimilat nos cœlestibus, quamvis adhuc in terris peregrini simus. Unde *Bernardus* : « Nihil ita proprie quemdam terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, dicente Scriptura : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te* : » hæc *Bernardus*.

15 Amanda sunt cœlestia. — Festinemus igitur et nos ingredi in illam requiem, ubi tanta superabundat indesinenter lætitia, et ad patriam nostram totis conatibus semper suspiremus. Mœsti in seculo, quia peregrinamur a Domino, qui enim non peregrinatur a corpore suo, peregrinatur Domino. Multo autem melius est dissolvi a corpore, et adhærere Deo. Odiamus ergo hujus miseri et putridi corporis nostri compagem, et ei curam in desideriis non faciamus, quod hic nos detinet carceratos et peregrinos a tanto bono, quia, secundum Apostolum, *Quamdiu in hoc corpore sumus, peregrinamur a Domino*; dicamusque cum eodem Apostolo : *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo*; et iterum : *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Desideremus ejus dissolutionem, et eam continue a Domino postulemus, quia per nos ipsam consequi non valemus. Et interim saltem moriamur mundo, et pompis, ac concupiscentiis ejus, et abstrahamus nos corde forti et perseveranti ab his rebus caducis, et a miseriis brevibus, et levibus harum rerum visibilium solatiunculis, quæ animas nostras vitiis inficiunt, et virtutes a nobis excludunt : quia, secundum *Gregorium*, concupiscens visibilia invisibiles virtutes amittit ; et secundum *Chrysostomum*, nulla res sic præpedit virtutem, sicut voluptas corporalis. Unde ait *Leo* Papa : « Hoc maxime interiora hominis corrumpit, quod exteriora delectat; et tanto rationalis anima purgatior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. » Et breviter, ut ait *Augustinus* : « Cetera creatura vilescat, ut solus Creator in corde dulcescat. Nam, secundum Apostolum, vanitati creatura subjecta est, et ideo amatores suos facit vanos, et multos decipit incautos. » O quam felix, quem misera mundi vanitas non seduxit, quæ nunc præcipue multis illudit ! Unde *Chrysostomus* : « Semper quidem, sed nunc præcipue competenter, dicitur : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*. Hunc versiculum si saperent, qui in potentia versantur, in parietibus omnibus et vestibus suis scriberent, in domo, in januis, in ingressibus, et ante omnia in conscientiis suis, ut semper enim oculis suis cernerent, et corde sentirent Quoniam quidem multæ sunt facies, et multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos; istud oportet quotidie recitare carmen, et in prandiis, et in cœnis; et in omnium conventu unumquemque proximo suo canere et a proximo suo libenter audire, quia vanitas vanitatum est, atque omnia vanitas : » hæc *Chrysostomus*. Amorem ergo rerum deficientium ad incorruptibilia transferamus; et, qui sumus ad sublimia vocati, cœlestibus delectemur. Ut Sancti gaudent, inde et nos gaudeamus ; horum divitias concupiscentes, per bonam æmulationem ad ipsos tendamus; cum quibus nobis fuerit consortium devotionis, erit et communio dignitatis. Mentem nostram semper in cœlis habeamus, et ad Dominum multifarie nos vocantem, toto corde et desiderio tendamus. Quia, ut ait *Augustinus* : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam;* non enim tardavit, sed cucurrit clamans dictis, factis, vita, morte, descensu, ascensu, ut redeamus ad eum; et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor, et inveniamus eum. Ad ipsum quoque aspicientes, et eum semper in corde retinentes pugnemus viriliter, quia tota hæc præsens vita militia est, ac conflictus, et pugna. Nam prospera et adversa, fervor et tepiditas, refectio et inedia, sopor et vigilia, sollicitudo et pigritia, fletus et

lætitia, quies et labor, salus et infirmitas, afflictio et voluptas, et quæcumque in hoc mundo sunt, pugnant contra nos, et insidiantur nobis. Et, quia numquam deest adversarius nobis insidiando, sit semper paratus noster animus resistendo, quia certamen nostrum breve est, præmium vero æternum Nec umquam a pugna cessemus, quia quantumcumque vicerimus, semper tamen restat quod vincamus. Unde *Leo* Papa : « Donet licet Sanctis suis quotidianam gratia divina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam, quia et hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio superbiret, semper voluit superesse quod vinceret : » hæc *Leo* Papa.) Unde dicit et *Chrysostomus* : « Sancti etsi a carne vinci non possunt, quasi jam spirituales, tamen percuti possunt, quasi adhuc carnales : » hæc *Chrysostomus*.

16 Toleranda sunt omnia ob gloriam cœlestem. — Igitur quidquid delectamenti, vel cruciatus transitorii occurrit, statim hoc tamquam præteritum reputemus, et ad id quod semper manet mentis oculos dirigamus. Nam, omnia quæ in mundo sunt, velut umbra, velociter transeunt, ita ut præterita sint, nec fuisse putentur. Et ideo momentaneum est, et cito transit, quod hic delectat et cruciat, sed æternum est et sine fine manet, quod ibi cruciat, vel delectat. Nec tamen digna facere, vel pati hic possumus ad ea, quæ ibi consequi, vel evadere speramus Unde *Bernardus* : « Non sunt condignæ Passiones hujus temporis, ad peccata quæ commisimus, ad beneficia quæ accipimus, ad pœnas inferni quas evasimus, ad præmia æterna quæ exspectamus : » hæc *Bernardus*. Tanta quippe est præeminentia æternæ gloriæ, ad temporales et transitorias passiones, ut diligens perspector deberet potius eligere multis annis in fornace ignis ardentis velle torqueri, et multa mala pati, quam minimo præmio in futuro sibi reservato velle privari, quia labor est cum fine, et merces sine fine. Unde *Augustinus* : « O anima mea, si quotidie oporteret nos pati tormenta, et perferre pœnas, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, ut Christum in gloria sua possemus videre, et Sanctis ejus associari, nonne esset dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur ? Insidientur ergo dæmones, parentque tentationes suas; frangant corpus jejunia, premant vestimenta, labores gravent, vigiliæque exsiccent ; inclamet me iste, inquietet me ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmer totus ; *deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus..... Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat : ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum.* » Unde et *Chrysostomus* : « Omnia agamus, ut non a gloria cœlesti excidamus. Nequaquam enim difficile, si voluerimus ; nequaquam onerosum, si attenderimus. *Si enim sustinebimus, et conregnabimus.* Quid est si sustinuerimus? Si tribulationes ferimus, si persecutiones, si arctam ambulaverimus viam ; arcta enim via est et laboriosa, optione vero nostra levior fit spe futurorum. Transponamus igitur oculos in cœlum, et semper illa imaginemur et videamus. Si enim in illis semper conversabimur, non a voluptuosis, quæ hic sunt patiemur quid, neque tristia ut gravia portabimus; hæc et his similia deridebimus, et nihil neque nos subjicere, neque nos elevare poterit, solum si desiderium illuc tenderimus, et si ad amorem illum aspiciemus. Et quid dico? Quoniam non dolebimus, in præsentibus versutiis. Neque enim videre ea putabimus de reliquo, tale enim est amor spiritualis. Eos denique, qui non præsentes sunt nobiscum, sed absunt, diliguntur autem, secundum unamquamque imaginamur diem; magna enim amoris tyrannis, ab omnibus enim desistit, et ei qui diligitur alligat animam. Si ita Christum Dominum amaverimus , omnia quæ hic sunt umbra, omnia imago videbuntur et somnium. Et dicemus et

nos : *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia*, etc. ? Non dixit : pecuniæ, vel divitiæ, vel pulchritudo, hæc enim valde vilia et derisibilia; sed, quæ videbantur esse gravia, posuit : fames, persecutiones, mortes; deinde ille quidem et hæc, ut nihil existentia exspuit. Hæc igitur omnia excogitantes, et voluptatem voluptati comparantes, eligamus quæ meliora sunt, ut et futuris fruamur bonis : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Jesu largitor donorum omnium, qui in ignis specie super discipulos tuos misisti Spiritum Sanctum, precor et obsecro, piissime, ut hæc dona quæ discipuli tui de tua sumpserunt largitate, licet indignus sumam ad salutem meam, te largiente; et mitte super nos servos tuos Spiritum tuæ caritatis, dilectionis, et pacis, qui corda nostra visitet, a vitiis purget, virtutibus illustret, in vinculo dilectionis astringat, lumine tuæ cognitionis illustret, et ardore tuæ dilectionis inflammet; condona nobis peccata, et dona vitam æternam. Amen.

# CAPUT LXXXV

## DE LAUDA DIVINA.

1 Laudis divinæ ad quam creati sumus commendatio.—Et, quia dictum est de laude divina, qua semper Deum laudare debemus, idcirco consequenter de ea aliquantulum latius videamus. Immensa quippe Creatoris et Conditoris tui beneficia, quæ tibi, o anima mea, ab eo, cum te ex nihilo creavit et condidit, collata sunt, ad debitum continuæ dilectionis, ac gratiarum actionis et laudis jugiter reddendum te astringunt. Ad hoc enim, cum non esses, sola et gratuita bonitate illius creata, et ad similitudinem Dei facta es, ut eum diligendo semper et sine fine collaudes. Unde *Anselmus* : « Evigila, anima mea, evigila; adhære divinis bonis, intende sempiternis, temporalibus derelictis. Considera in ipso creationis exordio, quid sublimitatis, ac quid dignitatis Conditor tibi contulerit; et perpende quo amore, qua veneratione colendus sit. Certe cum universitatem rerum visibilium et invisibilium, creans et ordinans humanam naturam facere disposuisset, summo consilio de tuæ conditionis dignitate tractavit, utpote quam ceteris creaturis, quæ in mundo sunt, altius honorare disposuit. Vide igitur sublimitatem tuæ creationis, et retracta debitum reddendi amoris. *Faciamus*, ait Deus, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Attende igitur diligenter quid sit, ad imaginem et similitudinem Dei te esse creatam. Agnosce aliud esse similitudinem, aliud imaginem : potest verbi gratia habere similitudinem quamdam cum homine equus, bos et ceteræ similes creaturæ; imaginem vero hominis non habet, nisi alter homo. Manducat homo manducat et equus, ecce quædam similitudo ac communis inter naturas diversas; imaginem vero hominis non imitatur, nisi alter homo ejusdem naturæ, cujus imago est. Dignior igitur est imago, quam similitudo. Similitudinem itaque ad Deum, hoc modo habere poterimus : si eum esse bonum considerantes, nos boni esse studuerimus, si eum justum esse cognoscentes, nos justi esse contenda-

mus, si misericordiam contemplantes nos misericordiæ operam demus. Quomodo autem ad imaginem suam, attende. Deus semper meminit sui, intelligit se, et amat se. Et tu ergo, si pro modulo tuo infatigabiliter memor fueris Dei, intellexeris Deum, et amaveris Deum, eris ad imaginem ejus, quia hoc facere niteris, quod semper facit Deus. Ad memorandum ergo et intelligendum, atque amandum summum bonum, totum debet homo referre quod vivit. Ad hoc omnis cogitatio, omnis voluntas cordis retorqueatur, arceatur, confirmetur, ut infatigabili affectu sis memor Dei ; intelligas Deum, ames Deum : et tuæ creationis dignitatem, qua ad imaginem Dei creata es, salubriter exprimis. Utquid enim te Deus tam præclaro conditionis privilegio sublimaret, nisi te suis laudibus indesinenter intendere vellet? Ad laudandum igitur Conditorem tuum creata es, ut ejus laudibus vacans, et hic justitiæ merito in illum semper proficias, et in futuro beate vivas ; laus enim ejus et hic justitiam, et ibi beatitudinem tribuit. Sed, si laudas, ex toto corde lauda, diligendo lauda. Hæc enim est Sanctis laudandi proposita regula : *De omni corde suo laudavit Dominum* ; *et dilexit Deum, qui fecit illum* Lauda ergo ex toto corde, lauda, et quem laudas dilige : quia ad hoc facta es, ut laudes et diligas. Laudat namque, sed ex toto corde non laudat, quem ad benedicendum Deum prospera demulcent, sed a benedicendi munere adversa restringunt. Laudat quoque, sed non diligit, qui in Dei laudibus aliud quam ipsum laudando requirit. Lauda igitur, et digne lauda, ut nulla in te cura, nulla intentio, nulla cogitatio, nulla sollicitudo mentis, in quantum tibi virtus suppetit, a laude Dei sit vacua. Ab ejus laude nulla te hujusce vitæ prosperitas revocet, nulla compescat adversitas ; sic enim ex toto corde laudabis Dominum. Sed cum ex toto corde eum laudaveris, et diligens lauda, nil aliud ab eo quam ipsum expetens, ut ipse sit finis desiderii tui, ipse præmium laboris, ipse solatium hujus umbratilis vitæ, ipse possessio illius beatæ vitæ. Ad hoc itaque facta es, ut eum sine fine collaudes ; quod tunc utique intelliges plenius, cum ejus beata visione sublimata, videbis te sola et gratuita bonitate illius, cum non esses, de nihilo ad tam beatam et tam ineffabilem beatitudinem creatam, vocatam, justificatam, atque glorificatam. Talis namque contemplatio infatigabilem tibi amorem dabit eum sine fine laudandi, ex quo, et per quem, et in quo tantis, et tam immutabilibus bonis te beatificatam gaudebis : » hæc *Anselmus*. Non solum autem hæc præmissa, sed maxima quoque Redemptoris et Salvatoris tui beneficia, quibus te, cum perdita esses, redemit et salvavit, ac multifarie multisque modis visitavit et sublimavit, ad laudandum Deum te provocant multipliciter, et obligant. Exerce ergo te in laude divina, quia ad hoc tibi membra sunt data, ut Deo laudes canas, et gratias ei referas. Unde *Chrysostomus :* « Nam et oculos, et os, et auditum propterea in nobis posuit Deus, ut omnia ipsi membra servirent : ut quæ sunt ipsius audiamus, quæ sunt ipsius loquamur, quæ sunt ipsius operemur ; eique laudes canamus assiduas, et gratias per cuncta referamus, perque hæc omnia conscientiæ nostræ secreta mundemus : » hæc *Chrysostomus*.

2 Humiliare debet semetipsum, qui vult Deum laudare. — Ut autem melius in laude divina te valeas exercere, prius humilia te Deo valde ; et dic ex intimis præcordiis tuis humiliter et devote : O Pater misericordiarum, scio et vere cognosco, quod me peccatorem miserum magis deceret coram te jacere prostratum, et cum fletu ac gemitu peccatorum veniam flagitare, quam te ore polluto laudare. Sed tamen, de tua piissima bonitate, et ingenita dulcedine, omnibusque mortalibus promulgata virtute confisus, teipsum laudare cupio ex intimis præcordiis, obsecrans viscera miserationum tuarum, ut me vermem immundum, canem mortuum, et cadaver putridum non despicias, Domine Deus meus. Namque, si Virtu-

tes cœlorum te condigne laudare nequeunt, quantominus homo fragilis, putredo et vermis? Bonorum quidem meorum non eges; sed tuam superexcellentem bonitatem tanto nobis manifestiorem facis, quanto infirmitatibus nostris magis miserando condescendis, et gratiam gratis ex sola liberalitate largiris. Umbram quidem nititur apprehendere, et ventum sequitur, qui se ex condigno laudare temetipsum existimat; impossibile attentat, qui te ad plenum laudare laborat. Nec tamen ideo a laude cessandum est; sed mihi, pariterque omnibus aliis creaturis laudare convenit suum Creatorem, quia nulla creatura est, quæ opificem suum non laudet, vel saltem laudabilem reddat. Non ignoro dictum propheticum, quia videlicet : *Rectos decet collaudatio* et quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*; et ideo væ mihi ! quia, quid dicam non habeo; aut quid respondebo mihi cum ipse fecerim ? *Si enim justificare me voluero, os meum condemnabit me.* Sed numquid ideo te non laudabo, quia immundum me esse cognosco? Nonne et vermes, et ranæ immundæ ex putredine generatæ, cohabitantes in paludibus, te suum Creatorem laudare cupiunt, prout sciunt et possunt? Nam, et si velut alaudula, et philomena dulciter cantare nesciunt, sed nec velut homo rationalis te cognoscere possunt, saltem hoc faciunt, quod te cognoscentibus materiam tuæ laudis tribuunt. O utinam cuncta suavia instrumenta musicalia, cœlestes quoque harmoniæ, ac terrestres melodiæ de corde suo sursum procederent, et condignas laudes tam dulciter personarent, ut oculis divinæ majestatis tuæ gratæ fierent, ac totam cœlestem curiam, novo quodam et ineffabili gaudio lætificarent!

3 AUCTOR EXOPTAT OMNES CREATURAS SECUM LAUDARE DEUM.— Sed, quid dicam ? Memetipsum, Domine, tua laude indignum esse cognosco, quamobrem precor, ut saltem ceteræ creaturæ nobilitate præclaræ, imperfectum meum dignentur supplere. Opto igitur, et ex toto corde desidero, ut orbes planetarum, ac cœlum sidereum, limpidissimo lumine radiosum; florifera quoque germina, vernali decore conspicua, pulchrisque coloribus adornata; nec non et omnia insuper ignitæ caritatis desideria, de cordibus te vehementissimo amore diligentium procedentia, te laudent et benedicant in secula. Optarem etiam ex intimis præcordiis meis, ut si juventus celerius consummata, annositatem Mathusalem coæquasset, quod unusquisque annus, tam longævi temporis prædicti, et unusquisque mensis annorum eorumdem, et unaquæque hebdomada horum mensium, et quilibet dies istarum hebdomadarum, et quælibet hora ipsorum dierum, et quodlibet minutum horarum prædicti temporis, te ex persona mea collaudarent, tam devote et affectuose, quantum umquam aliquis de numero beatorum spirituum *in splendoribus Sanctorum* te laudare in tota duratione potuisset; ac si hæc omnia in propria persona complevissem, et quod hujus laudis frequens innovatio, in sua infinitate omnes excederet species numerorum. Quid plura? Fac de me hoc quod tibi placuerit, quia quamdiu est halitus in naribus meis, a tuæ laudis præconiis non cessabo. Sed et, cum virtus loquendi mortis hora defecerit, et meum Jesum amplius præ debilitate proferre non valebo; peto ut saltem nutus oculorum, vel extensio digitorum sit innovatio et confirmatio omnium desiderabilium affectuum et verborum atque operum præteritorum, et futurorum quæ usque ad extremum judicii diem tibi cum devoto famulatu offerre vellem, si tamdiu vivere possem. Insuper, Dilecte, hoc adjicio, considerans corde affectuoso, ut quando corpus meum fuerit redactum in pulveres minutissimos et lapide clausum, quod de qualibet particula minutissima vox amœna laudis et gloriæ tuæ exsurgat, quæ durissimum lapidem penetrans, cœlorum altitudinem transcendat, et usque ad extremam judicii diem vivæ laudis præconium extollat; donec in resurrectione beata, corpus et anima pariter unita, in tuæ laudis glorificatione æternaliter copulentur. Sane

quamdiu adhuc sum in hoc corporis ergastulo, a laude tua non tacebo. Nimirum videmus quod plerumque inter dulcissimas nemoris aviculas, et tintinnantes philomenas, corvi quoque crocitantes adsunt, in hoc eodem modico quod acceperunt Creatori suo subservientes. Sic et ego peccator cum sim, cantum ad manus habeo peccatorum, et prout possum, Deum meum per ipsum laudo et glorifico in æternum. Siquidem aliud de Deo dulcius canere nescio, nisi hoc videlicet, quoniam *suavis* est *Dominus universis*, *et* quod *miserationes ejus*, *super omnia opera ejus*. O Deus meus, misericordia mea. In hoc lætatur anima mea, exhilaratur conscientia, et gaudio immenso irrigantur omnia ossa mea. Hoc suave canticum anima mea usque in seculum, inter spirituale genus avium cum læto corde dulci canit carmine.

4 Memoria beneficiorum ad laudem Dei multum juvat. — Quotiescumque enim mente revolvo, qualis aliquando fui, qualia discrimina evasi, a quantis periculis me protexisti, et a quibus malis me eripuisti, quomodo dirupisti vincula mea, sanasti vulnera putrida, et laqueos periculosos contrivisti, et me dulciter ac paterne liberasti ; cum hæc, inquam, et similia bona a te mihi exhibita pertracto, mirum est quod in horum omnium affectuosa recordatione meipsum præ amore portare valeo : ardentissimis siquidem amoris ignibus incandesco. O Deus meus, quamdiu peccatorem, tibi recalcitrantem, patienter exspectasti ? Quoties, et quam paterne, nunc quidem dulciter, nunc vero dure me admonuisti, nescientem in benedictionibus dulcedinis prævenisti ; filio prodigo et peccatis prægravato, ac gratiis nudato, in accursum veniens paterne occurristi, ab iterante vias pravas misericordem faciem non avertisti, sed semper et ubique pius et misericors fuisti ? Et quod his omnibus majus est, quod his omnibus bonis tam multiplicibus ingratus semper exstiti, nec tu, o summa bonitas, propter hoc destitisti, donec tandem me dulciter ad te traxisti. Ah! summa et inæstimabilis pietas! Numquid in his omnibus meipsum a laude continere potero ? Nequaquam, Deus meus, misericordia mea. Pro his omnibus et aliis innumeris beneficiis opto et desidero, ut talis tamquam jucunda laudatio sit tibi ex me, qualis fuit beatorum spirituum laus, tunc cum in primo aspectu tuæ divinissimæ majestatis gaudebant se æternaliter in tua laude confirmatos ; malos vero a te sine fine detrusos. Itemque, tam magna tamque jucunda sit illa laudatio, quanta est animarum sanctarum, cum a carcere purgatorii ereptæ vultu gloriæ tuæ primo præsentantur, ut tuam jucundam faciem intueantur ; et quanta erit laus in plateis cœlestis Jerusalem, post finalem omnium hominum Resurrectionem, quando electi a malis segregati Deum jucundo corde laudabunt, ac de sua salvatione æternaliter gloriabuntur. O amantissima sapientia, bonitas immensa, te precor, ut omni mane diluculo cum ad te surrexero, et oculos aperuero, simul quoque cor meum in tua laude aperiatur, ac quodam lucifero splendore, et flammeo ardore laudis tuæ facula immensa ex eo simul exsurgat. Et peto, ut hæc laus tam blande et suaviter resonet in corde tuo paterno, sicut sonare consuevit suo modo omnium citharædorum, ac musicalium instrumentorum suavis modulatio in corde jucundo, statu juventutis florido. Et in hac laudis facula simul ascendat tuæ laudis tam odorifera fumi virgula : tam gratiosa, ac si esset composita ex omnibus aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii ; tam speciosa, sicut cum vernali tempore flores herbarum pullulant in campis, coloribus pulchris, et arbores stant frondibus ornatis, gratis odoribus ; sitque laudis hujus facula, tam amorosa et deliciosa, ut in ea oculi tui delectabiliter ferantur, totaque cœlestis aula resultet ; et hæc jugiter, sine intermissione, ferventissimo æstu, et rapidissimo calore tui amoris exsurgat : ex corde, per devotam meditationem ; ex labiis, per fervidam locutionem : et ex omnibus

operibus meis, per sanctam ac cœlestem conversationem. Et hæc laudis facula sua virtute omnes inimicos repellat, gratiam augeat, finem beatum obtineat, et gloriam æternæ beatitudinis acquirat, ut finis hujus temporalis laudis, sit initium æternæ laudis patriæ cœlestis.

5 Ut Deus et D. N. J. C. melius laudetur, mentem a terrenis abstrahere et nos curiæ cœlesti immiscere debemus. — Ut autem ad Dei laudem provoceris, abstrahe, quæso, mentem tuam a terrenis, et leva eam ad cœlestia, toto conatu quo poteris; ac considera quomodo illius cœlestis curiæ cives delectantur, jubilant, et exsultant in Deo continue; singulorumque gaudia rememorans, tandem prout poteris, et permitteris, ipsis lætantibus et jubilantibus te ingere, et immisce. Exclama ergo corde toto, et dic ex intimis cum *Anselmo:* « Deus meus, quid melius, quid amabilius te æstimavi super terram, ut abstraherem cor meum a te, ad concupiscendum quidquam in mundo absque te? Cur amavi? Quare concupivi in omni vita mea quidquam, præter te Jesum Deum meum? Quare distuli? Cur intermisi ullo tempore te, o Jesu, versare in corde, te tota mente amplecti, et delectari in tua dulcedine? Cur non omnia desideria mea ad te converti? Quo abierunt, quando te solum non adierunt, omnia interiora spiritus mei? Ubi eram, quando tecum mente non eram? Quo defluxerunt, quando non te solum habuerunt desideria mea? Jam ex hoc, nunc omnia desideria incalescite et affluite in Dominum Jesum; currite, quia satis hactenus tardastis; properate, quo pergitis; quærite, quem quæritis: Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum; ascendit in cœlum, non est hic. Amantissimus Domini habitat confidenter, et flagellum non appropinquavit tabernaculo ejus. Super altitudinem cœlorum, super omnem excellentiam Angelorum, propria virtute ascendit, super solium singularis gloriæ, a dextris Dei Patris sui, coæternus et consubstantialis sedet, et divino amictus lumine, coronatus gloria et honore, ut decet Unigenitum Dei, serenus in lætitia, plenus omni potentatu, Dominus in cœlo et in terra. Ibi adorant eum omnes Angeli Domini, et universa multitudo civium cœlestis Sion. In ipso unanimiter lætantur omnium corda, in ejus desiderabili facie pascuntur omnium oculi beatorum; in ipsum undique confluunt desideria omnium Sanctorum. Ipsi jubilat, ipsi applaudit, et ipsum magnificat tota uranica civitas gloriosa, per omnem modum in splendoribus ejus: *Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Per ipsum centena decies millies millena assistunt in sanctuario uranici templi, intendentes vultum majestatis claro et inflexibili visu, ac personantes harmoniam incessabilis hymni, in gloriam trinæ et simplæ divinitatis. Per ipsum millia millium ad complenda Patris mysteria alacri discursu jugiter meant inter cœlum et terram, quasi apes negotiosæ inter alvearia et flores, disponentes omnia suaviter, populus accinctus, nesciens labem, vel inobedientiæ moram. Per hos quippe summa nostræ salutis administrantur negotia, summaque superni concilii ad nos deferuntur arcana; per hos sanitates mortalium procreantur, per hos consistunt regna, et stant imperia mundi. Inter quos præcipuum novimus Michaelem signiferum nobilem cœli civem, qui stat pro acie Dei viventis, extendens romphæam propugnationis, ac voce terrifica intonans: *Quis ut Deus*, super eos qui ex adverso sunt. Exsultate in nobili Filio vestro, vos illustres Patriarchæ: quia impleta est in eo omnis exspectatio vestra et ipse sublimis est valde, et benedicentur in ipso vestro videlicet semine omnes Gentes; sic enim pollicitus est sermo divinus. Gaudete in Jesu Propheta magno, vos Prophetæ viri veraces: quia mirifice et gloriose impleta videtis omnia, quæ de ipso annuntiastis in Spiritu Sancto, et fideles inventi estis per ipsum in cunctis sermonibus vestris. Gaudete in Domino Jesu meo, Magistro vestro, vos inclyti proceres cœli, beati

Apostoli, gaudete in Christo ipso, et iterum dico gaudete cum Christo familiari lætitia. Ecce enim quem vidistis in medio vestri esurientem, et sitientem, et fatigatum, et his similia carnis infirma tolerantem, ab omnibus reprobari, et cum sceleratis reputari ; quomodo vicit, quomodo regnat, quomodo ei omnia sub pedibus sunt, quam gloriosus in suo divino lumine fulget, et sui gaudii suæque ineffabilis gloriæ nunc vos socios habet, qui olim permansistis cum ipso in tentationibus suis, et vexationum ejus consortes fuistis. Adorate nunc dulcia illa genua, quæ se curvaverunt ante vos usque ad terram, sedentibus vobis ad sacratissimam cœnam. Adorate nunc sacrosanctas illas manus quibus pulverem pedum vestrorum Rex regum lavare, et extergere dignatus est. Gaudete in Jesu principe militiæ vestræ, vos Martyres gloriosi : quia ipsum pro quo tradidistis in mortem animas vestras, ipsum, inquam Jesum Filium Dei possidetis, præmium certaminis vestri. Gaudete in Jesu summo Doctore veritatis, o venerandi Confessores et Doctores : quia quem olim doctrinis sacris, et operibus justis confessi estis coram hominibus, nunc confitetur vos coram Patre suo, et Sanctis et Angelis ejus. Gaudete in Jesu virgine et virginum sanctificatore, vos paradisicolæ Virgines, vos Angelis similes : quia ecce quem amastis, quem optastis, quem ardentibus desideriis expetistis, pro cujus amore terrenos sponsos, et omnem ornatum seculi contempsistis, summi Regis Filium nunc videtis, nunc tenetis, nunc in ejus castis amplexibus quiescitis, et divelli a vobis nulla insidiatoris fraudulentia potest. Verum autem inter omnes cœlicolas uberrimum tibi gaudium sit, o Maria, virginum Virgo singularis, rosa cœlicæ amœnitatis, prælucidum sidus, inter primævas lucernas divini luminis susceptivas, in Jesu tuo dulcissimo Filio, sola præ omnibus gaude gaudio magno : quia quem, ut hominem peperisti, et propriis uberibus enutristi, ipsum cum Angelis et universis civibus cœli adoras, ut Deum vivum et verum. Gaude, felix Mater : quia quem vidisti in ligno crucis pendentem, vides in cœlo regnantem cum gloria magna; vides omnem altitudinem cœlestium, terrestrium, et infernorum majestati ejus inclinatam, et omne robur inimicorum ejus attritum. Gaudia gaudiorum sint tibi, omnis pulchritudo Sanctorum. Beata Jerusalem Mater nostra, quæ sursum es, festivitatem age lætabundam, et indeficientem in visione pacifica tui Jesu, libertatis tui auctoris ! Et tu, nunc rursum elevare, anima mea, quali potes conatu, et sacris te ingere millibus lætantium in Domino Jesu. Illuc fidei et spei vehiculo perge, ibi per caritatis ardorem conversare, *ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Intende mentis oculum in lumine vultus ejus, lustra ac deosculare gratulabunda devotione singula loca felicium plagarum ejus, de quibus egressi sunt pretiosi illi liquores sanguinis sacri, quo te appretiavit Unigenitus Dei, et sanctificavit in vitam æternam : » hæc *Anselmus.*

## ORATIO

Gratias et laudes tibi ago, Domine Deus meus, misericordia mea, qui me dignatus es creare, et redimere, atque ad tui agnitionem perducere, et per sacri Baptismatis ablutionem inter filios adoptionis aggregare. Te laudo, te glorifico, qui me sæpe per multa defluentem vitia ad emendationem exspectasti, ac de tribulationibus et periculis multis liberasti ; tibi gratias ago pro inceptis in me gratiæ tuæ donis, quæ deprecor, ut misericorditer perficias, meque in viam salutis æternæ dirigas, et ad tuam visionem feliciter perducas. Amen.

# CAPUT LXXXVI

## DE ASSUMPTIONE, ET LAUDE BEATÆ VIRGINIS.

1 Vita B. Mariæ Virginis post Christi Ascensionem, et locus dormitionis ipsius. — Permansit autem Beata Virgo, quamdiu vixit, in monte Sion prædicto, ubi est cella in qua post Ascensionem Filii sui morabatur orationi vacando, et ea quæ cognoverat revolvendo. Est etiam ibi alia cella, scilicet beati Joannis Evangelistæ, quæ fuit prima Ecclesia mundi, in qua celebravit primam missam in conspectu Beatæ Virginis, et quamdiu ipsa vixit post Ascensionem Filii. Quo quidem tempore quantis doloris et amoris ardoribus æstuaverit testatur *Hieronymus*, qui de ea sit ait : « Ceterum rogo cogitate attentius, et perpendite diligentius, quibus afficiebatur beata et intemerata Virgo doloribus, post Christi ascensum ad cœlos, expletis omnibus quæ de ipso erant ab Angelis prædicata, et a Prophetis multifarie multisque modis præsignata, divinis declarata oraculis, virtutibus exhibita et quæ humanitatis sunt ostensa præsagiis. Quæso, si qua sunt in vobis viscera pietatis, considerate quo cruciabatur amore, quove desiderio æstuavit hæc Virgo, dum revolveret animo cuncta quæ audierat, quæ viderat, quæ cognoverat. Puto, quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiet, ut cogitare valeas, quanto indesinenter cruciabatur ardore piissimi amoris, quantis movebatur votis repleta Spiritu Sancto, quantis cœlestium secretorum transportabatur incitamentis. Fortasse ergo, præ nimio amore, hanc Beatam Virginem in loco quo sepultus dicitur, interdum habitasse credimus, quatenus piis pasceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus medius est hinc inde constitutus, ut adire posset ejus Ascensionis vestigia, et locum sepulturæ ac Resurrectionis, seu omnia, in quibus passus est loca invisere : non quod jam viventem quæreret cum mortuis, sed, ut suis solaretur aspectibus. Et ideo, quam sæpe locorum recreabatur visitationibus, et quem genuerat fideli spiritu, mentis complexabatur amplexibus! » Et iterum : « Quam sane Angelus Gabriel intactam custodivit, et Joannes virgo Virginem servavit suisque deservivit obsequiis: non quod eximius ille sanctorum chorus Apostolorum eam deseruerit inter quos post Resurrectionem intrans et exiens, familiarius contulit de Christi Incarnatione ; et ad exemplum humanæ vitæ conversatio ejus post Ascensionem Christi generaliter cum Apostolis fuit, quousque dispersi sunt : » hæc *Hieronymus*. Est autem in monte Sion magna et devota ecclesia, in qua solebant esse cum Abbate canonici regulares, secundum regulam beati Augustini Domino servientes ; intra quam est cella in qua habitavit Beata Virgo diebus vitæ suæ post Ascensionem Filii sui ; et prope illam cellam, est et alia cella, in qua migravit ad cœlum, per Angelos assumpta. Cujus dormitioni omnes Apostoli dicuntur interfuisse, et in vallis Josaphat medio eam sepelivisse. Ibi enim sepulchrum ejus multum venerabile ostenditur, quod in maxima reverentia etiam apud Sarracenos habetur : hæc autem vallis, licet adhuc sit valde profunda, multum tamen est impleta. Sepulchrum enim Virginis gloriosæ, tunc erat in ipsius vallis superficie, nunc est longe sub terra, in tantum quod etiam ecclesia ejusdem, cum sit valde alta et testitudinata, cum ipso sepulchro penitus sit sub terra, et vallis desuper tota plana. In superficie tamen vallis est ædifi-

cium modicum, quasi unius capellæ, quod postquam quis intraverit, descenditur per gradus quinquaginta in ecclesiam ad sepulchrum, ubi est pulcherrimum altare marmoreum et crypta, ac desuper ædificata ecclesia pulcherrima rotunda, et tabulatu lapideo discreta in honorem ipsius Beatæ Virginis dedicata; cujus in superioribus quatuor habentur altaria, et in inferioribus unum in Orientali plaga; et ad dexteram monumentum vacuum cernitur, in quo sancta Maria aliquando pausasse dicitur, sed a quo vel quando sit ablata, nescitur. Hanc ecclesiam intrantes, vident ad dexteram insertam parieti petram, in qua Dominus nocte, qua tradebatur, oravit, vestigiis genuum quasi ceræ molli impressis. Et solebant in ea esse monachi nigri cum Abbate, secundum regulam beati Benedicti Domino servientes.

2 Pie creditur corporaliter ad cœlum assumpta. — Sed, quo ordine Beata Virgo hinc ad superna transierit regna, nulla catholica narrat historia. Nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte aliquid aperte dixisse, cum nec ipse qui hanc ante crucem Domini accepit in suam, id est Joannes Evangelista, de hoc posteris aliquid retinendum scriptis legitur mandasse. Nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quam ille utique qui hanc nutriendam suscepit. Restat ergo, ut homo non mendaciter fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Unde *Hieronymus* : « Monstratur autem Sepulchrum ejus cernentibus nobis, usque ad præsens in vallis Josaphat medio; quæ vallis est inter montem Sion, et montem Oliveti posita, ubi in ejus honorem fabricata est ecclesia miro tabulatu lapideo, in quo sepulta fuisse ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum cernentibus ostenditur : hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit, relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum corpus ejus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumve surrexerit, nescitur ; quamvis nonnulli astruere velint eam jam resuscitatam, et beata cum Christo immortalitate, in cœlestibus vestiri. Verumtamen quid horum verius conseatur, ambigimus ; melius tamen Deo, cui nihil impossibile est, committimus, quam aliquid temere diffinire velimus auctoritate nostra, quod probamus : » hæc *Hieronymus*. De hoc *Augustinus* in quodam sermone longo inter cetera sic dicit, non tamen asserendo : « De sanctissimo corpore perpetuæ virginis Mariæ ejusque sacræ animæ assumptione loqui suscipientes, hoc ipsum dicimus, quod in Scripturis postquam Dominus eam in cruce discipulo commendavit nihil de ea reperitur, præter quod Lucas in Actibus commemorat, dicens : *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Jesu*. Quid ergo de morte, quid de assumptione ejus dicendum est, unde Scriptura nihil commendat, nisi quærendum ratione, quod consentiat veritati? Fiat ergo ipsa veritas, sine qua nec valet auctoritas. Memores ergo conditionis humanæ, mortem illam Beatissimæ temporalem dicere non metuimus ; sed si eam dicimus resolutam in communem putredinem, vermem, ac cinerem, deliberandum est, si tantæ conveniat sanctitati, tantæ aulæ Dei prærogativæ. Scimus enim dictum primo parenti, *quia pulvis es, et in pulverem reverteris* ; hanc conditionem caro Christi evasit, quæ corruptionem non sustinuit; excipitur ergo ab illa generali sententia, de Virgine sumpta natura. Mulieri quoque dixit Deus : *Multiplicabo ærumnas tuas : in dolore paries*; ærumnam sancta Maria sustinuit, cujus animam gladius Passionis Christi pertransivit, sed sine dolore genuit Maria, ergo excipitur a quibusdam generalibus, quam tanta attollit dignitatis prærogativa. Si ergo eam dicimus mortem subiisse, nec tamen vinculis ejus retineri, numquid impium erit ? Si voluit Dominus integram Matrem virginitatis servare pudore, et cur non velit incorruptam servare a putredinis fœtore ? Numquid non pertinet ad beni-

gnitatem Domini Matris servare honorem, qui Legem solvere non venerat, sed adimplere? Qui enim in vita præ ceteris illam, gratia sui conceptus honoravit, pium est credere, eam in morte singulari salvatione, et speciali gratia honorasse. Putredo et vermis humanæ est opprobrium conditionis, a quo opprobrio cum Jesus sit alienus, natura sanctæ Mariæ virginis excipitur, quam Jesus de ea sumpsisse probatur; caro enim Jesu Christi, caro est sanctæ virginis Mariæ, quam supra astra transvexit, honorans omnem humanam naturam, et multo magis maternam. Si igitur natura Matris est Filius, consequens est, ut sit et Filii Mater: non quantum ad unitatem personæ, sed quantum ad unitatem corporalis naturæ. Quantum igitur intelligo, quantumque credo, sanctæ Mariæ anima excellentiori quadam prærogativa a Filio honoratur: possidens in Christo corpus suum quod genuit glorificatum, et si non suum per quod genuit, tamen suum quod genuit. Et quare non suum per quod genuit? Si non obviaverit necdum perspecta auctoritas; vere credo, et per quod genuit: quia tanta sanctificatio dignior est cœlo quam terra, et tam pretiosum thesaurum dignius est cœlum servare, quam terra. Tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis ulla resolutio sequitur. Illud sacratissimum corpus in escam vermibus traditum, quia sentire non valeo, dicere pertimesco; quam æstimationem procul propellit incomparabilis gratiæ munus. Quod me dicere multarum Scripturarum consideratio invitat. Confitendum igitur censeo, Mariam ad æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi, honorabiliusque susceptam ceteris, quam gratia honoravit præ ceteris; atque ad communem humilitatem non esse adductam post mortem, putredinis, videlicet et vermis et pulveris, quæ suum et omnium genuit Salvatorem. Si elegit divina voluntas inter ignium flammas puerorum vestimenta servare illæsa; cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Jonam servare in ventre ceti incorruptum voluit, sola misericordia; Mariam incorruptam non servabit gratia? Servatus est Daniel ab intemperantissima fame leonum: non servanda Maria tantis dotata meritis virtutum? Hæc ergo cuncta quæ diximus, quia naturam servantia non cognoscimus, in integritate quoque Mariæ plus gratiam quam naturam potuisse, non dubitamus. Ac per hoc videtur lætari Maria anima et corpore in proprio Filio, nec ullam debere sequi corruptionis ærumnam, quam nulla secuta est, tantum pariendo Filium integritatis corruptio: ut sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia; sit integriter vivens, quæ omnium integram genuit vitam. Si ergo dixi, ut debui: approba, Christe, tu et tui; sin autem ut non debui; ignosce, obsecro, tu, et tui: » hæc *Augustinus*.

3 Gloria assumptionis B. Mariæ Virginis. — Sic ergo non est credendum, quod Maria mortua non fuerit, sed mortua est, ac tamen caro ejus non computruit. Anima conjuncta est iterato corpori mortuo, et ita assumpta est in cœlum, cum corpore glorificato. Vera autem et indubitata de ejus assumptione sententia hæc esse probatur, ut, secundum Apostolum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantes assumptam, tamen et exaltatam super omnes choros Angelorum credamus. Unde *Hieronymus*: « Hæc est dies præclara, in qua usque ad throni celsitudinem intemerata Mater et Virgo processit, atque in regni solio sublimata post Christum gloriosa resedit. Sic itaque ubique confidenter de illa sancta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio Sanctorum fas est credere, ut ultra Angelorum vel Archangelorum merita transcenderit, quia etsi similitudo promittitur, Sanctis veritas denegatur. Ad cujus profecto exsequias, quantum fas est credere, famulabantur Angeli, et universæ cœli congratulabantur curiæ, quia credendum est militiam cœlorum cum suis agminibus festine obviam venisse Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, et usque ad thronum, olim sibi etiam ante constitutionem mundi paratum, cum laudibus et can

icis spiritualibus perduxisse. Nulli dubium omnem illam cœlestem Jerusalem, tunc exsultasse ineffabili lætitia, tunc jucundatam esse inæstimabili caritate, tuncque cum omni gratulatione jubilasse. Quoniam festivitas hæc quæ nobis revolvitur annua, illis omnibus facta est continua. Nec immerito : creditur etenim quod Salvator omnium ipse, quantum datur intelligi, per se totus festivus occurrit, et cum gaudio eam secum in throno collocavit. Quod si gaudium fit in cœlis de quolibet peccatore converso ; multo magis putandum est, pro tantæ Virginis exaltatione et gloria, quod exsultatio fit in supernis. Cujus nimirum festivitas omnium supernorum est gloriatio, cœlicolarumque congratulatio, præsertim quia ejus celebritas, laus et favor est Salvatoris. Unde credimus, ut supra dictum est, quod non hunc tantum diem solemnem ducunt pro ejus amore annuum, verum continuum etiam et æternum jucunditatis et lætitiæ, venerationis obsequio, cum omni tripudio amoris et gaudii. Nec immerito omnis illa cœlestis civitas congratulatur et veneratur Matrem, cujus semper adorat Filium Regem ; ante quem tremunt Potestates, et curvatur omne genu. Quam si diligenter aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil splendoris et gloriæ, quod non in ea resplendeat. Et ideo, si placet talis et tanta Virgo, placeat et opus virtutis, cujus vita omnium disciplina est, cujus mores instituta sunt omnium Ecclesiarum, quæ præcellit cunctis, supereminet universis. Propterea quæcumque virgo sibi ab ipsa optat præmium, et implorat auxilium, debet imitari exemplum : » hæc *Hieronymus*. Unde et *Bernardus* : « Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in cœlum ; ut dando et accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana divinis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima descendunt. Ascendens in altum virgo sancta Maria, dabit ipsa quoque dona hominibus. Siquidem nec facultas ei deesse potest, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est, mater unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare : nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem aut dubitare quis potest omnino in affectum caritatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est caritas, novem mensibus corporaliter requievit. Et hæc quidem propter vos dixerim, fratres, ut tamen interim sileam beneficia, quæ pro ipsius glorificatione consequimur. Si eam diligimus, gaudebimus utique, quia vadit ad Filium, nisi forte, quod absit, inventrici gratiæ omnimodis inveniamur ingrati. Quem enim in castellum hujus mundi intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed, cum quanto putas honore, cum quanta exsultatione, cum quanta gloria ? Nec in terris locus dignior virginalis uteri templo, in quo Dei Filium Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, quo beatam Mariam hodie Filius Dei sublimavit. Felix nimirum utraque susceptio, ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est! Utquid enim hodie ea in ecclesiis Christi Evangelica lectio recitatur in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse legitur Salvatorem ? Credo, ut hæc quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus æstimetur; imo ut juxta illius inæstimabilem gloriam, inæstimabilis cognoscatur et ista. Quis enim, si linguis hominum et Angelorum loquatur, explicare valeat quemadmodum superveniente Spiritu Sancto, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia ; et Dominus majestatis, quem non capit universitas creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo ? Sed et illud quis excogitare sufficiat, quam gloriosa Regina mundi hodie processerit, et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo? Quis explicare queat, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? Quam placido vultu, quam serena facie, quam lætis amplexibus suscepta a Filio et super omnem exaltata sit creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea

gloria, quæ tantum decuit Filium? Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio! Verum, numquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamum canens et dicens : *Osculetur me osculo oris sui?* Christi generationem, et Mariæ assumptionem, quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris est adepta præ cæteris; tantum et in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quod si *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*; quod præparavit gignenti se, et quod de omnibus certum est, diligenti se præ omnibus, quis loquetur? Felix plane Maria et multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive eum a Salvatore suscipitur! » hæc *Bernardus*. Unde etiam sic ait *Anselmus* : « Cum Christus Matrem in regnum suum assumere, et ei magnificentiam gloriæ decrevisset ostendere, cujus, precor, dignitatis et honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorum? Quibus vocibus exsultationis, atque salutis resonabant universa tabernacula antiquorum Patrum, ipsi curiæ tunc nuper associatorum? Certe crediderim omnes illius patriæ cives festiviori solito, et sublimioris decoris nitore ad adventum Matris Domini sui præparari, ac nova quadam et ineffabili jucunditatis gratia, pro tantæ rei exspectatione conjubilare. Et quid, nimirum? Ipse Jesus, Deus et Dominus omnium, Filius ipsius castissimæ Virginis, et Dominæ rerum, ipse ei sicut unicæ suæ Matri, totus festinus occurrere volebat, ne et aliquis de familiaribus suis se a tanti gaudii immensitate subtraheret. Utique moris inter homines esse scitur, unumquemque bonum servum cujusque Domini præpotentis, eo majori gaudio in adventu amici sui exsultare, quo ipsum dominum suum cognoscit adventantem amicum magis amare. Cum vero de adventu parentum domini sui agitur, de quorum speciali dilectione nullus ulla dubitatione tenetur, ille nimirum magis felicem se æstimat, qui majori jubilo et festiviori occursu lætitiæ frena relaxat. Si ergo hæc ita se habent apud homines, quibus si qua bonitas est, longe tamen supernorum civium bonitati impar est, contempletur animo, qui potest, quo gaudio, qua festivitate, quibus concentibus jubilant omnes beatorum spirituum ordines, quando et unicam matrem Domini sui adventare, et ipsum Dominum Deum suum ei videbant omni gloria sua decoratum velle occurrere. Stipatus itaque mille millibus, imo innumerabilium Angelorum agminibus, Deus ipse huic piissimæ Matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamque super omnes cœlos exaltatam, cunctæ secum creaturæ perenni jure dominaturam in throno gloriæ collocavit. O dies tanti occursus gloriosa, et felix dies tam præclaræ exaltationis! Beata et celebris dies, tam sublimis glorificationis festiva, et omni seculo admirabilis! Dies enim illa non solum temetipsam, Domina, ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum, quod penetrasti, nec non cuncta, quæ in eo sunt, nova et inæstimabili gratia decoravit. Nova quidem gratia cœlum decoravit, quia priorem gloriam ejus ex præsentia tua, ultra quam dici possit aut cogitari, magnificavit. Nam tu, o Domina, illuc ascendens, nova illud ac præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaque miserationum et gratiarum luce perlustras. Eadem quoque dies tui ascensus, eos qui cives cœli ab initio creaturæ esse meruerunt, solito festiviori exsultationis gaudio induit. Quia namque per gloriosum fructum fœcundæ virginitatis tuæ, vident semirutam civitatem suam reintegrari; vere in tuo felici adventu, per quem tantum bonum meruerunt, gaudii sui magnitudo jure debuit augmentari.

4 Exsultatio terræ et laus B. Mariæ. — Terram etiam dies exaltationis tuæ, o beatissima feminarum, mira gratia irrigavit, quia dum te, quam de se et in se aliorum hominum lege progenitam novit, usque ad Crea-

toris omnium thronum exaltari recognoscit; antiquæ maledictionis pœnam, quam in peccato primorum filiorum suorum se merito excepisse sciebat, jam per tantæ benedictionis tuæ abundantiam, sese evadere indubitanter credebat. Quid amplius dicere possum, Domina? Immensitatem quippe gratiæ et gloriæ tuæ considerare cupienti sensus deficit et lingua fatiscit. Quemadmodum enim omnia, quæ in cœlo sunt, per glorificationem tuam ineffabiliter decorantur; ita per eamdem glorificationem cuncta, quæ in terra subsistunt, ineffabiliter sublimantur. Singula nempe in immensæ dignitatis decus profecerunt, cum per tuam beatam et integerrimam virginitatem Deum suum, quem non cognoverant, agnoscere, et agnitum colere atque amare meruerunt; quando omnes cœlos transcendere, ac in dextera Dei sui benedicti Filii tui exaltari cognoverunt. In eo etiam didicerunt se eidem Deo suum totum debere quod sunt, quando tu, quæ inter illa, et de illis una fuisti, tantam dignitatis eminentiam meruisti. Nihil igitur aut idolis homines, aut ullæ aliæ rerum speciei idolorum cultoribus se debere intellexerunt; ubi et singularem auctorem sui, ex castissimo utero tuo, ad plenam restitutionem primæ creationis suæ progenitum susceperunt; et te, per quam amissam dignitatem suam recuperaverunt, omni creaturæ tam sublimiter præponi inspexerunt. Quas igitur laudes, quasve gratiarum actiones, non solum humana, sed etiam omnis creatura huic sacratissimæ Virgini debet? Purissima namque sanctitas, ac sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, seu sanctitatem incomparabili sublimitate transcendens, hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret. Unde quid laudis pro tam ineffabili bono ipse, per eam reparatus mundus, ei jure debeat, cor alicujus sub carne mortali viventis, æstimare nullatenus sufficit. Utique enim cuncta quæ Deus fecit, et utiliter bona in eo statu quo condita fuerunt esse destiterunt; et per hanc beatissimam Virginem in statum pristinum restituta sunt. Sicut ergo Deus, sua potentia cuncta patrando, pater est et Dominus omnium; ita beata Maria suis meritis cuncta reparando, mater est et Domina rerum. Deus est enim Dominus omnium, singula in sua natura, propria jussione, constituendo; et Maria est Domina rerum, singula congenitæ dignitati per illam, quam meruit gratiam restituendo. Et quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit; ita Maria de sua carne peperit illum, qui in decorem primæ creationis omnium cuncta restituit. Item, nulla rerum species, nisi per Dei Filium facta substitit; ita lex debitæ damnationis neminem deserit, nisi quem ab ea Filius Mariæ absolvit. Quis igitur ista recto sensu et corde sincero perpendens, plene percipere queat excellentiam Dominæ hujus, per quam tam inæstimabili electione erectus est mundus? Quis, inquam, miram et omni rei præter hanc inauditam mulieris istius gratiam oculis mentis aspiciens, non omnino obstupescat, et non modo elinguis, verumetiam tantæ rei comprehensione prorsus immunis fiat? Quapropter ea quæ nobis sunt impenetrabilia intermittentes, precibus impetrare nitamur, ut quod intellectu capere nequimus, salutari effectu obtinere mereamur. Per has ergo rationes impossibile est, ut aliquis homo ad eam conversus, et ab ea respectus, damnetur. Namque ipsa genuit eum, per quem mortua revivunt, per quem homines ex peccato salvantur: quia non est justificatio, nisi quam ipsa in utero fovit; non est salus, nisi quam ipsa peperit. Ipsa est ergo Mater justificanti et justificatoris; ipsa est Mater salvantis et Salvatoris. Mater igitur Dei qui solus damnat, qui solus salvat, quem solum timemus, in quo solo speramus, est mater nostra; Judex et Salvator noster, est frater noster. Quomodo ergo desperemus, cum salus, sive damnatio nostra, ex boni fratris, et piæ Matris pendeat arbitrio? Numquid sustinebit bonus Frater puniri fratres suos quos redemit, et bona

Mater damnari filios suos, quorum ipsa Redemptorem genuit? Dulcis Mater rogabit dulcem Filium suum, pium Fratrem nostrum : Filium pro filiis, Unigenitum pro adoptatis. Pius autem Filius, libenter audiet Matrem pro filiis; Unigenitus, pro his quos adoptavit, Dominus, pro his quos liberavit : » hæc *Anselmus*. Exsultemus igitur et nos miseri cum cœlicolis, et creaturis universis, prout possumus; ac talem et tantam Virginem pro nostro modulo laudare studeamus. Unde *Hieronymus*, ad hæc nos provocans et invitans, inter cetera sic ait : « Idcirco lætamini et laudate : quia, si Deum ore prophetico in suis Sanctis laudare jubemur, multo magis eum in hac celebritate beatissimæ Virginis, Matris ejus, oportet cum hymnis et canticis diligentius extollere, et dignis Deo jubilare præconiis, ac mysticis honorare muneribus. Nulli dubium quin totum ad gloriam laudis ejus pertineat, quidquid digne Genetrici suæ impensum fuerit ac solemniter. Profecto quidquid humanis potest dici verbis, minus est a laude cœli, qua divinis est et angelicis excellentiis prædicta, et laudata præconiis. A Prophetis quidem prænuntiata, a Patriarchis figuris et ænigmatibus præsignata, ab Evangelistis exhibita et monstrata, ab Angelo venerabiliter, atque officiosissime salutata. Attamen, etsi ad hæc nemo idoneus invenitur, votis omnibus cessare non debet etiam quilibet peccator a laudibus, quamvis explere non queat quod sentitur. Unde et sermo divinus, cum de peccatore ageret in Psalmis : *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me*; *et illic iter quo ostendam illi salutare Dei*. Ac si patenter dicat : Illic iter est laudis, ad laudem sine fine mansuram sed nemo apprehendit illud, nisi ego præmonstravero. Propterea, quia iter salutis nostræ in laudibus est Salvatoris, hortor vos et commoneo, in hac sacra solemnitate genitricis Dei Mariæ, nolite cessare a laudibus. Et quamvis speciosa laus non sit in ore peccatoris, noli cessare; quia inde promittitur tibi venia, unde et omnibus, ut laudes. Alioquin, nisi juxta modulum ingenii nostri Deum laudare in Sanctis suis studeamus, quomodo ipsum juxta multitudinem magnitudinis ejus laudare poterimus? Omnino hoc prætermittendum non est, quod impleturi sumus quandoque, secundum quod dicitur : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te*. Interim vero quia immensus est, quod voce non possumus, nec facundia valemus, exsequamur votis et medullis cordis : » hæc *Hieronymus*.

5 Figuræ assumptionis B. Mariæ. — Assumptio beatæ Virginis fuit olim præfigurata, quando arca Domini in domum regis David est translata. Rex David coram arca citharizavit, et eam cum magno jubilo in domum suam adduxit. In arca manna cœli continebatur ; et convenienter per eam beata Virgo designatur, quia panem Angelorum, quem homo manducavit, ipsa generavit. Arca de ligno cethim imputribili erat facta ; figurans quod Maria in putredinem non est redacta. Rex David, qui coram arca subsiliendo citharizavit; Regem cœli et terræ Christum præfiguravit, qui, ut creditur, Matri suæ personaliter occurrit, et eam cum magno jubilo in domum suam introduxit. — Assumptio etiam Mariæ olim fuit Joanni in Pathmos insula præfigurata. Nam mulierem quamdam admirabilem in cœlo videbat, quæ sole amicta erat; et Maria circumdata divinitate in cœlum ascendebat. Luna sub pedibus ejus esse videbatur ; per quod perpetua stabilitas Mariæ designatur : luna enim instabilis est, et non diu manet plena, et designat mundum, et omnia terrena ; hæc instabilia Maria contemnens, sub pedibus conculcavit, et ad cœlum ubi omnia stabilia sunt, anhelavit. Coronam etiam in capite suo mulier habebat, quæ in se stellas duodecim continebat ; corona consuevit esse honoris signum, et signat honorem gloriosæ Virgini condignum ; per duodecim stellas Apostoli intelliguntur, qui in discessu Mariæ omnes affuisse dicuntur. Mulieri sunt datæ alæ ad volandum ; per quas intelli-

gitur assumptio tam corporis quam animæ.— Festivitas etiam hujus sanctæ assumptionis, præfigurata fuit olim in matre Salomonis. Salomon enim rex in throno gloriæ residebat, et matri suæ thronum ad dexteram poni faciebat, in quem ipsam a dextris suis locavit, et quodcumque petierat, sibi non negavit ; sic et Christus Matrem suam beatissimam Mariam a dextris suis locavit, et omnia quæcumque voluerit, ab eo impetrabit.

6 Felicitas B. Mariæ. — O felix Maria et omni laude dignissima ! O virgo Maria, Dei genitrix gloriosa ! O sublimis paupera, quæ Deum auctorem cœli et terræ, quem omnis creatura non capit, tuo immaculato utero clausum gestasti ! Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in tuis laudibus referemus, cum etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, te laudare nullus sufficeret ? Quid dicam, ego pauper ingenio, cum de te quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua mereatur ? Quid ergo de te dignum dicam, quid referam, cum non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes ? O Maria, tui recordatio nominis melle dulcior, nectare suavior, fessos recreat, mœstos lætificat, oppressos relevat, errantes ad viam salutis revocat, et peccatores, ne desperent, suæ suavitatis odore confortat. Sicut enim tempore vernali, cum ad alta cœli sol incipit ascendere, et terris fœcundam radiorum suorum luminositatem infundere, vegetabilia cuncta hiemali glacie constricta incipiunt reviviscere ; animantia quoque et volatilia in antris et specubus, ac diversis quibusque latibulis abscondita, ad tantæ lucis novitatem respirare incipiunt, ac vires resumere, et cordis lætitiam cantibus, et plausibus lætabundis ostendere ; homines quoque senes cum junioribus, ejus in adventu exhilarantur; et tota superficies terræ decore induitur, et applaudit, ac congratulatur : sic nobis accidit, cum sole amicta virgo fœcunda, Regina cœli præelecta, ut sol fines cordis nostri ingreditur, et memoria ejus mentibus nostris rutilantibus absque nube infunditur ; continuo namque durities omnis ad tantæ lucis immensitatem resolvitur, arida cuncta rore cœlestis gratiæ irrigantur, fugantur tenebræ, lumen novum exoritur, et gaudiorum nobis materia immensa cumulatur.

7 Nominis ipsius invocatio. — O nomen Mariæ admirabile, o nomen delectabile, nomen gravidum sacramentis, et divinis plenum mysteriis ! O nomen gloriosum, o nomen celeberrimum ! O nomen sublime, ante tempora universa in Dei prædestinatione compositum, et in tempore dignæ personæ, secundum rem, convenienter impositum ! O nomen quod nominatur sæpius et frequentatur dulcius in concilio et congregatione justorum, et quod versatur clementius in ore peccatorum ! Qui enim umquam criminum veniam petiit, nisi mediante Maria ? Omnes nempe Mariam invocant ; omnes Mariam nominant ; Mariam præ omnibus amant Omnis ætas, sexus, et professio, Mariam studiose reclamat. Cum enim summum Regem peccando perdimus, cum Angelos, et Sanctos omnes offendimus, cum etiam nobisipsis graves sumus, et omnino nescimus quid agere debeamus ; hoc solum restat miseris, ut oculos cordis et corporis ad te levemus, consilium quærentes, et petentes auxilium. Unde *Anselmus* : « Nihil certe utilius post Deum, memoria Matris Dei ; nihil salubrius meditatione pii amoris, quo fervebat in memoria et contemplatione Filii sui ; nihil jucundius sapore pertracti gaudii ejus, quo multipliciter pascebatur in eodem, et per eumdem Filium suum. Sæpe quidem vidimus et audivimus plurimos hominum in suis periculis recordari nominis ipsius beatæ Mariæ virginis, et illico omnis periculi malum evasisse. Velocior est enim nonnumquam salus, memorato nomine ejus, quam invocato nomine Jesu unici Filii ejus. Et id quidem non ideo fit, quod ipsa major eo sit aut potentior ; nec enim ipse magnus aut potens est per illam, sed illa per ipsum. Quare ergo salus promptior in recordatione ejus quam Filii sui, sæpe percipiatur ? Dicam quod sentio : Filius quidem ejus De-

minus est, et Judex omnium discernens merita singulorum. Dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus, non statim exaudit, profecto justo judicio id facit; invocato autem nomine Matris suæ, etsi merita invocantis non merentur, merita Matris intercedunt, ut exaudiatur. Hæc denique humanus usus quotidie probat, cum quis proposito amici nomine, ab alio impetrat efficaciter, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare valebat. Itaque, si tam utilis est, in subveniendo, memoria nominis Matris Dei, non mirum si magis affert fructum frequens mediatio sancti amoris ejus, si plenam jucunditatem dabit dulci studio cogitata et iterum recogitata immensitas gaudii ejus : » hæc *Anselmus*.

8 Piæ aspirationes et orationes ad B. Mariam. — Tibi ergo, o spes nostra, gaudium, et lætitia cordis nostri, ego peccator in vocem salutationis et laudis cupiens prorumpere, teque ex intimo cordis cum gemitu et lacrymis, et devota cordis genuflexione affectuosissime Matrem gratiæ salutare, et laudare ; cum mente pertracto viros illustres, qui te ab initio laudaverunt, præ stupore deficio, et ultra spiritum non habeo. Sed, cum ad me ipsum redeo, hæc intra me revolvo, dicens : Salve, o pia Mater Dei, et Beata virgo, quam laudat orbis terræ, et plenitudo ejus, cœli cœlorum, et omnis virtus eorum ; quidquid de præconio tuo lingua dicere potuit, calamus scribere valuit, cor potuit cogitare, omnibus illis simul collectis et conscriptis, et in unum manipulum congestis centuplicata, et infinities multiplicata, corde devoto, aureo cum decore, mellifluo sapore, et odore aromatico, tibi porrigo ad laudandum et glorificandum te, Virgo beata, nunc et in æternum. Unde *Augustinus* : « Accipe itaque quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones et laudes; et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium piæ exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus ; accipe quod offerimus, impetra quod rogamus, excusa quod timemus : quia nec potiorem meritis invenimus, ad placandum iram Judicis, quam te, quæ meruisti Mater existere ejusdem Redemptoris et Judicis nostri. *Succurre ergo miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro monachorum choro, exora pro devoto femineo sexu*; *sentiantque omnes tuum juvamen, quicumque devote celebrant tuam Assumptionem.* Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cœlorum peregrinis. Et cum te semper lætantem aspicis, fletus quoque nostros ad Deum ipsa admittas ; eumque, ut proprium Filium, pro nobis interpelles, precamur. Nos enim adhuc in hac terra affigimur, injuriis lacessimur, opprobriis afficimur, esurimus, sitimus, somnum patimur, in carcere retinemur. Tu vero in cœlestibus regnis prælata es cunctis virginum choris. Tu, Agnum quocumque perrexerit, sequeris ; tu, virgineos choros, et ab incentivæ carnis illecebris alienos, per albentia lilia rosasque vernantes, ad fontem perennis vitæ potandos invitas. Tu, quæ in illa Beatorum felicissima regna, primi ordinis dignitatem adepta es, plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitatem, gramineosque et crocos, tenero poplite pergis, felicique palma violas immarcessibiles carpis. Tu concinis sine fine choris conjuncta angelicis ; archangelicisque sociata, indefessa voce *Sanctus* clamare non cessas. Tu in cubiculo Regis, beatitudine, gemmis, ac margaritis ornata existis. Tibi thronus ab Angelis est collocatus in aula Regis æterni ; teque ipse Rex regum ut Matrem veram, et decoram sponsam præ omnibus diligens, amoris amplexu associat. Nec mirum, si dignetur tibi adgaudere Deus regnans in cœlis, quem tu parvulum ex te hominem natum toties osculata es in terris. Has ergo tuas felicitates possidens, convertere ad nostrarum miseriarum salutem. Inter hæc, fratres carissimi, toto mentis affectu, beatissimæ Virgi-

nis intercessionibus nos committamus. Omnes patrocinia omni nisu imploremus : ut dum nos supplici eam obsequio frequentemus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubitandum est eam, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus Sanctis omnibus liberatis impendere suffragium. Sed quid nobis prodest hanc interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis ejus exempla teneamus? Curemus ergo, dilectissimi fratres, ut cum hujus diei festivitati interesse cupimus, vestimentis humilitatis atque caritatis induti appareamus. Nos non invidia alienæ felicitatis torqueat. Non ira usque ad divisionem dilaniet. Non cupiditas a nobis Christum excludat. Non seculi nos tristitia exurat; non prosperitas ejus incaute decipiat. Non luxuria nos inquinet; non immunditia polluat. Non elatio corrumpat; non superbia inflet : ut, cum nos virtutibus ornatos, caritate conjunctos, humilitate fundatos, beata Dei genitrix Maria suæ nos interesse festivitati perspexerit, ardentius subvenire nobis festinet apud Filium, et Dominum suum Jesum Christum, Deum Salvatorem nostrum, qui coronis perennis regni clarificat Sanctos suos, et est æterna laus et exspectatio omnibus electis suis : » hæc *Augustinus*. Unde et *Anselmus* : « Rogamus ergo te, Domina, per ipsam gratiam; quia te pius et omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tecum possibilia donavit, quatenus id apud ipsum nobis obtineas, ut plenitudo gratiæ quam meruisti in nobis sic operetur, quod participium beati præmii ejus nobis misericorditer quandoque donetur. Ad hoc quippe Deus noster per te factus es frater noster, ut quemadmodum ipse dignatus est consors fieri nostræ humanitatis; sic et nos mereamur consortes fieri suæ divinitatis. Intende ergo, piissima Domina, ut nobis ad effectum proveniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit. Nec sis, quæsumus, exoratu difficilis, quia procul dubio idem benignissimus Filius tuus erit ad concedendum, quidquid voles, promptus et exaudibilis. Tantummodo itaque velis salutem nostram, et vere nequaquam salvi esse non poterimus. Quid ergo stringes larga viscera misericordiæ tuæ contra nos, Domina, ut nolis salvari nos? Certe Deus noster, teste Psalmista, misericordia nostra est ; tu ejusdem Dei nostri, absque dubio, vera Mater es. Si tu ergo quæ debes, et revera misericordiæ Mater, denegas nobis effectum misericordiæ, cujus tam mirabiliter facta es Mater; quid faciemus cum idem Filius tuus advenerit, cunctos æquo judicio judicaturus? Siquidem licet ipse Filius tuus sit per te factus frater noster; utique tamen ubi voluntatem tuam suæ videlicet dulcissimæ matris magis porrectam adverterit, illuc servata æquitatis ratione, a qua te nullatenus discrepare velle videbit, judicii sui sententiam, sive ad misericordiam inflectendo, sive ad justitiam intendendo, promulgabit. Subveni ergo nobis, Domina, et non considerata peccatorum nostrorum multitudine, velle tuum ad miserendum nobis inflecte. Cogita, quæsumus, et recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad salvandum peccatores Conditor noster factus est homo, ex te. Cur itaque non juvabis nos peccatores, quæ in tantam celsitudinem es propter nos elevata, ut te Dominam habeat, et veneretur tota pariter creatura? An ideo utrum pereamus amplius non curabis, quia quidquid de nobis miseris ultra eveniat, gloriæ tuæ nulla jactura inde proveniat? Et hoc quidem fortassis aliquo modo bona Domina posses, si pro tui solius exaltatione et utilitate Mater Dei facta fuisses. Sed utique Deus, qui hominem assumpsit ex tua castissima carne, hoc fecit pro tua et nostra communi salute. Si ergo tu, quæ plena salute es potita, non intendis, ut eadem salus pro modulo nostro etiam ad nos usque pertingat; jam tuorum sufficiens commodorum, nostrorum negligens esse videberis, quæ pro totius mundi salvatione meruisti fieri Mater Altissimi, cum nos post-

posueris quos obvolvit funus seculi. Quid ergo, quæso, proderit nobis tua felix et gloriosa exaltatio, et quam inde habemus, dulcis et affectuosa exsultatio ? Ut ergo Filium tuum totius mundi Salvatorem, et te ejus reconciliatricem veraciter esse sentiamus ; eo nos propensiori studio juva, precamur, et fove, quo in fæcibus mundi natos et alitos potiori levamine perspicis indigere. Ab initio denique renovationis humanæ, omnibus sub tuum præsidium confugientibus hucusque succurristi, et idcirco præ omni creatura omni laude dignissima dici et esse meruisti. Eia succurre nobis, et oramus ut laus, quam per tot secula possedistis, continua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo subvenisti. Tibi ergo, Domina, nosmetipsos commendamus ; tu procura ne pereamus. Effice potius ut salus nostra de die in diem multiplicetur, et Filio tuo Domino Jesu Christo, vita nostra jugi devotione famuletur : » hæc *Anselmus*.

ORATIO

Deus dator gaudii, largitor solatii, luctus relevator, mœroris effugator, qui beatam virginem Mariam, Matrem tuam, majestatis speculum, Angelorum solatium, tuæ bonitatis imaginem, nostræ salutis originem, multiplici gaudio in terris et in cœlis lætificasti : concede mihi, supplici tuo, ut quid ad eam quasi ad fontem gaudii in doloriqus meis fiducialiter recurrere præsumo, valeam ipsius meritis et intercessione præsentis et perpetui gaudii effectum sentire, et ad illud ineffabile gaudium, quo assumpta tecum gaudet in cœlis fecliter pervenire. Amen.

# CAPUT LXXXVII

## DE FINALI JUDICIO.

1 Finalis judicii circumstantiæ in generali. — Post prædicta, quæ jam completa sunt, restat ut de finali judicio, et de quibusdam aliis nondum impletis, aliquid videamus. Finale itaque judicium quædam sunt antecedentia, scilicet : pœna purgatorii, Ecclesiæ suffragia, et Antichristi persecutio ; quædam sunt concomitantia, scilicet : conflagratio mundi, et corporum resurrectio ; et quædam sunt sequentia, scilicet : pœna infernalis, et gloria cœlestis.

2 Purgatorii pœnæ et Ecclesiæ suffragia. — De purgatorio sciendum, quod in eo duplex pœna est : una damni, de carentia divinæ visionis ; alia sensus, de afflictione caloris aut frigoris, vel pœnæ alterius generis : et quantum ad utrumque, minor pœna purgatorii, major est quam maxima pœna hujus mundi. Unde ait *Bernardus* : «Sola dies purgatorii superat passiones Sanctorum. » Ratio autem acerbitatis pœnæ purgatorii est ista : quia, cum Deus plus quærat emendam, quam pœnam, plus ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quam pœnam afflictionis; unde plus ponderat Deus modicam pœnam voluntariam in præsenti, quam multam non ita voluntariam in futuro, sicut plus valet modicum auri, quam multum plumbi. Unde, juxta *Augustinum*, una gutta aquæ lacrymarum, tantum facit hic pro emenda, quantum faciunt decem anni in purgatorio. Et oportet, ut quod ibi deficit in

voluntate, suppleatur in acerbitate. Necesse est autem, ut ait idem *Augustinus,* quod tantum urat dolor, quantum inhæserat amor. Tanto enim quisquis torquetur diutius, quanto affectus ejus venialibus inhærebat fortius ; unde, tamdiu differtur quis a gloria, quousque fiet sine omni macula, sicut erat in Baptismo. Noli ergo contemnere venialia, pro quibus tanta pœna est exspectanda. Cur autem anima incorporea corporalibus pœnis teneatur, declarat idem *Augustinus*, dicens : « Animæ, quæ in corporibus viventes, per dilectionem rerum visibilium corporalibus imaginibus afficiuntur, a corporibus exeuntes, in eisdem imaginibus tormenta patiuntur. Propterea enim corporalibus passionibus ibi teneri possunt, quia a corruptione corporalium affectionum hic mundatæ non fuerunt ; quam corpulentiam de corporis delectatione traxerunt. » Et iterum : « Si enim anima a corruptione corporalium affectionum hic non mundatur, corpore exuta corporalibus tenetur passionibus. Studeat ergo in hac vita se ab hujusmodi petulantia mundare, quatenus cum hinc exierit, nihil corporeum secum trahat, et a corporis passione immunis existat : » hæc *Augustinus.* — Suffragiorum autem sunt quatuor modi generales, ad quos omnes alii reducuntur, scilicet : oratio, jejunium, eleemosyna et Sacramentum altaris. Hæc suffragia prosunt defunctis, secundum magis et minus, pro diversitate meritorum in mortuis ; vel pro caritate vivorum, qui magis sollicitantur pro mortuis aliquibus quam pro aliis. Illa enim suffragia, quæ specialiter sunt pro aliquibus, plus valent illis quam aliis, licet etiam aliis aliquo modo communicentur. Suffragia vero quæ communiter fiunt pro defunctis, quamvis omnibus pro modulo suo prosint ; illis tamen amplius, qui dum essent in statu viæ, magis meruerunt ut sibi prodessent. Unde *Gregorius* : « Illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic vivendo obtinuerunt ut eas etiam post mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hoc autem pensandum est, quod tutior via sit, ut bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat dum ipse vivit per se. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. Tunc ergo vere pro nobis Deo hostia accepta erit, cum nosipsos hostiam fecerimus. Et fidenter dico, quoniam hostia salutari, post mortem, non indigebimus, si ante mortem Deo hostia ipsi fuerimus : » hæc *Gregorius.* Insuper, ne aliquod bonum pereat, illa bona quæ quis peccando operatur, mortificata, aliis salvandis dabuntur ; sicut quando corporali morte quis moritur, fratres et propinqui in bonis ejus succedunt.

3 Antichristi persecutio, adventus Henoch et Eliæ Judæorumque conversio. — Antichristus vero quatuor modis subvertendi homines armabitur, scilicet : callida persuasione, miraculorum operatione, bonorum largitione, et tormentorum exhibitione. Prædictis quatuor modis multos ad se trahet. Trahet autem malos per munera, bonos per tormenta, simplices per prædicationem et miracula. Habebit secum magos et maleficos ; habebit quoque reges et principes. Unde in Apocalypsi : *Vidi de mari ascendentem bestiam,* id est Antichristum, *habentem capita septem,* id est principes universos, *et cornua decem,* id est illos qui impugnant decalogum. Hic, ut creditur, ex parentibus senibus concipietur, et nascetur in Babylone, de tribu Dan. Et, sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis inhabitavit, ita in Antichristo omnis plenitudo iniquitatis inhabitabit : quia in ipso erit spiritus malignus, caput omnium malorum, propter quod et filius perditionis vocabitur. — Inter occultum adventum Antichristi, qui est per nativitatem, et manifestum, qui erit per prædicationem, et apertam persecutionem, venient Elias et Henoch, ut ipsi repugnent, et errantes ad viam veritatis reducant ; qui utrique per Zachariam duæ olivæ, id est Spiritu Sancto uncti, et per Joannem duo candelabra, id est lumen dantes aliis, nominantur ; et prædicabunt diebus

mille ducentis sexaginta, id est tribus annis et dimidio, sicut et Christus prædicavit, amicti saccis, id est pœnitentiam verbo prædicantes et exemplo suo ostendentes. Et omnes, qui cognoscere et confiteri verum Deum volunt, hos duos senes et veraces testes subsequuntur, iniquum errorem deserentes : quoniam ipsi in magnis, et coram Deo, et coram populo fulgebunt, vicos et civitates et plateas, atque alia loca ubicumque filius perditionis contrariam doctrinam suam efflaverit, percurrentes, ac in eis multa signa in Spiritu Sancto facientes ; ita ut omnis populus qui ea viderit in maximam admirationem ducatur. Idcirco autem hæc magna signa, supra firmam petram solidata, illis dabuntur, quatenus illa contraria et falsa signa abjiciantur. Antichristus tandem occidet eos in Jerusalem, et jacebunt corpora eorum in plateis tribus diebus et noctibus et dimidio : quia nullus audebit corpora eorum sepelire, propter metum Antichristi, ut quicumque viderint, timeant eis conformari. Post tres autem dies et dimidium resurgent, et ad cœlum in nube ascendent. Antichristus vero quindecim diebus regnabit post mortem illorum. Regnabit autem tribus annis et dimidio, et post, Dominus potestate sua occidet eum : sive per se, sive per Michaelem Archangelum. Occidetur autem in monte Oliveti in papilione, et in solio suo, in loco illo unde Dominus ascendit; scilicet in præfati montis vertice, qui dicitur inclytus, quia ex eo Salvator ascendit ad patrem; ibi namque peribit, unde Dominus ascendit. Quo interfecto, non statim veniet Dominus ad judicium, sed concedentur quadraginta quinque dies ad refrigerium Sanctorum, et ad pœnitentiam subversorum. Quantum autem sit spatium inter illos quadraginta quinque dies, et finem mundi, nemo scit. Judæi tunc ad prædicationem Henoch et Eliæ convertentur ad fidem, et sancta Ecclesia usque in finem mundi pacifica quiescet : quia ex tunc fraudulentia et sævitia diaboli penitus deficiet.

4 Conflagratio mundi. — Circa conflagrationem mundi sciendum est, quod ignis permaximus adventum Judicis præveniet, et faciem ejus præcedet : quia virtute divina non solum ignis, qui est in sphæra sua; sed etiam omnes ignes, et qui in terra, et qui super terram sunt, ad mundi conflagrationem concurrent. Per istum ignem quasi simul fiet purgatio justorum, et punitio malorum, incineratio corporum et consumptio terræ nascentium. Habebit enim iste ignis officium quatuor ignium, videlicet : ignis infernalis, ad reproborum punitionem; ignis purgatorii, ad bonorum a venialibus purgationem ; ignis terrestris ad vegetabilium et sensibilium consumptionem, et corporum incinerationem ; et ignis elementaris, ad elementorum subtiliationem, et innovationis eorum dispositionem. Per hunc ergo ignem ita facies terræ exuretur, quod figura hujus mundi peribit ; sicut et olim per diluvium factum fuit. Et merito primum Dei judicium fuit in aqua, contra ardorem luxuriæ, quæ tunc viguit; ultimum vero judicium erit in igne, contra teporem caritatis, quæ tunc, senescente quasi mundo, refrigescet.

5 Resurrectio universalis. — Quo facto, statim erit resurrectio mortuorum corporum, cum adventu Judicis ad judicium ; et tunc inflammabitur totus mundus per circuitum. Quia enim homo in anima et corpore, dum hic viveret meruit et demeruit; in anima simul et corpore punietur, vel in utroque præmiabitur ; et ideo in eisdem oportet eum resurgere. Resurgent autem omnes homines tam boni quam mali, nulla in illis existente differentia, quantum ad ordinem temporis, sed quantum ad ordinem dignitatis. Etenim mali surgent deformes et passibiles, imo tam ignominiosum erit corpus peccatoris, quod anima resumens ipsum stupebit quando illud videbit, et ipsum videre abhorrebit, et vellet potius habere tale corpus quale erat, quando dimidium comestum fuit a vermibus. In bonis autem natura servabitur,

sed vitia detrahentur; et erit corpus septies clarius quam sol sit modo. Quanto autem fuerint crimina malorum abominabiliora, tanto erunt corpora eorum deformiora; et quanto fuerint merita justorum plura et majora, tanto erunt corpora eorum pulchriora et clariora. Corpus minimi pueri septempliciter clarius sole erit; si alius fuerit in decuplo eo sanctior, illius corpus in decuplo erit illo clarius; et similiter intellige de centies et millesies. Et sicut Christus infinities est omnibus Sanctis sanctior, ita est infinities corpus ipsius omnibus Sanctis clarius. Omnes autem tam boni quam mali resurgent incorrupti et integri corpore, sine aliqua videlicet membrorum diminutione, in debita statura, secundum mensuram ætatis plenitudinis Christi; sed boni tantum in gloriam immortalitatis immutabuntur. Unde *Augustinus*: «Sed, si Christus in ea mensura corporis in qua mortuus est resurrexit, nefas est dicere, cum Resurrectionis omnium tempus venerit, accessuram corpori ejus eam magnitudinem quam non habuit, ut longissimus possit fieri æqualis. Si autem dixerimus, ad Dominici corporis modum etiam minorum majorumque corpora redigenda, peribit de multorum corporibus perplurimum, cum ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo ut quisque recipiat suam mensuram, quam vel habuit in juventute, si senex est mortuus; vel fuerat habiturus, si est ante defunctus. Et ideo non est dictum ab Apostolo, in mensuram staturæ, sed *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quia resurgent corpora mortuorum in juvenili ætate et robore, ad quam Christum pervenisse cognovimus : » hæc *Augustinus*. Resurrectio ergo tria corriget in natura, scilicet : defectum, sicut in pueris et mutilatis, sive in diminuta natura membrorum; superfluum, scilicet unguium, crinium et hujusmodi; errorem, sicut est in monstruositate membrorum. Resurgent quoque corpora eorum, numero eadem quæ prius, ex eodem pulvere in quem redacta fuerant; ita quod in quascumque auras vel sinus pulvis ille fuerit dispersus, ad eamdem animam redeat, quæ idipsum primitus, ut viveret et cresceret, animavit. Nec solum resurgent corpora quantum ad membra principalia; sed etiam salvis capillis, et ceteris membris ad decorem facientibus. Resurgent enim homines quantum ad esse, et quantum ad integrum esse, et quantum ad decorum esse. Et hoc *in momento*, id est in brevissimo et angustissimo spatio temporis, *in ictu oculi*, qui transvolat media, et transit ad remota, *in novissima tuba*, id est per vocem magnam et manifestam, post quam non erit alia. *Canet enim tuba* : hæc tuba clamor ille intelligitur, de quo in Evangelio dicitur : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Non enim tunc veniet cum speratur; sed media nocte, id est occulte valde et insperate. Tubæ nomine aliquod evidens et præclarum signum accipitur, quod nutu divino dabitur; quia et Archangeli vox, alibi, et etiam vox Filii Dei in Evangelio tuba Dei dicitur. Et bene dicitur *tuba Dei* : quasi enim ad bellum contra inimicos veniet; et efficaciam dabit ei, quod per illam mortui resurgant. Vox ergo tubæ, secundum quosdam, est imperium Christi resurgere imperantis; secundum alios vero est manifesta Christi apparitio.

6 Adventus Christi judicis. — Post Resurrectionem vero statim erit judicium. Erit autem in valle Josaphat, quæ sita est ad Orientem, inter Jerusalem et montem Oliveti : quia Jerusalem terra adjacens est locus medius communis omnibus nationibus, ac famosissimus, et publicus propter opera nostræ redemptionis. Josaphat autem interpretatur *judicium Domini*. Ad judicium ergo Domini congregabuntur omnes impii, ut damnentur; justi vero non descendent in vallem judicii ut damnentur, sed in nubibus *obviam Christo in aera* elevabuntur. Christus enim non descendet in terram ad judicium, sed in aere sedebit contra locum montis Oliveti, ex quo ascendit, stipatus agminibus et Virtutibus cœlorum. Et erit judicium il-

lud horribile ex omni parte : supra, erit Judex iratus ; subtus, patens infernus ; intus conscientia remordens; extra, mundus ardens ; a dextris, peccata accusantia ; a sinistris, infinita dæmonia terrentia ; circa, boni Angeli in infernum pellentes, et mali ad ipsum trahentes. Ibi erunt etiam omnes Sancti sententiam Judicis approbantes ; et omnes mali cum bonis peccata damnatorum cognoscentes. Et tunc Christus Dominus blandus justis, et terribilis apparebit injustis; adeo quidem iratus reprobis videbitur, ut *tunc incipiant dicere montibus et petris : Cadite super nos , et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.* Stigmata quoque monstrabit et Passionis insignia, scilicet : crucem, clavos, lanceam, coronam, et flagella. Tota quippe Trinitas in judicio futuro judicabit auctoritative et jurisdictione ordinaria ; sed Christus, in quantum homo, judicabit executive, et jurisdictione delegata : quoniam judex debet esse manifestus omnibus judicandis. Deus autem Pater vel Filius, secundum divinam naturam, non videbitur ab omnibus in judicio, quia tunc omnes essent beati, cum in hac visione consistat beatitudo ; et ideo executio judicii data est a Patre Christo homini, qui poterit ab omnibus videri. Unde : *Potestatem dedit ei judicium facere,* scilicet executive,*quia Filius hominis est*, ab omnibus visibilis, bonis et malis. Non apparebit in forma Dei, quia solis mundis corde promittitur visio formæ Dei ; sed in forma servi, ut possit ab omnibus videri, juste judicaturus in ea forma, in qua injuste judicatus est. Unde ait *Augustinus* : « Forma illa erit Judex, quæ stetit sub judice. Illa judicabit, quæ judicata est. Nam si judicium non fieret nisi inter solos justos, appareret tamquam justis forma Dei. Quia vero judicium futurum est justorum et iniquorum, nec licet ut iniqui videant Deum, talis apparebit Judex, qualis videri possit, et ab eis quos coronaturus est, et ab eis quos damnaturus est : » hæc *Augustinus.*

7 Quatuor hominum ordines in judicio. — Quatuor autem hominum ordines erunt in judicio : quorum duo erunt electorum, et a dextris; duo reproborum, et a sinistris. Ex parte electorum quidam non judicabuntur, sed judicabunt et salvabuntur, ut quorum merita bona sunt impermixta malis ; sicut perfectorum pauperum Christi, qui hic seipsos judicaverunt ·qui præcepta legis, perfectionis virtute transcenderunt,et omnia relinquentes,nudi nudum Christum secuti sunt, quibus voce Dominica dicitur, in Evangelio : *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia,et secuti estis me,cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Dicuntur autem judicare, id est judicanti assistere, quia cum Judice tamquam assessores eminentius sedebunt; non quod ipsi sententiam ferant, quia hoc solius Judicis erit sed quod approbent et confirment. Sedebit enim Christus in eminentiori loco, cum Sanctis; mali vero stabunt subtus, in terra, quam dilexerunt. — Quidam vero judicabuntur et salvabuntur; ut quorum merita bona sunt aliquibus malis venialibus permixta, qui vitæ maculas lacrymis tergunt, qui mala præcedentia sequentibus factis et misericordiæ operibus redimentes,quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis Judicis bonorum operum superinductione cooperiunt, quibus Judex veniens dicit : *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram,et collegistis me ; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me.* — Ex parte reproborum quidam judicabuntur et damnabuntur, ut quorum merita damnabilia permixta sunt aliquibus bonis, sicut illorum qui Christianæ fidei initiati mysteriis opera fidei exercere contemnunt, et fidem sine operibus habent, quibus in clamatione Dominica dicitur : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi potum ; hospes eram, et non collegistis me ; nudus, et non cooperuistis me ; infirmus et in carcere, et non visitastis me.* — Quidam vero non ju-

dicabuntur, sed damnabuntur; ut quorum mala merita omnino impermixta sunt bonis, ut qui fidem recipere noluerunt, et fundamento fidei caruerunt, vel qui susceptam fidem quasi per apostasiam rejecerunt, de quibus Dominus dicit : *Qui non credit, jam judicatus est*; et de quibus Paulus ait : *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, de quibus etiam Psalmista inquit : *Non resurgent impii in judicio.* Resurgent quippe etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium. Unde ait *Petrus Cantor* : « *Qui non credit*, non habens scilicet characterem fidei, *jam judicatus est.* Non enim fiet cum tali discussio et examinatio, cum caruerit charactere et dominio Regis, et constet curiæ talem esse de reprobis, nec de familia Dei ; unde sine sententia rapietur in ignem æternum. Habens autem characterem Regis, et signum quo ab aliis separatus erat, citabitur ut homo regius ; sed et quæ discussio et disceptatio cum eo ? *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. Tandemque pro non servato charactere, et dominio Regis, fiet sententia in eum damnandum. » Unde et *Gregorius* : « Nam et princeps terrenum rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo enim, scilicet in cive jura sua consulit ; contra hostem vero bellum movet, et de pœna ejus, quid lex habeat, non requirit : » hæc *Gregorius.* Perfecti ergo judicabunt, et non judicabuntur ; alii fideles, facta discussione Evangelica, de operibus misericordiæ judicabuntur, quidam ad gloriam quidam ad pœnam ; infideles autem jam judicati sunt.

8 Judicandi forma. — Ubi non putetur, per tractum et moram temporis singulorum examinationem faciendam, sed simul merita singulorum discutiet, et discussa judicabit. Tunc enim libri conscientiarum pandentur, et ipse liber aperietur, qui dicitur liber Vitæ ; quo fiet ut simul omnium omnia secreta omnibus tanta certitudinis claritate patescant, ut contra testimonium veritatis loquentis in Christo, et conscientiæ cujusque pariter contestantis, nulla inficiendi, defendendi, vel excusandi, seu subterfugiendi pateat semita, quin recipiat unusquisque secundum merita sua. Unde *Augustinus* : « Fiet enim virtute divina, ut cuique opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut vel accuset, vel excuset conscientia conscientiam. » Tunc aperta erit separatio sicut morum, sic et vitæ singulorum. Dicit autem idem *Augustinus*, quod tot homines salvabuntur, quot olim dæmones ceciderunt; sed *Gregorius* dicit, quod tot homines salvabuntur, quot Angeli persliterunt. Dixerunt etiam quidam, quod duo parietes erunt in cœlo, scilicet unus hominum, et alter Angelorum, et quod ruina Angelorum restaurabitur per virgines; et de alio pariete tot erunt salvandi, quot in alio pariete sunt virgines et Angeli.

9 Quam utilis judicii recordatio ! — Bonum esset et utile de hoc judicio frequenter cogitare, ut cogitatio tantæ angustiæ nobis timorem incuteret, et timor incussus a nobis peccatum perpetratum expelleret, et nos a perpetrando arceret, exemplo *Hieronymi* dicentis : « Sive comedam, sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper videtur in auribus meis sonare illa vox terribilis : Surgite mortui, et venite ad judicium. » Unde et *Gregorius* : « Si qua est præsentis temporis lætitia, ita agenda est, ut numquam amaritudo sequentis judicii a memoria recedat. » Unde etiam *Anselmus* : « Scriptum est : *In matutino*, id est in contemplatione extremi judicii, quod nocti præsenti tamquam lux matutina succedit, *interfice omnes peccatores terræ*, id est delicta atque peccata conversationis terrenæ ; *ut disperdas de civitate Domini*, quam in te illi ædificare debes, *omnes operantes iniquitatem*, id est diabolicas suggestiones, odibiles Deo delectationes, mortiferos consensus, atque opera perversa. Ab omnibus his, tamquam civitas Dei, debes emundari, ut placitam in te mansionem sibi Creator inveniat, obtineat, et possideat : »

hæc *Anselmus*. Ista ergo omnia pensantes, evigilemus totis viribus, et voluntati Dei obtemperantes, remedia quæramus, beneficiaque Dei circa nos recogitantes assidue peccata studeamus pro posse vitare, ut judicio illi terribili mereamus securi assistere. Ad quod bene hortatur nos *Augustinus* dicens : « Melius est hic parvam amaritudinem sustinere, et postea ad æternam dulcedinem pervenire; quam hic habere falsum gaudium, et illic suscipere sine fine supplicium. » Et iterum : « Certum est, fratres carissimi, quod si semper beneficia Dei nostri, quæ nobis, nullis præcedentibus meritis nostris, collata sunt assidue cogitamus, peccata nobis aut non dominantur, aut si forte surrepserint, cito per pœnitentiam corriguntur. Quis enim vel mente concipere, non dicam verbis possit exponere, quanta circa nos sunt beneficia Dei nostri ? Fecit enim nos, cum non essemus ; reparavit nos postea, cum perissemus, Mortem suscepit, pretioso nos sanguine liberavit. Ad inferna descendit, de faucibus nos æternæ mortis eripuit ; cœlorum nobis etiam præmia promisit. Hæc omnia, fratres dilectissimi, pio et benigno animo recogitantes, quantum possumus cum ipsius adjutorio beneficiis suis vicem rependere festinemus. Non reddamus mala pro bonis ; sed quantum possumus, voluntati illius obtemperare fideliter studeamus, totis viribus innitentes, ut præcepta ipsius magis nobis pariant de sequacitate remedium, quam de transgressione judicium. Etenim, quid faciemus, carissimi, in illo metuendo judicii die, cum Dominus, tremente mundo, præcinentibus Angelorum buccinis, in illo majestatis suæ throno, circumdatus cœlestis militiæ luce, consederit, ibique de terræ gremio et de antiquo pulvere suscitato humano genere, adstante testimonio conscientiæ singulorum, positis in conspectu peccatorum pœnis, justorumque præmiis, rationem vitæ cœperit omnibus postulare; et plus jam justus quam misericors, severitate Judicis contemptæ misericordiæ reos cœperit accusare, et dicere : Ego te, o homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infundi spiritum ; ego tibi imaginem nostram similitudinemque conferre dignatus sum, ego te inter paradisi delicias collocavi. Tu autem, vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quam Dominum maluisti. Cum expulsus de paradiso, jure peccati mortalis vinculis tenereris, virginalem uterum, sine dispendio virginitatis, pariendus introivi. In præsepio expositus, et pannis obvolutus jacui. Infantiæ contumelias humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet ut te mihi similem facerem, pertuli. Irridentium palmas et sputa suscepi, acetum cum felle bibi; flagellis cæsus, vepribus coronatus, affixus cruci, perfossusque vulnere, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi ; en perfossum vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam meam darem. Suscepi mortem tuam, ut tu in æternum viveres. Conditus jacui in sepulchro, ut tu resurgeres in cœlo. Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? Cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuisti ? Non tibi ego de morte mea queror. Redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. Redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indesinenter occidis. Cur habitaculum, quod in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus jam meum, illecebrarum turpitudine maculasti? Cur meipsum criminum tuorum cruce graviore, quam illa in qua quondam pependeram, affixisti ? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua vinctus pendeo, quam illa in qua tui misertus mortem tuam occisurus ascendi. Cum essem impassibilibis, pro te pati dignatus sum. Sed tu despexisti in homine Deum, in inferno salutem, in via reditum, in Judice veniam, in cruce vitam, in suppliciis medicinam. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari : » hæc *Augustinus.* »

10 IGNIS JUDICIUM PRÆCEDENS ILLUD

CONCOMITABITUR ET SEQUETUR. — Terminato judicio, tota caliditas illius ignis permaximi, de quo dictum est, exsequetur Judicis sententiam; involvet enim peccatores et trahet in infernum. Et ita patet, quod ille ignis adventum Judicis et præcedet, et concomitabitur, et sequetur. Unde ait *Gregorius* : « Ille etiam ignis, qui cœlum aereum et terram concremabit, peccatores procul dubio constringet in pœna suæ damnationis. Ipse enim Redemptor noster in suo tunc terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindictam famulabitur. » Et iterum : « Extremi judicii die, æterno tunc Judice terribiliter apparente, astantibus legionibus Angelorum, assistente cuncto cœlestium ministerio Potestatum, atque omnibus electis ad hoc spectaculum deductis, antiquus hostis diabolus, bellua videlicet crudelis et fortis, in medium captivus deducetur, et cum suo corpore, id est cum reprobis omnibus æternæ gehennæ incendiis mancipabitur, cum a Domino dicetur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bellua electorum oculis ostendetur, quæ hoc belli tempore nimis eos terrere poterat, si videretur ! Sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut et nunc per ejus gratiam a pugnantibus non visa vincatur ; et tunc a lætis victoribus jam captiva videatur. Tunc autem justi divino adjutorio, quantum debitores sint, plenius recognoscent, quando tam fortem belluam viderint, quam nunc infirmi vicerunt, et in hostis sui conspicient immanitate, quantum debeant defensoris sui gratiæ : » hæc *Gregorius*. Unde et *Augustinus* : « Post judicium perget hinc, ducetque secum corpus, cui caput est; et offeret regnum, id est redemptos sanguine suo, Deo Patri. Tunc plane videbitur forma illa Dei, quæ non potuit videri ab iniquis, quorum visioni forma servi exhibenda erat. » Unde ait etiam *Anselmus* : « Sublatis autem impiis, ne videant gloriam Dei, de justis singulis, secundum gradum suum et meritum, angelicis ordinibus insertis, fiet illa gloriosa processio, Christo præcedente capite nostro, omnibusque membris sui sequentibus, et tradetur regnum Deo Patri : ut ipse regnet in eis, et ipsi in eo, regnum illud percipientes, quod paratum est illis ab origine mundi : » hæc *Anselmus*.

11 MUNDI INNOVATIO. — Post prædicta statim erit mundi innovatio, quæ non complebitur quamdiu peccator est in mundo, id est quousque detrudatur in infernum. Sic enim ignis ille permaximus elementa purgabit, cum habeat virtutem formæ extrinsece expulsivam ; sic mundum innovabit, cum habeat virtutem subtiliativam. Unde diffrentia est inter purgationem, et innovationem : quia purgatio erit pœnalium qualitatum detractio, et elementorum ab impuritate, quam ex commixtione habent, ad puritatem mutatio; sed innovatio, erit pulchrioris formæ inductio. Sic autem purgabuntur elementa, quod præcidetur ab igne vis combustibilis, ab aere obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas, a terra ponderositas et opacitas : quia de omnibus elementis quod ignobile est, tendet deorsum et ad locum pœnarum, scilicet ad cloacam infernalem cum omnibus rerum immunditiis confluet, et ibi horrorem carceris multiplicabit. Rerum ergo mutabilitas, scilicet : frigus, æstus, grandines, turbines, fulgura, tonitrua, et aliæ incommoditates penitus interibunt ; elementa vero purgata permanebunt. Innovabuntur etiam, quia terra tota erit sicut paradisus et planabitur ; et aer erit clarior, nec habebit impressiones, quas habet modo ; perspicuum quoque in aqua, et lux in igne manebunt : et sicut ignis et aqua puriores. Orbes quoque cœlestes, propter impermixtionem, nullam impuritatem habentes nulla indigebunt purgatione, sicut elementa terrestria; sed tantummodo cessatione motus, et ideo innovabuntur, sed non purgabuntur. Innovatio vero eorum, est a statu veteri in statum novum commutatio. Et requirit in illis duo, scilicet : motus

cessationem, et claritatis splendorem ampliorem ; quando sol stabit in Oriente, et luna in Occidente, ubi creata sunt, et ibi sine fine manebunt. Hujus ratio est ista : quia corpora superiora facta sunt ad usum hominis dupliciter. Uno modo, propter necessitatem corporis, scilicet, statum generationis et corruptionis, et ideo, cessante illo statu, cessat et motus. Motus enim cœli, et transmutatio in elementis ordinata sunt ad complendum numerum electorum ; et ideo ipso numero completo, in judicio cessabunt, sicut ea quæ sunt ad finem, habito fine cessant. Cessante autem motu cœli, cessabit et tempus, quod sequitur motum cœli, quia, secundum Apocalypsim : *Tempus non erit amplius.* Ex hoc patet, quod dies resurrectionis generalis erit dies novissimus, unde Job dicit : *Et in novissimo die, de terra surrecturus sum.* Altero modo corpora superiora facta sunt, propter delectationem et pulchritudinem creaturæ, et propter cognitionem Dei in illis ; et ideo lux eorum non cessabit, sed augebitur. Denique cœlum, sol, luna et stellæ, quæ nunc festinant cursu irretardabili, quasi cupientes in meliorem statum mutari ; tunc fixa immobiliter manebunt et quieta, et mirabili glorificatione immutata. Nam cœlum gloriam solis induet ; sol, luna, et stellæ vestientur ineffabili splendore. Unde *Haymo* : « Tunc etiam complebitur id quondam per Isaiam prædictum : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum.* Hoc enim post illum extremi judicii diem erit, cum scilicet cœlum novum ac terra nova fuerit. Omnia namque quæ per spatium sex dierum operatus est Deus, propter hominem facta sunt ; et in ejus lapsu omnia elementa detrimenta sustinuerunt. Nam, antea terra spinas et tribulos non proferebat ; nec aer iste tantæ crassitudinis ut nunc, sed purior erat ; sic etiam sol, et luna, et sidera sui luminis sustinuerunt detrimenta. In die vero judicii, terminato illo examine, cum fuerint omnes reprobi una cum diabolo conclusi in infernum, sustollet se Dominus Jesus pariter cum corpore suo, quod omnes electi sunt, in cœlum. Et tunc sibi luna splendorem solis mutuabit ; sol vero septempliciter quam modo lucebit ; recipietque splendorem quem, homine peccante, amisit » : hæc *Haymo*. Patet ergo, quod cœlum et terra transibunt, quantum ad formam, sed non quantum ad substantiam. Unde *Augustinus* : « Elementa, id est cœlum et terram, non credamus abolenda, sed in melius commutanda ; figuram mundi, id est imaginem, non substantiam perituram. » Unde et *Gregorius* : « Cœlum et terra per eam quam nunc habent imaginem transeunt ; sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Cœlum igitur et terra, et transit, et erit ; quoniam ab ea quam nunc habet speciem, per ignem tergitur, et tamen in sua semper natura servatur, unde per Psalmistam dictum est : *Mutabis ea, et mutabuntur* : » hæc *Gregorius*. Mundum autem innovari, id est pulchriorem formam induere debere, ostenditur triplici ratione. — Primo, quia sicut dignum fuit quod elementa purgarentur, pro eo quod infecta erant propter peccatum hominis ; ita dignum erit ut mundus innovetur, propter glorificationem hominis et honorem beatorum, ut homine glorificato, cuncta etiam creatura innovetur cum eo. — Secundo, ut creaturæ remunerentur pro labore quo homini servierunt. — Tertio, ut totus mundus per hoc speculum Deum cognoscat. Unde oportet in futuro speculum purgari, et meliorari, quia in pulchritudine creaturarum amplius resultat species Creatoris. Hoc autem non erit ad necessitatem, ut Deus per creaturas videatur sicut modo ; sed ad jucunditatem, ut videlicet jucunditati visionis intellectualis, addatur delectatio visionis sensibilis.

## ORATIO

Benignissime Jesu, qui per immensam bonitatis tuæ patientiam ad emendationem me exspectas, da mihi misero, ut in præsenti me discutiente dijudicer, ac omnia quæ tibi displicent vitare, et quæ tibi placent implere valeam; sicque tibi placitus et gratus fiam, quatenus in futuro judicio cum electis tuis a dextris positus, te propitium, et placatum inveniens, paratum eis regnum percipiam, tua desiderabili ad quam suspiro perenniter fruiturus præsentia, Jesu clemens, meum desiderium, præmium et vita. Amen.

# CAPUT LXXXVIII

### DE PŒNA INFERNALI ET GLORIA CŒLESTI.

1 Æterna supplicia inferni ? — Finale vero judicium sequuntur pœna inferni, et gloria cœli. De pœna infernali est sciendum, quod cum in damnatis sit diversitas peccatorum, erit et diversitas pœnarum. Cum enim in peccato sit aversio a Creatore, et conversio ad creaturam, scilicet ad bonum commutabile, spreto bono incommutabili, scilicet Deo, et deordinatio voluntatis contra instinctum rationis : merito propter ista tria pœna variabitur. Unde propter aversionem erit carentia visionis Dei; sed propter conversionem, erit pœna materialis ignis, vel incendii ; propter inordinationem autem rationis et voluntatis, erit pœna universi, quæ consistit in afflictione varia, acerba, et æterna. Ibi enim erit calor ignis et rigor frigoris, tenebræ, fumus, lacrymæ interiores, aspectus dæmonum, clamor in perpetuum, improperium, mallei percutientium, serpentes et dracones, ariditas, sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiæ, vincula et carcer, timor, dolor, pudor, et confusio peccatorum omnibus patentium, invidia, rancor, tristitia, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse, quod omnis creatura appetit, pœna damnatis erit; quia quærent mortem naturalem, et non invenient. Nam, quia homo in suo æterno peccavit, id est quamdiu vixit, nec voluntas ejus finem peccandi habuit ; ideo juste in æterno Dei, et æternaliter punietur. Unde *Gregorius* : « Ad districti judicii sententiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato ; et nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. » Et iterum : « Iniqui cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt ; nam voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut possent sine fine peccare. Ostendunt enim, quoniam in peccato semper vivere cupiunt, qui numquam desinunt peccare dum vivunt. Justum est igitur, ut numquam careant supplicio, qui numquam voluerunt carere peccato : » hæc *Gregorius*. Unde et *Augustinus* : « Factus est autem homo malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse possit æternum. » Et, ut ait *Bernardus*, juste profecto si peccat, patitur quod nolit, qui non peccat nisi velit. Videbunt etiam damnati se invicem : non ut inde consolentur, sed magis torqueantur. Unde *Gregorius* : « Quamvis illis ignis ad consolationem non lucet, tamen ad aliquid. scilicet ut magis torqueantur, lucet. Eos quippe, quos reprobi nunc inordinate diligunt, secum tunc in tormentis videbunt; ut pœnam propriæ punitionis, exaggeret carnalis cognatio auctori

præposita, pari ante oculos ultione damnata. » Unde et *Isidorus* : « Ignis gehennæ lucebit miseris ad miseriæ augmentum, ut videant unde doleant; non ad consolationem, ut videant unde gaudeant. » Et breviter, secundum *Hieronymum*, tanta erit in inferno vis doloris, quod mens ad aliud dirigi non potest, nisi ad quod vis doloris impellit. Et si, singulis diebus quibus erunt damnati in inferno tantum unam lacrymam materialem emitterent, plus exiret aquæ per processum temporis ab uno damnato, quam omnia vasa hujus mundi caperent, imo plus quam omnia maria aquæ contineant. O pia corda, illud interminabile et crudele, illud æternum supplicium respicite, lugete et flete. Heu! heu! Cur non hæc maxima futura nobis mala prævenimus, cum robur adest, et tempus opportunum? Utinam et de tempore toto inutiliter expenso, superesset tunc nobis vel una horula tantæ pœnæ in remedium concessa! Sed heu! sententiante divina justitia, præcluditur nobis salutis via, negatur misericordia, et spes omnis est ablata. O dolores miseriæ, et in æternum permansuræ angustiæ, in *terra* ista *oblivionis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat!* Quid plura? Nos miseri et miserabiles tantum tunc affligimur, et dolemus de illo væ æterno, ut qualiscumque terminus excogitatus, dummodo finitus, esset nobis solatiosus; unde, posito, per impossibile, quod esset aliquis lapis molaris adeo magnus, quod circumferentiam cœli contingeret, et quod aliqua avicula, minimæ quantitatis, post centum millia annos veniens, de lapide prædicto, solummodo per rostrum suum evelleret, quantum est decima pars milii, et iterum post centum millia annorum curricula sicut prius ageret, scilicet unam particulam de decem, et sic per partes evelleret; ita quod in decies centenis millibus annis non plus diminueretur quantitas lapidis, nisi quantum habet in magnitudine granum unius milii : en, proh dolor! nos miseri multum grati essemus, quod post tam longam et plenam consumptionem totius lapidis finem haberet sententia nostræ æternæ damnationis. Sed heu! hæc eadem consolatio miseris a divina justitia penitus est negata.

2 Speciatim, visionis divinæ carentia. — Supra omnes autem pœnas inferni, est carentia visionis Dei; quia mali non tantum dolebunt de ipso tormento, quam quod repellentur a tali consortio. Unde inquit *Chrysostomus* : « Nonnulli imperitorum putabant sibi esse satis et optabile videri, si gehenna tantummodo carerent; ego autem multo graviores quam gehennæ dico esse cruciatus, removeri et abjici ab illa gloria. Excludi ab omnibus bonis quæ Sanctis præparata sunt tantum generat cruciatum, et tantum dolorem, ut etiamsi nulla pœna extrinsecus damnatos torqueret, hæc sola sufficeret; omnes igitur gehennæ superat cruciatus. Et videtur quidem una tantummodo pœna esse comburi; si vero aliquis diligenter expendat, duplex hoc inveniet esse supplicium. Qui enim in gehenna uritur, cœlorum regnum prorsus amittit, quæ certe pœna major est, quam cruciatus ille flammarum. Novi autem, quoniam plurimi solam pertimescant gehennam, ego tamen illius gloriæ amissionem multo amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium. Intolerabilis quidem res est gehenna, et supplicium ejus horribile. Attamen, si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore propelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo : *Numquam novi vos*; atque vultum illum mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen aversantem videre, ac illos totius tranquillitatis et dulcedinis oculos, nequaquam nos aspicere sustinentes. Sed nequaquam istud patiamur, o unigenite Fili Dei, neque experiamur intolerabile illud horrendumque supplicium : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Augustinus* : « A regno Dei exsulari, a civitate Dei alienari, a vita cadere, tam gravis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus, comparari. » Unde et *Gregorius Nazianzenus* : « His ergo

qui regno cœlorum indigni reperientur, erit etiam cum ceteris major pœna, quod a Deo projicientur; et pudor et confusio conscientiæ, cujus finis ac remedium nusquam erit : » hæc *Gregorius Nazianzenus*. Si pœna damni est gravissima, ergo parvuli puniuntur pœna gravissima, quod est contra *Augustinum*, secundum quem pœna eorum est mitissima. Dicendum, quod pœna damni potest considerari : vel ut est subtractio tanti boni, cum sensu et merito subtractionis, et sic est gravissima ; vel sine sensu et merito, et sic est mitissima. Væ nobis qui de malis non cogitamus; sed quasi securi torpentes, et animæ curam negligentes, ad hæc sine cessatione properamus!

3 Gloria et gaudium paradisi. — Postremo de gloria cœli sciendum est, quod tot et tanta sunt in cœlis gaudia, quod omnes arithmetici hujus mundi non possent ea numerare, et omnes geometrici non possent ea mensurare, omnesque grammatici, dialectici, atque rhetorici non possent ea sermonibus explicare : quoniam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendet, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Gaudebunt quippe Sancti : supra se, de Dei visione ; infra se, de cœli et aliarum creaturarum corporalium pulchritudine ; intra se, de corporis et animæ glorificatione; juxta se, de Angelorum et hominum associatione. In tantum namque gaudebit quisque de bono alterius, quantum de bono proprio ; quod tamen intelligendum est non de gaudii intentione, sed de gaudiorum numero. Ibi etiam singuli a singulis cognoscentur, et videbit unusquisque cogitationes alterius prout vult ; quia, ut ait *Gregorius*, uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet. Videbunt itaque justos, ut gaudeant; videbunt quoque pœnas reproborum, ut de periculorum evasione gratias agant Domino. Videbimus ibi Deum in se, Deumque in nobis, et nos in Deo, et Deum in creaturis, et creaturas in Deo. Ibi *erit Deus omnia in omnibus*, id est, secundum *Augustinum*, erunt in eo quæcumque ab omnibus desiderantur : et vita, et salus, et copia, et honor, et pax, et omnia bona. Tantæ enim, secundum *Gregorium*, inæstimabilis pulchritudinis est Deus, ut Angeli qui solem septempliciter sua vincunt pulchritudine, jugiter in eum desiderent insatiabiliter prospicere. Ibi etiam, secundum eumdem *Augustinum*, sensus hominis interior reficitur, in contemplatione divinitatis ; et sensus exterior in contemplatione humanitatis : propterea Deus homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret. Deus igitur omnes sensus spirituali et ineffabili delectatione reficiet, cum ipse objectum omnium sensuum sit futurus. Erit namque Deus speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos tactui. Ibi erit candor lucis æstivalis, amœnitas vernalis, abundantia autumnalis, requies hiemalis. Illa enim beatitudo, secundum *Augustinum*, in duobus consistit, scilicet : in necessaria præsentia omnis boni, et in necessaria absentia omnis mali. Et breviter, secundum *Augustinum* et *Gregorium*, tanta est ibi pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, ut etiam, si non liceret in ea amplius vivere seu manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles hujus vitæ dies pleni deliciis et affluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est : *Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia.*

4 Stola animæ et corporis in generali. — Hæc etiam vita æterna consistit in stola animæ et corporis. Stola animæ consistit in tribus dotibus ejus scilicet : in manifesta cognitione summæ Trinitatis, quæ succedit fidei ; in perfecta ejus fruitione, quæ succedit spei ; in perfecta ejus dilectione, quoniam non evacuabitur, sed perficietur caritas ipsius Dei. Stola autem corporis in quatuor dotibus ejus consistit, scilicet : in claritate, impassibilitate, subtilitate, et agilitate. Dotes animæ, sunt de præmio substantiali ; dotes vero corporis de præmio accidentali.

5 Speciatim de tribus animæ doti-

nus. — Prima ergo dos animæ est cognitio, quæ et visio dicitur, qua divina essentia videbitur ab omnibus tota, sed non totaliter, prout est infinita. Videbitur tamen essentia divina limpidius ab uno, quam ab alio, in quantum unus magis erit perfectus lumine gloriæ quam alter. Et sic ista differentia erit ex parte videntis; quia idem erit visum ex parte, cujus, cum sit simplicissimum, nulla potest esse diversitas. Tribus autem modis cognoscitur, scilicet : quod est, vel sicut est, vel quid est. Primo modo cognoscitur Deus in via, etiam a malis; secundo, videbitur in patria a bonis, juxta illud Joannis : *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, id est majestatem, claritatem, bonitatem, etc.; tertio modo neque a bonis videbitur, neque a malis, neque in via, neque in patria, quia finitum numquam capiet infinitum. — Secunda dos animæ est dilectio; sed inter dilectionem virtutem, et inter dilectionem dotem hæc est differentia : quia virtus proprie est illud, quod transit de statu gratiæ in statum gloriæ; dos autem est illud quod supra meritum datur in ductione sponsæ. Fides et spes, secundum rem, evacuabuntur in patria; caritas vero neque secundum rem, neque secundum actum ejus evacuabitur, sed solummodo secundum modum, quia imperfectio tolletur. Unde dicit *Augustinus*, quod fidei succedet spes quam videbimus, spei succedet beatitudo, ad quam perventuri sumus; sed caritati nihil succedet, quoniam potius augebitur. — Tertia dos animæ est comprehensio, quæ est tensio visi et amati, et sumitur hic comprehendere pro contingere, et circumplecti divinam majestatem vel immensitatem; hæc etiam a quibusdam appellatur inhæsio, a quibusdam vero fruitio. Sunt ergo istæ tres beatorum perfectiones præcipuæ, scilicet : visio inobfuscabilis, dilectio infastidibilis, tentio inamissibilis.

6 Item, de quatuor corporis dotibus. — Prima dos corporis est claritas. Sed dicitur aliquid clarum dupliciter : aut quia pervium, sicut dicitur vitrum clarum; aut quia lucidum, sicut dicitur stella clara. Corpus autem glorificatum erit et pervium et lucidum, et ideo utroque modo erit clarum. Et erit corpus clarificatum septies tam clarum sicut modo est sol; et anima septies clarior corpore erit, quæ corpus velut vestimentum suum reinduens, per omnia membra corporis, velut sol per crystallum, lucebit. Sed corpora Sanctorum non æqualiter erunt clara, quia melior anima corpus lucidius habebit. — Secunda dos corporis est impassibilitas, quæ resultat ex virtute animæ suum corpus potenter continentis, ita ut a nullo exteriori agente valeat immutari. Unde si etiam corpus glorificatum poneretur in inferno, non sentiret ex hoc læsionem in aliquo. — Tertia dos corporis est subtilitas, quæ est ex perfecta victoriæ forma super materiam, et aufert grossitiem corporis, quæ resultat ex compositione elementariarum qualitatum. Et sciendum, quod sicut duo corpora non glorificata, non possunt esse simul in eodem loco, sic nec duo corpora glorificata; alioquin in uno corpore glorificato esset potentia agendi et intrandi partes corporis alterius, in alio vero esset impotentia resistendi. Corpus vero gloriosum potest simul esse in eodem loco cum corpore non glorificato, quia potest illud penetrando subintrare, manente distinctione dimensionum corporis utriusque. — Quarta dos corporis est agilitas, quæ, secundum *Augustinum*, tanta erit, quod ubi volet spiritus, ibi protinus erit et corpus. Natura enim totaliter erit subdita voluntati, et ideo movebitur corpus ad imperium spiritus. Verumtamen sicut melior anima corpus habebit lucidius, sic et agilius : ita tamen quod voluntas Sanctorum erit omnino conjuncta rationi, et ideo voluntas eorum numquam appetit quod non debet, quia, ut ait idem *Augustinus*, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum posset decere, nec corpus.

7 De tribus aureolis. — Quidam Sancti insuper specialiter habebunt aureolam, quæ est mentis speciale gaudium, et corporis singularis decor

veniens ex opere præcellenti et privilegiato, scilicet : martyrio, virginitate, et prædicatione ; ut sic aureola non tantum principaliter sit in mente, sed per quamdam redundantiam fulgeat etiam in carne. Aureola etiam diminutive dicitur, in comparatione ad auream. Et ideo notandum, quod inter auream, et aureolam, et palmam, est differentia. Aurea enim est præmium substantiale, quod metaphorice dicitur corona : tum ex parte meriti, quia non respondet gratia operi, sed radici caritatis; tum ex parte præmii, quia per hoc efficitur homo particeps deitatis, et per consequens regiæ potestatis; tum ratione perfectionis, quod significat figura circularis. Aureola vero est præmium accidentale, non tamen quodlibet accidentale, sed illud quod respondet operi excellentiori, scilicet : martyrio, virginitati, et prædicationi. Palma autem est præmium accidentale, quod nec radici nec operi debetur, sed voluntati. Tale præmium habuit sanctus Martinus, et multi alii, qui desideraverunt martyrium, licet opus non fuerit subsecutum : quia etsi gladio persecutoris occisi non sunt, palmam tamen martyrii non amiserunt. Hæc autem palma nec aurea dici debet, nec aureola ; patet ergo quod martyribus ac virginibus et prædicatoribus debetur aureola. Unde versus sunt isti :

*Aureolam si ferre volam : fore vir-*
*[go studebo,*
*Martyriumve subibo pium, popu-*
*[losve docebo.*

Et iterum :

*Aureolam Martyr,Doctor, Virgoque*
*[meretur.*

8 Bona corporis septem in paradiso. — *Anselmus* vero ponit septem bona corporis, et item bona septem animæ, quæ habebunt electi in cœlestis patriæ beatitudine. Et primo ponit bona corporis, quæ sunt : pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, æternitas. Dicit ergo: « In illa igitur vita pulchritudo justorum solis pulchritudini, quæ tamen septempliciter quam modo fit, speciosior erit, adæquabitur, quemadmodum ipsa divina Scriptura testatur : *Fulgebunt,* inquiens, *justi sicut sol, in regno Patris.* — Velocitas nos tanta comitabitur, ut ipsis Angelis Dei æque celeres simus, qui a cœlis ad terras, et a terris ad cœlum dicto citius dilabuntur. Hujus quoque velocitatis exemplum in radio solis licet intueri, qui statim, orto sole, in plaga orientali, pertingit in ultimo plagæ occidentalis : ut in eo perpendamus non esse impossibile. quod de nostra dicimus futura velocitate, præsertim cum rebus animatis soleat inesse major velocitas,quam inanimatis.— Præstabunt viribus, quicumque meruerint supernis civibus associari, in tantum, ut nullatenus illis obsistere quidquam valeat; vel, si movendo aut evertendo voluerint aliquid a suo statu quomodocumque divertere, non illico cedat. Nec in eo quod dicimus, majori conatu Sancti tunc laborabunt, quam nos modo in motu oculorum nostrorum. Ne, quæso, excidat animo, quam adipiscemur, Angelorum similitudo, quatenus si his aut his quæ dicturi sumus aliud exemplum non occurrit, ipsa occurrat, atque in quibus Angelos valere constiterit, etiam nos æque valere probet et asserat. — Quicumque igitur Angelorum fuerint similitudinem assecuti, eorum quoque libertatem necessario assequentur. Itaque sicut Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire, vel constringere potest, quin pro velle suo cuncta liberrime penetrent; ita non erit obstaculum ullum quod nos retardet, nec clausura quæ nos detineat, nec elementum quod nobis ad velle parum obsistat. — De sanitate quid melius dici poterit, quam quod Psalmista canit : *Salus,* inquiens, *justorum a Domino ?* Quibus autem fuerit a Domino vera sanitas, quæ surrepere poterit infirmitas? Credere et incunctanter astruere licet, sanitatem vitæ futuræ ita jugem et incommutabilem ac inviolabilem fore, ut ineffabili quadam atque sensibili suavitatis dulcedine totum hominem repleat ; et omne quod alicujus in se vicissitudinis,

mutabilitatis, aut læsionis suspiciones prætendere queat, procul arceat atque repellat. — In illa futura vita inæstimabilis delectatio quædam bonos inebriabit, et dulcedine sui totos eos inæstimabili exundantia satiabit. Quid dixi? Totos oculos, aures, nares, os, manus, pedes, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullæ, quin exta etiam ipsa; et cuncta sigillatim, singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis et dulcedinis sensu complebuntur, ut fere totus homo torrente voluptatis Dei potetur, et ab ubertate domus ejus inebrietur. — Qui ergo hæc bona fuerit adeptus, non intelligo ad quid pro commodo corporis sui ulterius porrigatur affectus, solummodo adsit ei, quam cunctos appetere diximus, diuturnitas vitæ; sed ista illi minime deerit, quia *justi in perpetuum vivent.*

9 Item bona animæ septem.—« Sunt etiam alia, quæ quidem his quæ digessimus non minus amantur, sed ad animam, sicut illa ad corpus referuntur, quæ nihilominus in septenario numero constituta, non modicum placent menti, quæ ipsorum fuerit sapore imbuta. Sunt autem hæc : sapientia, amicitia, concordia, potestas, honor, securitas, gaudium. — Sapientia igitur tanta in futura vita bonis erit, ut eorum quæ scire voluerint, nihil sit quod ignorent. Scient enim cuncta quæ scienda fecit Deus : tam ea quæ præterita quam quæ hujus seculi sunt futura. Ibi a singulis omnes, et ab omnibus singuli cognoscentur, nec quemquam omnino latebit qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid in vita fecerit. — Amicitia in tantum singulorum intima erga singulos suo fervore complebit, ut amor cujusque in quemque sufficiat cuique, præsertim cum omnes unum corpus sint Christi, et Christus, qui est pax ipsa, sit omnium caput; nec minori se affectu complectuntur, quam membra unius corporis sibimet invicem copulantur. Amabis igitur omnes, ut temetipsum, et amaberis ab omnibus, ut ipsi a se. Putas abundans eris in dilectione, quando hoc tibi fuerit in possessione? Attamen ista transi, et contemplare ipsum per quem hæc bona tibi provenere ; et percipies, quia ille plus quam tu teipsum, et quam omnes alii incomparabiliter amabit te ; et tu super teipsum ineffabili quadam suavitate illum amabis. — Erit itaque tanta in cunctis concordia, ut in nullo sentias aliquem discrepare ab eo, quod te constiterit velle; corpus unum erimus, sponsa Christi erimus, quicumque ibi erimus. Non ergo major inter nos discordia erit, quam nunc est inter unius corporis membra. Verum, sicut vides in motu oculorum, quod illuc quo unus vertitur, mox alius sequitur ; ita quocumque tuum velle converteris, velle omnium sine disceptatione illico præsto habebis. Quid dixi omnium? Ipsa Dei voluntas non erit a tua diversa, sed sicut tu quod ille, ita et ille in cunctis quod tu. Caput namque a suo corpore quomodo discreparet? — Cum itaque Deum et omnes voluntati tuæ concordes habueris, profecto nihil voles, quod non possis. Omnipotens igitur eris tuæ voluntatis, quoniam ipsum Omnipotentem habebis in omnibus concordantem tuæ voluntati. — Itaque, cum hæc tibi tanta potestas affuerit, honor condecens potestati minime deerit. Igitur dum possessione horum bonorum quæ digessimus felix fueris, numquid sufficiens tibi videberis? Maxime, inquis. — Cum itaque tua vita perpetuo duratura sit, in illa vita ; et hæc omnia tibi habenti, securitas quoque ea amplius non perdendi certo arriserit, obsecro, quid existimas tibi erit? Securus igitur tantorum bonorum perpetuo eris nec alicujus tibi adversari volentis incursum timebis. — Potestne ergo illius gaudii modus a quoquam homine penetrari, cum ultra mille millia, et decies centena millia innumerabiles ibi sint, et omnes eadem beatitudine perfruantur ; nec ullus eorum sit, qui non tantum de bono alterius gaudeat, quantum de suo? Præterea videntes Deum ipsum supra quem ipsi se amabunt, ipsos amantem ; et intelligentes se inenarrabiliter, plus quam semetipsos illum

amantes in gloria, ejus mirabili et ineffabili exsultatione exsultabunt.

10 Contraria damnatorum mala. — « Cum igitur justi fuerint tanta felicitate beati, restat ut injusti per contrarium sint inæstimabili quadam infelicitate miseri. Sicut enim istos mira pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, et voluptas, alacres faciet et jubilantes ; ita illos immanis et inæstimabilis fœditas, tarditas, imbecillitas, servitus, languor atque dolor, mœrentes reddet et ejulantes. Sane diuturnitatem vitæ, quam isti pro fruendis bonis summo amore complectentur, illi pro interminabili pœna qua torquebuntur, quoniam inerit illis, summo odio exsecrabuntur. De sapientia vero quid dicam non invenio, nisi quia sicut justis erit in gaudium et honorem, ita injustis quidquid scient, in mœrorem et confusionem. Amicitia autem, qua ad invicem pii summa jucunditate copulabuntur, si qua impiis erit, in tormentum eis erit; quo enim magis quosque amabunt, eo gravius in eorum pœna dolebunt. Discordiam habebunt cum omni creatura, et omnis creatura discordabit ab illis. Hinc ergo pro potestate bonorum tanta impotentia eos sequetur, ut omnino nihil eorum quæ voluerint, possint; et quidquid habuerint, nolint. Pro igitur honore Sanctorum obtinebunt perenne opprobrium. Et hæc quo fine claudentur? Vere sicut amici Dei securi erunt se numquam amissuros bona sua; ita isti inimici Dei omnino desperabunt se jam amplius evasuros hæc mala. Pro æterno ergo et ineffabili gaudio beatorum, hereditabunt incogitabilem tristitiam, omnes qui pro impœnitudine reatus sui, transituri sunt in societatem dæmoniorum : » hæc *Anselmus*.

11 Diversæ sunt mansiones in inferno et in cœlo. — Sunt etiam in inferno, sicut et in cœlo, diversæ mansiones, meritis singulorum correspondentes. Unde *Chrysostomus :* « Sicut in regno cœlesti *mansiones multæ sunt*, id est differentiæ præmiorum ; sic et in gehenna diversæ sunt mansiones, id est differentiæ suppliciorum : omnes tamen pœnam æternam sustinebunt, sicut omnes electi denarium eumdem habebunt, quem paterfamilias dabit omnibus, qui, scilicet in vinea sua, operati sunt. Nomine quippe denarii, aliquid omnibus electis commune intelligitur, scilicet vita æterna, et Deus ipse, quo omnes quidem communiter, sed impariter fruentur. Nam, sicut differens erit clarificatio corporum, ita differens erit et gloria animarum. *Stella enim*, ut ait Apostolus, *a stella*, id est electus ab electo, *differt in* utraque, videlicet mentis et corporis *claritate*. Alii nimirum aliis vicinius clariusque speciem Dei contemplabuntur ; et ipsa sic contemplandi differentia, mansionum diversitas vocatur. Una igitur est domus, id est denarius; sed diversitas est ibi mansionum, id est differentia claritatis in beatitudine, quæ utique unum est, ac summum bonum, et vita omnium : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Augustinus :* « Quod autem ibi futuri sunt pro meritis præmiorum, etiam gradus honorum atque gloriarum, nullatenus est ambigendum. Atque id et beata illa civitas magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori nullus inferior invidebit; tam nollet unusquisque esse quod non accepit, quam nec in corpore vult esse oculus, qui est digitus. Sic itaque habebit hoc donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, nec velit amplius : » hæc *Augustinus*. Possumus etiam diversas mansiones omnium electorum sumere, secundum choros Angelorum, ad quorum ruinam restaurandam homo est creatus : quia enim de singulis choris aliqui Angeli ceciderunt, et in tanto numero, quod unum chorum per se fecissent, ideo dicitur decimus chorus cecidisse, et ideo ruina cujuslibet chori debet per electos homines reparari.

## ORATIO

Domine Jesu Christe, mihi fragili concede, ut inter diversas hujus vitæ dulcedines corpore vivens, mente in infernum descendam, et pœnas peccatoribus paratas considerans et meditans, magis sollicite a peccatis caveam, ne moriens illuc descendere, et pœnas ipsas experiri compellar. Da etiam mihi, Domine, inter multas hujus vitæ amaritudines divinæ dulcedini inhiare, et ad æternam beatitudinem suspirare illicque mentem tenere; et fac ut semper tibi adhæream, nihil præter te diligam, nihil quæram, nihil etiam cogitare concupiscam, et sic tandem ad te Deum et Dominum meum perveniam. Amen.

# CAPUT LXXXIX

## CONCLUSIO LIBRI ET SIGNATIO EJUS.

1 Peroratio auctoris. — Habes igitur ex prædictis vitam Domini nostri Jesu Christi, qualitercumque descriptam, et pro magna parte meditationibus tibi traditam; in qua, et per quam, nos miseros mirifice consolando refovet, et spem nobis peccatoribus magnam præbet. Nam pro peccatoribus est incarnatus, et cum peccatoribus libenter conversatus; pro ipsis etiam in morte preces fundere, et tandem pro talibus mori non est dedignatus. Habes quippe meditationum spiritualium seminarium, ex quibus in te divini amoris fructus uberior oriatur et crescat : ut meditatio affectum excitet, affectus desiderium pariat, desiderium lacrymas extorqueat : ut sint tibi lacrymæ tuæ panes die ac nocte, donec appareas in conspectu Domini Jesu, et suscipiaris ab amplexibus ejus, dicasque illud, quod scriptum est in Canticis : *Dilectus meus mihi, et ego illi;.... inter ubera mea*, id est inter affectiones meas, *commorabitur*. Unde ait *Bernardus* : « Sit dulcis et suavis affectui Dominus contra malæ utique dulces vitæ carnalis illecebras; et vincat dulcedinem dulcedo, quemadmodum clavum clavus expellit : » hæc *Bernardus*. Suscipe itaque reverenter et gaudenter prædicta, et in eis versari non pigriteris sollicitudine et devotione tota : quia hæc est vita tua, hoc est fundamentum super quod poteris magnum ædificium construere : et ab hoc te oportet incipere, si ad sublimiora vis conscendere.

Meditationis vitæ Christi dulcedo. — Nam hæc vitæ Jesu Christi meditatio, non solum per se dulciter pascit, sed etiam ad majorem cibum transmittit. Hæc enim sunt quæ Dominus Jesus gessit in carne; sed longe sublimius est eum in spiritu intueri, ad quod per hanc scalam poteris pervenire, sed in hac interim oportet immorari. Nec tamen qui ad majorem contemplationem ascendunt, hanc dimittere debent pro loco et pro tempore, quia hoc esset magnæ præsumptionis et superbiæ. Unde *Bernardus*, qui contemplator altissimus fuit, hanc numquam dimisit, prout superius in prooemio videre quis poterit. Hæc quippe dulcius sapit, atque fiduciam et consolationem magis tribuit. Unde ait *Anselmus* : « Jesu bone, quam dulcis es in corde cogitantis de te, et diligentis te. Et certe nescio, quia nec plene comprehendere valeo, unde est hoc : quod dulcior es in corde diligentis te, in eo quod caro es, quam in eo quod Verbum; dulcior in eo quod humilis, quam in eo quod sublimis. Siquidem longe dulcius est memoriæ diligentis te, videre te ex Matre Virgine in tempore natum, quam in splendoribus Sanctorum ante lucife-

rum a Patre genitum; temetipsum exinanivisse, servique formam accepisse, quam in forma Dei æqualem te Deo esse; dulcius te videre coram Judæis mori in ligno, quam dominari super Angelos in cœlo; intueri te super omnia subjectum, quam super omnia prælatum; hominem humana quæque pertulisse, quam Deum divina gessisse; Redemptorem esse pereuntium, quam Conditorem esse non existentium. O quam dulce est, bone Jesu, in secreto cordis ad memoriam revocare, te pro nobis de Virgine absque pollutione conceptum, absque læsione virginitatis ejus natum, pannis involutum, in præsepio reclinatum, sustinentem convitia, tacentem ad opprobria, pedes discipulorum lavantem, linteoque tergentem, de nocte prolixius orantem, sudorem sanguinis emittentem, triginta argenteis venditum, osculo traditum, cum gladiis et fustibus captum, ligatum, judicatum, flagellatum, spinis coronatum, damnatum, ad occisionem ut agnus innocens ductum, os tuum, cum male tractareris, non aperientem, cum accusareris in multis non respondentem, colaphizatum, alapas patientem, purpura vestitum, derisu adoratum, arundine capite percussum, in veste alba illusum, ad mortem condemnatum, crucem tuam bajulantem, et in ea affixum, pro crucifixoribus orantem, aceto potatum, felle cibatum, a latrone convitiatum, totum sanguinem tuum per quinque vulnera corporis tui effundentem, dilectam animam tuam in manus Patris commendantem, caput inclinantem, ad spiritum emittendum : et hæc omnia pro nobis sustinentem. Hæc omnia formant et adaugent magis ac magis exsultationem et jucunditatem, fiduciam et consolationem, amorem et desiderium. Quis enim non lætetur et exsultet, quis non supra modum jucundetur atque gratuletur, videns Conditorem suum, non solum pro se hominem esse, sed tam dura tamque indigna sustinuisse? Quid in mente suavius ruminatur? Quid dulcius gustatur? Quid lætius excogitatur? Quis mihi auferet locum in regno, ubi is omnipotens est, qui caro mea et frater est? Quis mihi eventus aliquam ingeret desolationem, cui spes tanta tantam confert certitudinem? Quomodo aliqua tristitia aliquem locum habere potest in eo, in quo indesinenter versatur ista cogitatio? » hæc *Anselmus.*

3 In solo Jesu-Christi amore pax et requies. — Libenter itaque converseris cum Domino Jesu et vitam ipsius tamquam Evangelium in corde studeas inseparabiliter collocare; quoniam in eo sola pax et requies est. Jesus enim est jucunditas mœrentium, æternitas viventium, suavitas dolentium, ubertas egentium, sanitas languentium : quod significant quinque litteræ hujus nominis Jesus. Unde inquit *Bernardus* : « Gira et regira, versa et reversa, et non invenies pacem et requiem, nisi in solo Jesu. Quapropter si quiescere vis, pone Jesum ut signaculum super cor tuum, quia tranquillus ipse, tranquillat omnia : » hæc *Bernardus.* Ama ergo eum, qui te tantum amavit; redde ei vicem, qui te in benedictionibus dulcedinis suæ prævenit : qui si hoc feceris, semper in gaudio et deliciis magnis eris. Unde dicit *Anselmus* : « Jesu, qui non amat te, anathema sit. Qui te non amat, amaritudinibus repleatur. Castus est amor tuus, Domine, et nihil impuritatis admittit. Sobrius est sapor nominis tui, et nullam mentem alienat a recto. Suavis est amor tuus, et nihil habet amari. Nam et quæ amara sunt mundi, indulcat; et dulcia ei reddit amara. Inter angustias non arctatur, inter pressuras non opprimitur, non perit sub inopia, non mœrore contrahitur. In laboribus manet æquanimis, inter minas manet securus, inter blandimenta manet incorruptus, inter tormenta perseverat invictus, in morte semper est vivus. Sicut in thesauro cupidus gaudet, et sicut in amore unici filii delectatur mater; ita gaudium et delectatio est grata in caritate tua, dulcis Jesu, animæ amanti te. Dulcedo mellis, suavitas lactis, vini sapor inebrians, cunctæque deliciæ non sic oblectant fauces gustantium se, ut amor tuus mentes diligentium te : » hæc *Anselmus.*

4 Nomen Domini Jesus oleo comparatum. — Et ut magis ad hæc omnia provoceris, et ut hic liber in nomine ipsius Domini Jesu, qui est liber signatus, concludatur et signetur, diligenter attende quod de hoc salutari nomine Jesu, *Bernardus* super hoc verbo Cantici : *Oleum effusum nomen tuum*, scribit, dicens : « Est procul dubio inter oleum et nomen Sponsi similitudo, nec otiose Spiritus Sanctus alterutrum comparavit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, pascit, ungit : si vos melius non habetis. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Lux est, cibus est, medicina est. Vide autem nunc, et de sponsi Jesu nomine. Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit ; et percurramus singula. Unde putatis, in toto orbe, tanta et tam subita lux fidei, nisi de prædicato nomine Jesu? Nonne in hujus nominis luce, Deus *vocavit nos in admirabile lumen suum*, quibus illuminatis, et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?* Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties illius recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? Quid ita excitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores, et actus bonos atque honestos, castasque fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non isto oleo infunditur ; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum ; si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Jesus, et inde saliat in os ; et ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, duritia, ut assolet, cordis, ignaviæ torpor, rancor animæ, languor accidiæ? Cujus fons forte siccatus lacrymarum, invocato nomine Jesu, non continuo erupit uberior fluxitque suavior? Cui in periculis palpitanti et trepidanti invocatum, virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, in dubiis æstuanti et fluctuanti, non subito, ad invocationem clari hujus nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jamjamque deficienti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi et languores animæ isti sunt; illud medicina. Denique et probare licet : *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me*. Nihil ita iracundiæ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem, cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum ; eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me exemplo sanet, et roboret adjutorio. Hæc omnia mihi simul sonant, cum insonuerit Jesus. Sumo itaque mihimetipsi exempla de homine, sumo et auxilium a Potente; illa tamquam pigmentarias species, hoc tamquam unde acuam eas : et facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes, o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus, salutiferum certe, quodque nulli umquam peti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur, et actus. Denique et innitaris super eo. *Pone me*, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Sed hoc alias. Nunc vero habes unde et brachio medearis et cordi. Habes, inquam, in nomine Jesu unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas ; itemque, unde tuos sensus aut serves ne corrumpantur, aut si corrumpuntur, sanes. »

5 Bernardi rhythmica oratio ad Christum. — De hoc et iam dulci no-

mine Jesu, idem *Bernardus*, alibi quasi jubilando sic dicit :

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia ;
Sed super mel et omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Nihil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu, spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus ?

Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedis omne gaudium,
Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere ;
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Jesum quæram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo,
Privatim et in publico ;
Quæram amore sedulo.

Cum Maria, diluculo,
Jesum quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo
Mente quæram, non oculo.

Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus ;
Jesu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.

Jesu, Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis !

Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas ;
Mundi vilescit vanitas ;
Et intus fervet caritas.

Amor Jesu dulcissimus,
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

Hoc probat ejus passio ;
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur, et Dei visio.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite ;
Jesum ardenter quærite,
Quærendo inardescite.

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite ;
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.

Jesu, auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons et gratiæ
Veræ cordis deliciæ.

Jesu mi bone, sentiam
Tui dulcoris copiam ;
Da mihi per præsentiam
Tuam, videre gloriam.

Cum digne loqui nequeam
De te, tamen non sileam ;
Amor facit ut audeam,
Cum de te solo gaudeam.

Tua, Jesu, dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.

Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt ;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat.
Quam felix est quem satiat,
Non est ultra quod cupiat !

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum !

Desidero te millies,
Jesu mi ; quando venies ?
Me lætum quando facies ?
Me de te quando saties ?

Amor tuus continuus,
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus,
Est et vitæ perpetuus.

Jesu, summa benignitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringit caritas.

Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quærere;
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.

Quocumque loco fuero,
Meum Jesum desidero.
Quam lætus, cum invenero!
Quam felix, cum tenuero!

Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula,
Tunc felix Christi copula;
Sed in his parva morula.

Jam quod quæsivi, video,
Quod concupivi teneo;
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.

Jesus cum sic diligitur,
Hic amor non exstinguitur,
Non tepescit, nec moritur;
Plus crescit et accenditur.

Hic amor ardet jugiter,
Dulcessit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat et feliciter.

Hic amor missus cœlitus,
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.

O beatum incendium,
O ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!

Jesu, flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus honor numinis,
Regnum beatitudinis.

Veni, veni, Rex optime,
Pater immensæ gloriæ,
Affulge menti clarius
Jam exspectatus sæpius.

Jesu, sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.

Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit.
In qua mens mea deficit:
Solus amanti sufficit.

Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio;
Tu, mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.

Mi dilecte, revertere,
Consors paternæ dexteræ,
Hostem vicisti prospere,
Jam cœli regno fruere.

Sequar te quoquo ieris,
Mihi tolli non poteris;
Cum meum cor abstuleris,
Jesu laus nostri generis.

Cœli cives, occurrite,
Portas vestras attollite,
Triumphatori dicite:
Ave, Jesu Rex inclyte.

Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
Jesu largitor gratiæ,
Honor cœlestis curiæ!

Tu, fons misericordiæ,
Tu, veræ lumen patriæ;
Pelle nubem tristitiæ,
Nobis dans lucem gloriæ.

Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat;
Jesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.

Jesus in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat;
Hanc mens mea desiderat,
Et illo frui properat.

Jesus ad Patrem rediit,
Cœleste regnum subiit,
Cor meum a me transiit,
Post Jesum simul abiit.

Jam prosequamur laudibus,
Jesum, hymnis et precibus:
Ut nos donet cœlestibus,
Cum ipso frui sedibus.

Amen.

## ORATIO

O Jesu Christe, Fili Dei vivi, pro his et omnibus, quæ de te pie credimus et credere debemus, tibi gratias licet indignas, referimus; et per ea te suppliciter exoramus, ut teipsum ex parte omnium cœlestium, terrestrium et infernorum Deo Patri offeras, in dignam laudem omnium, in quibus summam Trinitatem laudabilem recognoscis; et in plenam gratiarum actionem pro quolibet beneficio a singulis debitam creaturis; atque in veram emendationem omnium malorum ab origine mundi commissorum, et insufficientem persolutionem omnium bonorum umquam omissorum, et in suppletionem quoque meriti omnium beatificatorum et gratiæ omnium justificatorum ac emendationis omnium peccatorum, refrigeriique omnium purgandorum; necnon in relevationem omnis indigentiæ corporis et animæ singulorum. Amen.

FINIT SECUNDA ET ULTIMA PARS HUJUS LIBRI VITÆ CHRISTI.

# TITULI

# CAPITUM ET NUMERORUM

## PER ORDINEM



CAPUT LVIII. — *De Passione Domini nostri meditanda, in generali.*



CAPUT LIX. — *De primo Completorio, in Passione Domini.*

CAPUT LX. — *De Matutinis, in Passione Domini.*

## CAPUT LXI. — *De Prima, in Passione Domini.*



## CAPUT LXII. — *De Tertia, in Passione Domini.*

CAPUT LXIII. — *De Sexta, in Passione Domini.*

CAPUT LXIV. — *De Nona, in Passione Domini.*

CAPUT LXV. — *De secundis Vesperis, in Passione Domini.*



CAPUT LXVI. — *De secundo Completorio, in Passione Domini.*



CAPUT LXVII. — *Epilogus Dominicæ Passionis, et de laude crucis.*



CAPUT LXVIII. — *De sabbato Sancto, in Passione Domini.*

CAPUT LXIX. — *De Resurrectione Domini nostri.*



CAPUT LXX. — *Quomodo Dominus Jesus apparuit Matri suæ.*



CAPUT LXXI. — *Quomodo Maria Magdalena et aliæ Mariæ, et Petrus et Joannes venerunt ad monumentum.*



CAPUT LXXII. — *Quomodo Dominus apparuit Mariæ Magdalenæ.*

CAPUT LXXIII. — *Quomodo Dominus apparuit tribus Mariis.*



CAPUT LXXIV. — *De mendacio custodum.*



CAPUT LXXV. — *Quomodo Dominus apparuit Petro, et Joseph ab Arimathia et Jacobo Minori, ac sanctis Patribus in limbo.*



CAPUT LXXVI. — *Quomodo Dominus apparuit duobus discipulis in via.*



CAPUT LXXVII. — *Quomodo Dominus apparuit Apostolis, Thoma absente.*

CAPUT LXXVIII. — *Quomodo Dominus apparuit discipulis inclusis, Thoma præsente.*



CAPUT LXXIX. — *Quomodo Dominus apparuit septem discipulis, ad mare Tiberiadis.*



CAPUT LXXX. — *Quomodo Dominus apparuit undecim discipulis in Galilæa, et etiam quingentis fratribus.*

CAPUT LXXXI. — *Epilogus apparitionum Domini post Resurrectionem.*



CAPUT LXXXII. — *De Ascensione Domini nostri Jesu Christi.*



CAPUT LXXXIII. — *De Scripturæ Evangelicæ, ac fidei fine et utilitate.*

## CAPUT LXXXIV. — *De Pentecoste.*



## CAPUT LXXXV. — *De laude divina.*



## CAPUT LXXXVI. — *De Assumptione, et laude beatæ Virginis.*



## CAPUT LXXXVII. — *De finali judicio.*

CAPUT LXXXVIII. — *De pœna infernali et gloria cœlesti.*



CAPUT LXXXIX. — *Conclusio libri et signatio ejus.*

# ORDO CAPITULORUM

## QUATUOR EVANGELISTARUM

### INDICATIS CAPITULIS *LUDOLPHI* UBI TRACTANTUR.

*Cap.* 10. p. II, c. 10, c. 11, c. 21, c. 22, c. 24.
*Cap.* 11. p. II, c. 26, c. 27. c, 32.
*Cap.* 12. p. II, c. 30, c. 33, c. 37.
*Cap.* 13. p. II, c. 39, c. 40, c. 44.
*Cap.* 14. p. II, c. 25, c. 52, c. 53, c. 55, c. 56, c. 57, c. 59, c. 60.
*Cap.* 15. p. II, c. 61, c. 62. c. 63, c. 64, c. 65, c. 66.
*Cap.* 16. p. II, c. 71, c. 82.

## CAPITULA LUCÆ.

*Cap.* 1. tractatur prima parte, c. 4, c. 5, c. 6.
*Cap.* 2. p. I, c. 9, c. 10, c. 12, c. 15, c. 16.
*Cap.* 3. p. I, c. 7, c. 17, c. 18, c. 21.
*Cap.* 4. p. I, c. 22, c. 43, c. 65.
*Cap.* 5. p. I, c. 29, c. 31, c. 42, c. 48.
*Cap.* 6. p. I, c. 32, c. 33, c. 35, c. 39, c. 71, c. 72.
*Cap.* 7. p. I, c. 42, c. 44, c. 60.
*Cap.* 8. p. I, c. 49, c. 64.
*Cap.* 9. p. I, c. 45, c. 51, c. 58, c. 67 — p. II, c. 2, c. 4, c. 5, c. 19, c. 20.
*Cap.* 10. p. I, c. 58, c. 59, c. 61.
*Cap.* 11. p. I, c. 34, c. 73, c. 75, c. 76.
*Cap.* 12. p. I, c. 38, c. 54, c. 77 — p. II, c. 46, c. 47.
*Cap.* 13. p. I, c. 40, c. 79.
*Cap.* 14. p. I, c. 64, c. 80, c. 81 — p. II, c. 34.
*Cap.* 15. p. I, c. 7.
*Cap.* 16. p. II, c. 15, c. 16.
*Cap.* 17. p. II, c. 4, c. 19, c. 39, c. 45.
*Cap.* 18. p. II, c. 11, c. 21, c. 22, c. 30, c. 42.
*Cap.* 19. p. II, c. 23, c. 26, c. 27, c. 49.
*Cap.* 20. p. II, c. 33, c. 37.
*Cap.* 21. p. II, c. 30, c. 39, c. 40, c. 42, c. 44.
*Cap.* 22. p. II, c. 52, c. 53, c. 55, c. 56, c. 59, c. 60. c. 61.
*Cap.* 23. p. II, c. 61, c. 62, c. 63, c. 64, c. 65, c. 66.
*Cap.* 24. p. II, c. 71, c. 76, c. 77.

## CAPITULA JOANNIS.

*Cap.* 1. tractatur prima parte, c. 1, c. 18, c. 19, c. 23, c. 24.
*Cap.* 2. p. I, c. 25, c. 26.
*Cap.* 3. p. I, c. 27.
*Cap.* 4, p. I, c. 62, c. 63.
*Cap.* 5. p. I, c. 78.
*Cap.* 6. p. I, c. 67, c. 69, c. 70 — p. II, c. 28.
*Cap.* 7. p. I, c. 82.
*Cap.* 8. p. I, c. 83, c. 84.
*Cap.* 9. p. I, c. 85.
*Cap.* 10. p. I, c. 86, c. 87.
*Cap.* 11. p. II, c. 17, c. 18.
*Cap.* 12. p. II, c. 25, c. 26, c. 27, c. 31.
*Cap.* 13. p. I, c. 55. — p. II, c. 54, c. 55, c. 57.
*Capp.* 14, 15, 16 *et* 17. p. II, c. 57.
*Cap.* 18. p. II, c. 57, c. 59, c. 60, c. 61, c. 62.
*Cap.* 19. p. II, c. 62, c. 63, c. 64, c. 65, c. 66.
*Cap.* 20. p. II, c. 71, c. 72, c. 73, c. 77, c. 78.
*Cap.* 21. p II, c. 79.

# TABULA

## CONCIONATORIBUS PERUTILIS

## EVANGELIORUM QUÆ LEGUNTUR

### IN DOMINICIS,

FESTIS ET FERIIS TOTIUS ANNI PROPRIO EVANGELIO GAUDENTIBUS.

JUXTA MISSALE ROMANUM.

---

### Evangelia missarum de Proprio de tempore.

*Feria quinta.*

Homo quidam erat dives et induebatur, etc. *Luc.* 16. P. II, c. 16.

*Feria sexta.*

Homo quidam erat paterfamilias, qui, etc. *Matth.* 21. P. II, c. 33.

*Sabbato.*

Homo quidam habuit duos filios, etc. *Luc.* 15. P. II, c. 7.

*Dominica III : Oculi.*

Erat Jesus ejiciens dæmonium, etc. *Luc.* 11. P. II, c. 73.

*Feria secunda.*

Quanta audivimus facta in Capharnaum, etc. *Luc.* 4. P. I, c. 65.

*Feria tertia.*

Si peccaverit in te frater tuus, corripe, etc. *Matth.* 18. P. II, c. 8.

*Feria quarta.*

Accesserunt ad Jesum ab Jerosolymis Scribæ, etc. *Matth.* 15. P. I, c. 88.

*Feria quinta.*

Surgens Jesus de synagoga, etc. *Luc.* 4. P. I, c. 43.

*Feria sexta.*

Venit Jesus in civitatem Samariæ, etc. *Joan.* 4. P. I, c. 62.

*Sabbato.*

Perrexit Jesus in montem Oliveti, etc. *Joan.* 8. P. I, c. 83.

*Dominica IV : Lætare.*

Abiit Jesus trans mare Galilææ, etc. *Joan.* 6. P. I, c. 67.

*Feria secunda.*

Prope erat Pascha Judæorum, etc. *Joan.* 2. P. I, c. 26.

*Feria tertia.*

Jam die festo mediante, ascendit Jesus, etc. *Joan.* 7. P. I, c. 82.

*Feria quarta.*

Præteriens Jesus, vidit hominem cæcum, etc. *Joan.* 9. P. I, c. 85.

*Feria quinta.*

Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim, etc. *Luc.* 7. P. I, c. 44.

*Feria sexta.*

Erat quidam languens Lazarus, etc. *Joan.* 11. P. II, c. 17.

*Sabbato.*

Ego sum lux mundi, qui sequitur me, etc. *Joan.* 8. P. I, c. 84.

*Dominica de Passione : Judica.*

Dicebat Jesus turbis Judæorum, etc. *Joan.* 8. P. I, c. 84.

*Feria secunda.*

Miserunt principes et Pharisæi ministros, etc. *Joan.* 7. P. I, c. 82.

*Feria tertia.*

Ambulabat Jesus in Galilæam, etc. *Ibidem.*

*Feria quarta.*

Facta sunt encænia Jerosolymis, etc. *Joan.* 10. P. I, c. 87.

*Feria quinta.*

Rogabat Jesum quidam Pharisæus, etc. *Luc.* 7. P. I, c. 60.

*Feria sexta.*

Collegerunt principes et Pharisæi, etc. *Joan.* 11. P. II, c. 18.

*Sabbato.*

Cogitaverunt Principes sacerdotum, etc. *Joan.* 12. P. II, c. 25.

*Dominica Palmarum, ad processionem.*

Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, etc. *Matth.* 21. P. II, c. 26.

*Item, ad missam.*

Passio secundum *Matthæum,* 26 *et* 27. P. II, c. 59 et seqq.

*Feria secunda.*

Ante sex dies Paschæ, venit Jesus, etc. *Joan.* 12. P. II, c. 25.

*Feria tertia.*

Passio secundum *Marcum,* 14 *et* 15. P. II, c. 59 *et* seqq.

*Dominica Trinitatis : Evangelium Festi.*

Data est mihi omnis potestas, etc. *Matth.* 28. P. II, c. 80.

*Evangelium Dominicæ, quæ est I post Pentecosten.*

Estote misericordes sicut et Pater vester, etc. *Luc.* 6. P. I, c. 39.

*De Festo Corporis Christi.*

Caro mea vere est cibus, etc. *Joan.* 6. P. I, c. 70.

*Dominica II.*

Homo quidam fecit cœnam magnam, etc. *Luc.* 14. P. I, c. 81.

*Dominica III.*

Erant appropinquantes ad Jesum, etc. *Luc.* 15. P. II, c. 7.

*Dominica IV.*

Cum turbæ irruerent in Jesum, ut, etc. *Luc.* 5. P. I, c. 29.

*Dominica V.*

Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, etc. *Matth.* 5. P. II, c. 34.

*Dominica VI.*

Cum turba multa esset cum Jesu, etc. *Marc.* 8. P. I, c. 91.

*Dominica VII.*

Attendite a falsis prophetis, qui, etc. *Matth.* 7. P. I, c. 40.

*Dominica VIII.*

Homo quidam erat dives, qui habebat, etc. *Luc.* 16. P. II, c. 15.

*Dominica IX.*

Cum appropinquaret Jesus Jerusalem, etc. *Luc.* 19. P. II, c. 27.

*Dominica X.*

Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant, etc. *Luc.* 18. P. II, c. 30.

*Dominica XI.*

Exiens Jesus de finibus Tyri, etc. *Marc.* 7. P. I, c. 90.

*Dominica XII.*

Beati oculi qui vident quæ vos videtis, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 59.

*Dominica XIII.*

Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat, etc. *Luc.* 17. P. II, c. 19.

*Dominica XIV.*

Nemo potest duobus dominis servire, etc. *Matth.* 6. P. I, c. 38.

*Dominica XV.*

Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim, etc. *Luc.* 7. P. I, c. 44.

*Dominica XVI.*

Cum intraret Jesus domum cujusdam, etc. *Luc.* 14. P. I, c. 80.

*Dominica XVII.*

Accesserunt ad Jesum Pharisæi, etc. *Matth.* 22. P. II, c. 36.

*Feria quarta Quatuor Temporum Septembris.*

Respondens unus de turba dixit ad Jesum, etc. *Marc.* 9. P. I, c. 43.

*Feria sexta.*

Rogabat Jesum quidam de Pharisæis ut manducaret, etc. *Luc.* 7. P. I, c. 69.

*Sabbato.*

Dicebat Jesus turbis hanc similitudinem : Arborem fici, etc. *Luc.* 13. P. I, c. 79.

*Dominica XVIII.*

Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, etc. *Matth.* 9. P. I, c. 48.

*Dominica XIX.*

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit, etc. *Matth.* 22. P. II, c. 34.

*Dominica XX.*

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur, etc. *Joan.* 4. P. I, c. 65.

*Dominica XXI.*

Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit, etc. *Matth.* 18. P. II, c. 9.

*Dominica XXII.*

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, etc. *Matth.* 22. P. II, c. 35.

*Dominica XXIII.*

Loquente Jesu ad turbas, ecce princeps, etc. *Matth.* 9. P. I, c. 49.

*Dominica XXIV.*

Cum videritis abominationem desolationis, etc. *Matth.* 24. P. II, c. 40.

## Evangelia missarum de Proprio Sanctorum, tam de præcepto quam ex indulto apostolico.

Nota. — Festa quæ non possunt celebrari, nisi ex Indulto Apostolico, asterisco signantur.

## IN FESTIS DOMINI.

*Dominica II post Epiphaniam : SS. Nominis Jesu.*

Postquam consummati sunt dies octo, ut, etc. *Luc.* 2. P. I, c. 10. — P. II, c. 89 *et* ult.

* *Feria tertia post Dom. Septuagesimæ : Orationis D. N. J. C.*

Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem, etc. *Luc.* 22. P. II, c. 59.

* *Feria tertia post Dom. Sexagesimæ : Commemoratio Passionis D. N. J. C.*

Sciens Jesus, etc. (*ut in missa votiva de Passione.*)

* *Feria sexta post Cineres : SS. spineæ Coronæ D. N. J. C.*

Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit. Et milites plectentes coronam, etc. *Joan.* 19. P. II, c. 62.

* *Feria sexta post Dom. I Quadragesimæ : Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.*

Sciens Jesus, etc. (*ut in missa votiva de Passione.*)

* *Feria sexta post Dom. II Quadragesimæ : SS. Sindonis D. N. J. C.*

Cum jam sero esset factum, etc. *Marc.* 15. P, II. c. 66.

* *Feria sexta post Dom. III Quadragesimæ : SS. quinque Vulnerum D. N. J. C.*

Sciens Jesus, etc. (*ut in missa votiva de Passione*).

* *Feria sexta post Dom. IV Quadragesimæ ; et Dom. I Julii : Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.*

Sciens Jesus, etc. (*ut in missa votiva de Passione*).

*Feria sexta post Octavam SS. Corporis Christi : SS. Cordis Jesu.*

Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, etc. *Joan.* 19. P. II. c. 64.

3 *Maii : Inventionis Sanctæ Crucis.*

Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, etc. *Joan.* 3. P. I, c. 27.

6 *Augusti : Transfigurationis D. N. J. C.*

Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, etc. *Matth.* 17. P. II, c. 3.

14 *Septembris : Exaltationis Sanctæ Crucis.*

Dixit Jesus turbis Judæorum : Nunc judicium, est mundi, nunc etc. *Joan.* 12. P. II, c. 31.

* 23 *Octobris : SS. Redemptoris.*

Dixit Jesus Nicodemo : Nemo ascendit, etc. *Joan.* 3. P. I, c. 27.

## IN FESTIS BEATÆ MARIÆ.

*Feria sexta post Dom. Passionis ; et Dom. III Septembris : Septem Dolorum B. M. V.*

Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, etc. *Joan.* 19. P. II, c. 63.

* *Dominica III post Pentecosten, vel post Octavam Assumptionis : Purissimi Cordis B. M. V.*

Extollens vocem, etc. (*ut in missis votivis de Beata post Pentecosten*).

*Dominica infra Octav. Nativitatis : SS. Nominis Mariæ.*

Missus est Angelus Gabriel a Deo, etc. *Luc.* 1. P. I, c. 5.

*Dominica I Octobris : SS. Rosarii B. M. V.*

Extollens vocem, etc. (*ut in missis votivis de Beata post Pentecosten*).

* *Dominica II Octobris : Maternitatis B. M. V.*

Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem. *Luc.* 2. P. I, c. 15.

* *Dominica III Octobris : Puritatis B. M. V.*

Missus est Angelus Gabriel a Deo, etc. *Luc.* 1. P. I, c. 5.

* *Dominica IV Octobris, vel II Novembris : Patrocinii B. M. V.*

Extollens vocem, etc. (*ut in missis votivis de Beata post Pentecosten*).

* 7 *Decembris : Vigiliæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V.*

Liber Generationis Jesu Christi Filii David. *Matth.* 1. P. I, c. 7.

8 *Decembris : Immaculatæ Conceptionis B. M. V.*

Missus est Angelus Gabriel a Deo, etc. *Luc.* 1. P. I, c. 5.

* 10 *Decembris : Translationis almæ Domus B. M. V; et* 17 *Decembris : Exspectationis partus B. M. V.*

Missus est, etc. (*ut supra*).

* 23 *Januarii : Desponsationis B. M. V.*

Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, etc. *Matth.* 1. P. I, c. 8.

2 *Februarii : Purificationis B. M. V*

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, etc. *Luc.* 2. P. I, c. 12.

25 *Martii : Annuntiationis B. M. V.*

Missus est, etc. (*ut supra*).

* 26 *Aprilis : Apparitionis Imaginis B. M. V. de Bono Consilio.*

Liber generationis Jesu Christi, etc. *Matth.* 1. P. I, c. 7.

24 *Maii : B. M. V. titulo Auxilium Christianorum.*

Extollens vocem, etc. (*ut in missis votivis de Beata post Pentecosten*).

2 *Julii : Visitationis B. M. V.*

Exsurgens Maria, abiit in montana, etc. *Luc.* 1. P. I, c. 6.

* 9 *Julii : Prodigiorum B. M. V. titulo Reginæ Pacis :*
16 *Julii : B. M. V. de Monte Carmelo;*
5 *Augusti :*
*Dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives;*
*et* 14 *Augusti :*
*Vigiliæ Assumptionis B. M. V.*

Extollens vocem, etc. (*ut in missis votivis de Beata post Pentecosten*).

15 *Augusti : Assumptionis B. M. V.*

Intravit Jesus in quoddam castellum, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 61.

8 *Septembris : Nativitatis B. M. V.*

Liber generationis Jesu Christi, etc. *Matth.* 1, P. I, c. 7.

24 *Septembris : B. M. V. de Mercede; et* 21 *Novembris : Præsentationis B. M. V.*

Extollens vocem, etc. (*ut in missis votivis de Beata post Pentecosten*).

# IN FESTIS SANCTORUM.

30 *Julii : SS. Abdon et Sennen, Martyrum.*

Videns Jesus turbas, ascendit in montem, etc. *Matth.* 5. P. I, c. 33.

30 *Augusti : SS. Adaucti et Felicis, Martyrum.*

Qui vos audit me audit, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

* 17 *Augusti : S. Agapiti, Martyris.*

Nisi granum frumenti, etc. *Joan.* 12. P. II, c. 31.

5 *Februarii : S. Agathæ, Virginis et Martyris.*

Si licet homini dimittere uxorem, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 10.

* 17 *Julii : S. Alexii, Confessoris.*

Ecce nos reliquimus omnia, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 13.

21 *Junii : S. Aloysii Gonzagæ, Confessoris.*

Erratis nescientes Scripturas, etc. *Matth.* 22. P. II, c. 35 *et* 36.

2 *Augusti : S. Alphonsi Mariæ Episc., Conf. et Ecclesiæ Doctoris.*

Designavit Dominus et alios septuaginta duos, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

29 *Novembris : Vigiliæ S. Andreæ, Apostoli.*

Stabat Joannes et ex discipulis ejus duo, etc. *Joan.* 1. P. I, c. 24.

30 *Novembris : S. Andreæ, Apostoli.*

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit, etc. *Matth.* 4. P. I, c. 29.

2 *Octobris : SS. Angelorum Custodum.*

Quis putas major est, etc. *Matth.* 18. P. II, c. 6.

23 *Julii : S. Apollinaris, Episcopi et Martyris.*

Facta est contentio inter discipulos, quis eorum, etc. *Luc.* 22. P. II, c. 56.

2 *Maii : S. Athanasii, Episc., Conf. et Ecclesiæ Doctoris.*

Cum persequentur vos in civitate ista, fugite, etc. *Matth.* 10. P. I, c. 52.

11 *Junii : S. Barnabæ, Apostoli.*

Ecce ego mitto vos, etc. *Matth.* 10. P. I, c. 52.

24 *Augusti : S. Bartholomæi, Apostoli.*

Exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans, etc. *Luc.* 6. P. I, c. 32.

* 3 *Februarii : S Blasii, Episc. et Martyris.*

Cum persequentur vos in civitate ista, fugite, etc. *Matth.* 10. P. I, c. 52.

5 *Junii : S. Bonifacii, Episcopi et Martyris.*

Videns Jesus turbas ascendit in montem, etc. *Matth.* 5. P. I, c. 33.

7 *Augusti : S. Cajetani, Confessoris.*

Nemo potest duobus dominis servire, etc. *Matth.* 6. P. I, c. 38.

18 *Julii : S. Camilli de Lellis, Confessoris.*

Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut, etc. *Joan.* 15. P. II, c. 57.

* 13 *Augusti : S. Cassiani, Episc. et Martyris.*

Cum persequentur vos in civitate ista, fugite, etc. *Matth.* 10. P. I, c. 52.

25 *Octobris : SS. Chrysanthi et Dariæ, Martyrum.*

Væ vobis qui ædificatis, etc. *Luc.* 11. P. I, c. 76.

15 *Junii : SS. Crescentiæ, Viti et Modesti, Martyrum.*

Qui vos audit me audit, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

8 *Augusti : SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi, Martyrum.*

Euntes in mundum universum, etc. *Marc.* 16. P. II, c. 82.

* 21 *Julii : S. Danielis, Prophetæ et Confessoris.*

Cum videritis abominationem desolationis, etc. *Matth.* 24. P. II, c. 40.

* 12 *Novembris : S. Didacis, Confessoris.*

Quis putas major est, etc. *Matth.* 18. P. II, c. 6.

9 *Octobris : SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii, Martyrum.*

Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, etc. *Luc.* 12. P. I, c. 53 *et* 92.

12 *Maii : SS. Domitillæ, Nerei, Achillæi et Pancratii, Martyrum.*

Erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur, etc. *Joan.* 4 P. I, c. 63.

* 7 *Augusti : S. Donati, Episc. et Martyris.*

Quis putas major est, etc. *Matth.* 18. P. I, c. 6.

* 3 *Septembris : SS. Dorotheæ, Euphemiæ, Theclæ et Erasmæ, Virg. et Martyrum.*

Si licet homini dimittere uxorem, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 10.

* 20 *Julii : S. Eliæ, Prophetæ et Confessoris.*

Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem, etc. *Matth.* 17. P. II, c. 3.

* 24 *Februarii : S. Exuperantii, Episc. et Confessoris.*

In hoc clarificatus est Pater meus, etc. *Joan.* 15. P. II, c. 57.

9 *Junii : SS. Feliciani et Primi, Martyrum.*

Confiteor tibi, Pater, etc. *Matth.* 11. P. I, c. 58.

* 21 *Maii : S. Felicis a Cantalicio, Confessoris.*

Confiteor, etc. (*ut supra*).

* 24 *Novembris : S. Flaviani, Episc. et Martyris.*

Ego sum Pastor bonus, etc. *Joan.* 10. P. I, c. 86.

4 *Octobris : S. Francisci, Confessoris.*

Confiteor, etc. (*ut supra*).

3 *Decembris : S. Francisci Xaverii, Confessoris.*

Euntes in mundum universum, prædicate, etc. *Marc.* 16. P. II, c. 82.

* 1 *Septembris : SS. Duodecim Fratrum, Martyrum.*

Attendite a fermento Pharisæorum, etc. *Luc.* 12. P. I, c. 53 *et* 92.

10 *Julii : SS. Septem Fratrum, Martyrum, ac Rufinæ et Secundæ, Virg. et Martyrum.*

Loquente Jesu ad turbas, ecce Mater ejus, etc. *Matth.* 12. P. I, c. 76.

* 18 *Martii : S. Gabrielis, Archangeli.*

Missus est Angelus Gabriel, etc. *Luc.* 1. P. I, c. 5.

* 25 *Junii : S. Gallicani, Martyris.*

Suspiciens Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 59.

17 *Novembris : S. Gregorii Thaumaturgi, Episc. et Confessoris.*

Habete fidem Dei, etc. *Marc.* 11. P. II, c. 4.

20 *Julii : S. Hieronymi Æmiliani, Confessoris.*

Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 10.

* 5 *Martii : S. Hieronymi de Recineto, ordinis Eremitarum S. Augustini.*

Diligite inimicos vestros, etc. *Matth.* 5. P. I, c. 35.

1 *Februarii : S. Ignatii, Episc. et Martyris.*

Nisi granum frumenti, etc. *Joan.* 12. P. II, c. 31.

31 *Julii : S. Ignatii, Confessoris.*

Designavit Dominus et alios septuaginta duos. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

28 *Decembris : SS. Innocentium.*

Angelus Domini apparuit in somnis, etc. *Matth.* 2. P. I, c. 13.

* 4 *Julii : S. Irenæi, Episc. et Martyris.*

Ego sum Pastor bonus, etc. *Joan.* 10. P. I, c. 86.

11 *Aprilis : S. Leonis, Papæ, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris.*

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, etc. *Matth.* 16. P. II, c. 1.

* 15 *Novembris : S. Leopoldi, Confessoris.*

Homo quidam nobilis abiit, etc. *Luc.* 19. P. II, c. 49.

18 *Octobris : S. Lucæ, Evangelistæ.*

Designavit Jesus et alios septuaginta duos, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

25 *Augusti : S. Ludovici, Confessoris.*

Homo quidam nobilis abiit, etc. *Luc.* 19. P. II, c. 49.

1 *Augusti : SS. Machabæorum, Martyrum.*

Attendite a fermento Pharisæorum, etc. *Luc.* 12. P. I, c. 54 *et* 92.

18 *Junii : SS. Marci et Marcelliani, Martyrum.*

Væ vobis, qui ædificatis, etc. *Luc.* 11. P. I, c. 76.

25 *Aprilis : S. Marci, Evangelistæ.*

Designavit Jesus et alios septuaginta duos, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

* 26 *Februarii : S. Margaritæ de Cortona.*

Murmurabant Pharisæi et Scribæ, etc. *Luc.* 15. P. II, c. 7.

22 *Julii : S. Mariæ Magdalenæ.*

Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, etc. *Luc.* 7. P. I, c. 60.

* 22 *Octobris : S. Mariæ Salome, Viduæ.*

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi, etc. *Matth.* 20. P. II, c. 21.

29 *Julii : S. Marthæ, Virginis.*

Intravit Jesus in quoddam castellum, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 16.

11 *Novembris : S. Martini, Episc. et Confessoris.*

Nemo accendit lucernam, etc. *Luc.* 11. P. I, c. 34.

20 *Septembris : Vigiliæ S. Matthæi, Apostoli.*

Vidit Jesus publicanum nomine Levi, etc. *Luc.* 5. P. I, c. 31.

21 *Septembris : S. Matthæi, Apostoli et Evangelistæ.*

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, etc. *Matth.* 9. P. I, c. 31.

24 *vel* 25 *Februarii : S. Matthiæ, Apostoli.*

Confiteor tibi, Pater, etc. *Matth.* 11. P. I, c. 58.

8 *Maii : Apparitionis; et* 29 *Septembris : Dedicationis Michaelis, Archangeli.*

Quis putas major est, etc. *Matth.* 18. P. II, c. 6.

* 5 *Julii : S. Michaelis de Sanctis.*

Erratis nescientes Scripturas, etc. *Matth.* 22. P. II, c. 35 *et* 36.

5 *Maii : S. Monicæ, Viduæ.*

Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim, etc. *Luc.* 7. P. I, c. 44.

10 *Novembris : SS. Nymphæ, Tryphonis et Respicii, Martyrum.*

Attendite a fermento Pharisæorum, etc. *Luc.* 12. P. I, c. 54 *et* 92.

30 *Junii : Commemorationis S. Pauli, Apostoli.*

Ecce mitto vos, etc. *Matth.* 10. P. I, c. 52.

25 *Januarii: Conversionis Ejusdem.*

Ecce nos reliquimus omnia, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 13.

15 *Januarii : S. Pauli, primi Eremitæ.*

Confiteor tibi, Pater, etc. *Matth.* 11. P. I, c. 58.

28 *Aprilis : S. Pauli a Cruce, Confessoris.*

Designavit Jesus et alios septuaginta duos, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

* 9 *Septembris : B. Petri Claver, Confessoris.*

Legisperitus quidam volens justificare seipsum, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 59.

28 *Junii : Vigiliæ SS. Petri et Pauli, Apostolorum.*

Simon Joannis, diligis me plus his, etc. *Joan.* 21. P. II, c. 79.

29 *Junii : SS. Petri et Pauli, Apostolorum; et in omnibus aliis fe-*

*stis sancti Petri, scilicet* : 18 *Januarii : Cathedræ Romæ ; 22 Februarii : Cathedræ Antiochiæ ; et* 1 *Augusti : S. Petri ad vincula.*

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, etc. *Matth.* 16. P. II, c. 1.

6 *Julii : Octavæ SS. Petri et Pauli, Apostolorum.*

Compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, etc. *Matth.* 14. P. I, c. 69.

* *Dominica I post Octavam SS. Petri et Pauli : Commemorationis omnium SS. Summorum Pontificum.*

Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, etc. *Matt.* 16. P. II, c. 1.

* *Dominica II Julii : S. Pulcheriæ, Imperatricis, Virginis.*

Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant, etc. *Joan.* 17. P. II, c. 57.

* 24 *Octobris : S. Raphaelis, Archangeli.*

Erat dies festus Judæorum, etc. *Joan.* 5. P. I, c. 78.

*Dominica ultima Octobris : Sanctarum Reliquiarum.*

Descendens Jesus de monte, stetit, etc. *Luc.* 6. P. I, c. 33.

* 22 *Augusti : S. Samuelis, Sacerdotis et Prophetæ.*

Homo quidam nobilis abiit, etc. *Luc.* 19. P. II, c. 49.

1 *Novembris : Omnium Sanctorum.*

Videns Jesus turbas ascendit in montem, etc. *Matth.* 5. P. I, c. 33.

* 11 *Februarii : S. Simeonis, Prophetæ.*

Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, etc. *Luc.* 2. P. I, c. 12.

* 13 *Novembris : S. Stanislai Kostkæ, Confessoris.*

Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 10.

26 *Decembris : S. Stephani, protomartyris ; et* 3 *Augusti : Inventionis Ejusdem.*

Ecce mitto ad vos Prophetas, etc. *Matth.* 23. P. II, c. 38.

2 *Septembris : S. Stephani, Hungariæ regis, Confessoris.*

Homo quidam nobilis abiit, etc. *Luc.* 19. P. II, c. 49.

18 *Julii : S. Symphorosæ, cum septem filiis, Martyribus.*

Attendite a fermento Pharisæorum, etc. *Luc.* 12. P. I, c. 54 *et* 92.

21 *Decembris : S. Thomæ, Apostoli.*

Thomas, unus ex Duodecim, qui dicitur Didymus, etc. *Joan.* 20. P. II, c. 77 *et* 78.

29 *Decembris : S. Thomæ, Episcopi et Martyris.*

Ego sum Pastor bonus, etc. *Joan.* 10. P. I, c. 86.

*Prima die libera post Nonas Januarii : S. Titi, Episcopi et Confessoris.*

Designavit Jesus et alios septuaginta duos, etc. *Luc.* 10. P. I, c. 58.

19 *Julii : S. Vincentii a Paulo, Confessoris.*

Designavit Jesus, etc. (*ut supra*); *Vel :*
* Circuibat Jesus omnes civitates, etc. *Matth.* 7. P. I, c. 50.

* 5 *Novembris : S. Zachariæ, Confessoris, patris S. Joannis Baptistæ.*

Fuit in diebus Herodis regis Sacerdos, etc. *Luc.* 1. P. I, c. 4.

## Evangelica missarum de commnni Sanctorum.

*Vigiliæ Apostolorum.*

Hoc est præceptum meum, ut diligatis, etc. *Joan.* 15. P. II, c. 57.

*Unius Martyris Pontificis : Primo loco.*

Si quis venit ad me et non odit, etc. *Luc.* 14. P. I, c. 64.

*Item, unius Martyris Pontificis : Secundo loco.*

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem, etc. *Matth.* 16. P. II, c. 2.

*Unius Martyris non Pontificis : Primo loco.*

Nolite arbitrar quia pacem venerim mittere, etc. *Matth.* 10. P. I, c. 54.

*Item, unius Martyris non Pontificis : Secundo loco.*

Nihil est opertum quod non revelabitur, etc. *Matth.* 10. P. I, c. 53.

*Unius Martyris, tempore pascali.*

Ego sum vitis vera et Pater meus agicola, etc. *Joan.* 15. P. II, c. 57.

*Plurium Martyrum : Primo loco.*

Cum audieritis prælia et seditiones, etc. *Luc.* 21. P. II, c. 39.

*Item, plurium Martyrum : Secundo loco.*

Descendens Jesus de monte stetit, etc. *Luc.* 6. P. I, c. 33.

*Item, plurium Martyrum : Tertio loco.*

Sedente Jesu super montem Oliveti, etc. *Matth.* 24. P. II, c. 39.

*Plurium Martyrum, tempore pascali.*

Ego sum vitis, vos palmites, etc. *Joan.* 15. P. II, c. 57.

*Confessoris Pontificis : Primo loco.*

Homo peregre proficiscens, vocavit, etc. *Matth.* 25. P. II, c. 49.

*Item, Confessoris Pontificis : Secundo loco.*

Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, etc. *Matth.* 24. P. II, c. 46.

*Doctorum.*

Vos estis sal terræ, etc. *Matth.* 5. P. I, c. 34.

*Confessoris non Pontificis : Primo loco.*

Sint lumbi vestri præcincti, etc. *Luc.* 12. P. II, c. 47.

*Item, Confessoris non Pontificis : Secundo loco.*

Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit, etc. *Luc.* 12. P. I, c. 38.

*Abbatum.*

Ecce nos reliquimus omnia, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 13.

*Virginum : Primo loco.*

Simile erit regnum cœlorum decem Virginibus, etc. *Matth.* 25. P. II, c. 48.

*Item, Virginum : Secundo loco ; et non Virginum.*

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito, etc. *Matth.* 13. P. I, c. 64.

*Anniversarii Dedicationis ecclesiæ.*

Ingressus Jesus perambulabat Jericho, etc. *Luc.* 19. P. II, c. 23.

## Evangelia missarum pro Defunctis.

*Commemorationis omnium Defunctorum.*

Quia venit hora et nunc est, quando mortui, etc. *Joan.* 5. P. I, c. 78.

*Diei obitus, seu depositionis.*

Domine, si fuisses hic, frater meus, etc. *Joan.* 11. P. II, c. 17.

*Diei Anniversarii.*

Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, et eum qui venit ad me, etc. *Joan.* 6. P. I, c. 70.

*Missæ quotidianæ.*

Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, etc. *Joan.* 6. P. I, c. 70.

## Evangelia missarum votivarum.

*De Sanctissima Trinitate.*

Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre, etc. *Joan.* 15. P. II, c. 57.

*De Angelis.*

Vidit Jesus Nathanael venientem ad se et dicit de eo, etc. *Joan.* 1. P. I, c. 24.

*De Apostolis Petro et Paulo.*

Ecce nos reliquimus omnia, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 13.

*De Spiritu Sancto.*

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, etc. *Joan.* 14. P. II, c. 57.

*De Eucharistiæ Sacramento.*

Caro mea vere est cibus, etc. *Joan.* 6. P. I, c. 70.

*De Sancta Cruce.*

Assumpsit Jesus duodecim discipulos secreto, etc. *Matth.* 20. P. II, c. 21.

*De Passione D. N. J. C.*

Sciens Jesus quia omnia consummata sunt, etc. *Joan.* 19. P. II, c. 63 *et* 64.

*De Sancta Maria, ab Adventu usque ad Nativitatem Domini.*

Missus est Angelus Gabriel a Deo, etc. *Luc.* 1. P. II, c. 5.

*Item, a Nativitate usque ad Purificationem.*

Transeamus usque Bethlehem, etc. *Luc.* 2. P. I, c. 9.

*Item, a Purificatione usque ad Pascha; et a Pentecoste usque ad Adventum.*

Extollens vocem quædam mulier de turba, etc. *Luc.* 11. P. I, c. 75.

*Item, a Pascha usque ad Pentecosten.*

Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, etc. *Joan.* 19. P. II, c. 63.

*Pro eligendo Summo Pontifice.*

Si diligitis me, mandata mea servate, etc. *Joan.* 14. P. II, c. 57.

*In anniversario electionis seu consecrationis Episcopi.*

Videte, vigilate et orate, etc. *Marc.* 13. P. II, c. 44.

*Ad tollendum schisma.*

Pater Sancte, serva eos, in nomine tuo, etc. *Joan.* 17. P. II, c. 57.

*Pro quacunque necessitate.*

Habete fidem Dei, etc. *Marc.* 11. P. II, c. 4.

*Pro remissione peccatorum.*

Petite et dabitur vobis, etc. *Luc.* 11. P. I, c. 39.

*Ad petendam gratiam bene moriendi.*

Attendite vobis, ne forte graventur corda, etc. *Luc.* 21. P. II, c. 44.

*Contra paganos.*

Quis vestrum habebit amicum, etc. *Luc.* 11. P. I, c. 39.

*Tempore belli.*

Dic nobis quando hæc erunt, etc. *Matth.* 24. P. II, c. 39.

*Pro pace.*

Cum sero esset, die illo, una sabbatorum, etc. *Joan.* 20. P. II, c. 77.

*Pro vitanda mortalitate; vel tempore pestilentiæ.*

Surgens Jesus de synagoga, etc. *Luc.* 4. P. I, c. 43.

*Pro infirmis.*

Cum introisset Jesus Capharnaum, accessit, etc. *Matth.* 8. P. I, c. 42.

*Pro peregrinantibus, vel iter agentibus.*

Euntes prædicate, dicentes quia appropinquavit, etc. *Matth.* 8. P. I, c. 51.

*Pro sponso et sponsa.*

Si licet homini dimittere uxorem, etc. *Matth.* 19. P. II, c. 10.

* *Pro fidei propagatione.*

Circuibat Jesus omnes civitates et castella, etc. *Matth.* c. 9. P. I, c. 50.

# INDEX GENERALIS

## RERUM

## QUÆ IN HAC VITA CHRISTI CONTINENTUR.

NUMERUS ROMANUS TOMUM, ARABICUS AUTEM TOMI PAGINAM INDICAT.

---

### A

# C

DE CŒNA CHRISTI.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

DE CHRISTI ASCENSIONE.



VARIA DE CHRISTO.

CHRISTIANI.



CIBUS.



CINGULUM.



CIRCUMCISIO.

CORPUS.



CORREPTIO FRATERNA.



CREDERE.



CRASTINUM.



CRUCIFIXIO.



CRUX.

# D

# E

## F

FERIA.



FERMENTUM.



FESTUCA.



FESTUM.



FICULNEA.



FIDELIS.



FIDES.



FILIUS.



FIMBRIA.



FINGERE.



FLETUS.



FRATER.



FRUCTUS.

## G

# H

## I

JESUS.



JOACHIM.



JOANNES.



JOANNES BAPTISTA.



JOANNES EVANGELISTA.

## L

# M

# N

O

# P

PECUNIA.



PENTECOSTES.



PENURIA.



PEREGRINUS.



PERFECTIO.



PERMISSIO.



PERSECUTIO.

PRÆCEPTUM.



PRÆDESTINATIO.



PRÆDICATOR.



PRÆGNANS.



PRÆLATUS.

# S

# T

# U



# V

VINEA.



VINUM.



VIRGINITAS.



VIRGO.



VIRTUS.



VISCUS.



VISIO.



VISITATIO.



VISUS.



VITA.



VOCARE.



VOLUNTAS.

ABBATISVILLÆ. — EX TYPIS GUSTAVE RETAUX.